ticularum, ad illud immediatè accendentium & deinde quiescentium, additionem, satis augeri, & ita ad ulteriore dissolutionem, ubivis faciendam, aptari queat.

Partes sensibiles sunt, quæ, ex multis insensibilibus compositæ, sub sensum cadunt. Tales ex. gr. sunt guttæ in aquis, pili, cutis, brachia, crura, cor, hepar, aliaque membra, in corpore animaliſ.

Quomodo autem sensibiles partes ab insensibilibus constitui possint, apparet in filamentis sericis; quæ quamvis singula nullum colorem habere videantur, multa tamen conjuncta componunt filum album, aut alio colore tintatum.

Inter materiae, sive corporis simpliciter considerati, partes, solæ insensibiles propriè & per se continuitatem habent: cùm in his solis sit immediatus partium, illas constituant, cum quiete contactus; in quo solo vera corporis cujusvis continuitas consistit. Sensibiles vero partes, instar corbis, ex. gr. ex viminibus contexti, nullam continuitatem propriè & per se habent; sed eam à sola continuitate partium insensibilium, cum contiguitate ad sensibilem constitutionem contextarum, accipiunt.


Singulis autem istis particulis insensibilibus, in quibus omnem continuitatem cujusvis corporis consistere dixi, alias actu & revera inesse particulas inde patet, quod in illis sint diversa & distincta, tota istarum insensibilium particularum corpuscula constituentia. Ita ex. gr. in particulâ insensibili liquoris alicujus oleaginosi ramosâ 1 2 3 4 5 6 7 8 9, imaginatione hic propositâ, dextra 1 2 3 sunt revera & actu distincta à sinistris 7 8 9; & utraque sunt distincta à mediis 4 5 6; sicut & superiora 1 2 4 7 9 revera, etiam nobis corporibus non cogitantibus, distincta sunt ab inferioribus 3 5 6 8; caque

*Partes sensibiles.*

*Quomodo haec ex insensibilibus fiunt.*

*Continuitas corporis propriè est in particulis insensibilibus.*

*Insensibilibus particulis actua alias inesse particulas.*



eaque omnia distincta totum illud ramosum corpusculum constituere, eique inesse, per manifestam hanc imaginationis demonstrationem videtur, esse clarum.

*Et quamvis illa sint finita; nobis tamen sunt indefinita.*

Porrò particulæ, quæ partes illas insensibiles & per se continuas constituunt, sunt quidem finitæ, quia finem, sive extremum terminum extensionis, habent; quia tamen mentis acie, si earum singulas & particularum particulas vicissim & perpetuò, sive in infinitum, consideremus, ad finem earum pervenire, earumque numerum definire, nunquam possumus; idcirco nobis indefinitæ sunt descendæ.

Atque hæc de Materia diximus.

#### C A P V T IV.

##### *De rerum naturalium Forma generali.*

*Forma rerum naturalium:*

Forma rerum naturalium est natura, per quam cum materia illæ constituuntur, & quâ ab aliis discriminantur.

Ea est generalis, vel specialis.

*Generalis.*

Forma generalis, (quæ omnibus rebus naturalibus competit, vulgoque materialis nuncupatur, quod extra materiam subsistere non possit) est comprehensio motûs, & quietis, item sitûs, figuræ & magnitudinis partium, rebus naturalibus constituendis convenientis.

*Cur ea sit accidentium quorundam comprehensionis.*

Ad formam hanc constituendam requiritur istorum accidentium comprehensio; quia ad eam unum aut alterum ex ipsis non sufficit. Sic, ex gr. sola parvitas particularum aquæ, ejus formam non potest constituere; sed requiritur præterea figura earum oblonga, item tenuitas, flexibilitas, levitas, & varia inter se agitatio: ut infra docemus.

*Principiorum formæ probatio.*

Hæc principia constituunt formam materialem, ea que satis sunt efficacia: quia in omnibus rebus naturalibus

*supra*

bus ita obseruantur, ut iis benè habentibus, res naturales benè, malè verò habentibus, eæ vel male, vel omnino non operentur.

Huc accedit, quòd nulla alia, præter hanc, forma materialis dari possit; quodque per hanc innumeræ rerum naturæ & qualitates, tam occultæ, quam manifestæ, commodè & intelligibiliter, ut ex sequentibus patebit, explentur. Itaque his acquiescendum, donec alia clarè demonstrentur.

Cùm autem hæc accidentia dicimus esse efficacia & sufficientia naturæ principia, non de singulis, sed coniunctis; neque de quibuslibet, sed justis & convenientibus loquimur: ut appareat in vete, trochlea, & aliis machinis, in quibus nec quævis figura, nec quivis situs, nec quælibet magnitudo, per se sunt efficaces; sed si ea sint justa, & sufficiens motus iis addatur, & illa omnia vel pleraque simul sumantur. Atque ideo dicimus formam materialem esse non tantùm comprehensionem istorum accidentium, sed etiam rebus naturalibus constituendis convenientem. Qui itaque his accidentibus omnem energiam denegant, manifestissimæ experientiæ adversantur.

Atque hinc etiam illorum patet error, qui axioma illud nostrum, quod quantitatæ & figuræ, cum aliis nostris principiis concurrentibus, vim & efficaciam tribuit, absolutè magicum esse dicunt: cùm hoc non sit verum, nisi illa vel in abstracto extra materiam aptam, seu secundùm insensibiles partes rectè dispositam, considerata, vel non sufficientia, aut aliter præter naturæ leges adhibita, intelligentur. Sic, ex. gr. non ille, qui cultrum ferreum, satis magnum, durum, acuminatum, & validè motum, panem discindere afferit; sed qui figurâ cultri in chartâ depictâ, vel tenuissimæ membranæ inductâ, & leviter,

*Quomodo  
hæc princi-  
pia suffi-  
cient &  
sint effica-  
cia.*

*Quare ea  
non sint  
magica di-  
cenda.*

ac sine magno motu adhibita , vel alio simili nugamento ; durissima quælibet corpora confringi posse putat , meritò Magis aut aliis nugatoribus assentiri est dicendus.

*Materia si-  
ve substan-  
tia corpo-  
rea agit in  
virtute ac-  
cidentium.*

Atque hinc jam est manifestum , substantiam corpoream sive materiam , præter quam nihil substantiale in corporibus naturalibus potest demonstrari , agere in virtute istorum accidentium ; non autem , ut vulgo perperam afferunt , accidentia efficaciam habere in virtute substantiae : cum hæc nullam agendi vim , per se solam habeat , sed illam penè omnem ab accidentibus istis accipiat .

*Forma est  
materiæ  
accidentia-  
ria ; & re-  
bus natu-  
ralibus ef-  
fentialis.*

Hæc forma etiamsi materiæ sit accidentaria ; quippe quæ cā carere potest ; rebus tamen naturalibus est effientialis : cum hæc illas constituat , & ab aliis discriminaret , ac præter illam nulla forma materialis dari possit . Quomodo autem hoc fieri queat , manifestum est in horologio , in quo motus , figura , situs , & magnitudo partium , ferro sunt accidentaria ; horologio verò effientialia : ferrum enim sine iis est ferrum ; horologium verò sine iis nunquam horologium est dicendum .

*Principia  
formam  
constituen-  
tia sunt  
tantum  
modi.*

*Atque hi  
sunt entia  
positiva.*

Hæc principia , formam constituentia , nihil aliud sunt , quam certi materiæ , sive substaniæ corporeæ , modi : Quia per illa nihil reale , quod per se subsistat , corpori accedit vel decedit ; sed illud alios tantum constitutionis his acquirit modos . Nec obest , quod nonnulli modos ad non-entia referant , ac proinde nullam efficiendi vel constituendi vim , quæ in formâ rerum naturalium requiritur , illis tribuendam censeant : omnes enim entium modi aliquid positivum , & sui generis essentiam , habent ; cum subjectam materiam , pro suâ varietate , variè modificant , eamque , teste experientiâ , efficacem reddant , atque ideo meritò inter entia sint referendi .

## C A P V T V.

*De Motu.*

**P**Er motum autem, in definitione formæ propositum, intelligo solum motum localem, qui solus in rerum naturâ datur. Nam motus generationis & corruptionis, nihil aliud est, quam motus localis, quo partes materiæ, tum sensibiles, tum insensibiles, essentiali rerum constitutioni, vel convenienter, vel inconvenienter disponuntur. In accretione verò & nutritione est motus localis, quo partes separatæ cum corpore augendo vel alendo conjunguntur: in decretione verò talis, quo partes conjunctæ à corpore separantur. Et quantum ad motus alterationis attinet; in calefactione est motus localis, quo particulæ aliquuj corporis insensibiles vehementius inter se ac variè agitantur; in refrigeratione verò est motus localis, quo illæ debilius inter se agitantur, vel quiescunt. In humectatione autem talis est motus localis, quo partes liquorum sensibilium cum stabilibus corporibus conjunguntur: & contra in exsiccatione motus talis est, quo illæ liquorum sensibilium particulæ à corpore stabi amoven-  
tur. Atque hæc ex iis, quæ de qualitatibus inferiùs dice-  
mus, magis patebunt.

Motus lo-  
calis in re-  
rum natu-  
râ est solus  
& unicus.

Motus verò est corporis de loco in locum, sive ex vicinâ quorundam corporum, in aliorum viciniam, per impressum & inharentem impetum, translatio.

Quid ille  
sit.

Per impressum & inharentem impetum intelligo vim in corpore, quod movetur, existentem, quâ illud, quamdiu hæc vis in ipso existit, de loco in locum transfertur.

Quid im-  
petus: qui  
est in mo-  
tu.

Atque hic translationis impetus ab ipsa translatione ita differt, ut vis hominis cogitandi sive mens humana, ab ipsa ejus cogitatione, sive cogitandi actione à mente profectâ, distinguitur.

Quomodo  
impetus  
motus à  
motione  
differt.

Prout hic impetus major vel minor fuerit, ita magis vel minus vehementer moveretur corpus.

*Cur corpus quiescens, à quo aliud discedit, non sit dicendum motu.*

Atque hinc jam facile intelligimus, corpus aliquod quiescens, vel ut quiescens consideratum, à quo aliud corpus discedit, non esse dicendum moveri: quia in corpore hoc quiescente nulla est per impetum impressum & inhærentem translatio; quamvis hoc ab eo per alterius translationem separetur, & locus hujus mutetur.

*Motus origo & proprietates.*

1.

Vt materia universi, à Deo creata, in eo statu, in quo est, ex lege immutabilitatis naturæ, perpetuò manet; ita motū impetus, in creatione, nobis in Sacris reuelatâ, variis materiæ universæ partibus certâ quantitate inditus, perseverat, ex eâdem lege, in eodem quantitatis gradu.

2.

Et ut nullum corpus, nisi per accessum, vel decessum materiæ, antea existentis, augetur vel imminuitur; ita nullum mobile, nisi per accessum vel decessum impetūs motū, antea existentis, magis vel minus moveri incipit, vel desinit.

3.

Atque ut materiæ partes, ab uno corpore in aliud possunt transferri, &, quamdiu non transferuntur, ibidem ex lege universalis manent: ita motū impetus ab uno mobili in aliud mobile potest transire; &, quamdiu non transivit, in eodem subiecto, ex eâdem lege, esse perseverat.

*Nullus novus producitur motus; nec nullus perit: Sed motus tantum de uno corpore in alterum transeat.*

Ex his patet, nullum novum unquam, ratione istius impetūs, gigni motum; nec ullum etiam perire: sed motum de uno corpore in aliud tantum transire. Et quicquid moveretur, quod antea quiescebat, illud motum accipere ab alio, cui tantundem motūs decedit. Et contra, quicquid quiescit, quod antea movebatur, illud motum alteri communicare, istique tantundem motūs accedere. Et mobile semel motum, perpetuò moveri, donec motum suum alii corpori communicaverit. Atque hoc in globulis se mu-

tuò

tuō prudentibus satis clare appetet. Dum enim unus in alterum impellitur, si ipsum propellat, iste per translationem omnis motūs, s̄istitur; vel, propter partis translationem, tardius movetur: sin ipsum intactum prætereat, pergit celeriter moveri, quia nullam partem motūs alteri communicavit.

Cūm itaque motūs ita transeat ab uno corpore in aliud, isque sit accidens: hinc jam est manifestum, quod aliquid accidens possit transire de subjecto in subiectum; quod tamē à plurimis hactenus fuit negatum.

Nec novi motūs productionem probat, animalium ante quiescentium incessus, volatus, reptatio, vel natatio. Nam in omnibus motibus, ut postea in motu animalium docebimus, motus spirituum, ab æthereâ materiâ agitatorum, transit in musculos & fibras, artus animalium agitantes; ac quantum motus his partibus accedit, tantundem spiritibus decedit: Ita ut hīc non fiat novus motus, sed tantum motūs, antea existentis, nova ex uno corpore in aliud determinatio.

Neque motūs alicujus interitum arguit pila, ex. gr. magnā vi in arenæ cumulum conjecta, cuius motus, celsante arenæ tremore, totus periisse videtur. Nam motus ille pilæ non perii, sed primò in pulverem, & deinde in aërem, terram, aliaque vicina corpora, ita est diffusus, ut ille sensibus nostris non magis sit observabilis, quam arenæ subtilissimæ acervus, à vento procelloso distraetus, & in longissima ac distantissima spatia diffatus, visu vel tactu percipi potest.

Transfertur autem ille impetus motūs per impulsū satis validum, in aliud obvium vel affixum corpus factum.

Impulsus satis validus est, qui alterius corporis quiete vel tarditate major, illas superare potest.

Et quoniam hic excessus motūs, quietem obvii corporis,

*Atque  
hinc patet  
aliquid ac-  
cidens de  
subjecto in  
subiectum  
posse trans-  
ire.*

*Objectio-  
num solu-  
tio.*

*In motu  
animalium  
non fit no-  
vus motus;  
sed tantum  
nova mo-  
tus deter-  
minatio.  
Motus pi-  
la in are-  
nam con-  
jecta non  
perit.*

*Quomodo  
motus in  
alia corpo-  
ra transfe-  
ratur:*

*Vel totus;* vel ejus tarditatem superantibus, est varius : hinc per impulsum, vel totus motus in aliud corpus transfertur ; uti contingit, ubi pila in magnum arenæ cumulum cojicitur; vel, ut nonnulli testantur, ubi pila, in alteram, pondere & magnitudine æqualem, & piano æquali incumbentem, secundum lineam horizontalem impingens, hanc pari celeritate propellit, ipsa verò hujus locum, in plano isto æquali, cum quiete servat. Vel pars ejus alteri communicatur ; uti fit, cum pila minor in majorem, quiescentem impingens, ipsa resilit, majoremque tardiore motu propellit; aut cum globus major, in minorem quiescentem impingens, minorem celerius propellit, ipsa verò tardiùs minorem sequitur. *Vel nullus.* Vel denique nullus motus corpori obvio imprimitur ; uti contingit, cum duo ejusdem magnitudinis & soliditatis globi, pari celeritate, adversisque determinationibus, inter se concurrunt, & deinde pari celeritate in contrarium à se mutuò resiliunt ; aut ubi radii solares, in summam speculi superficiem obliquè incidentes, propterea ad angulos sensibiliter æquales reflectuntur.

*Cur magna corpora facile parva moveant ; difficuler à parvis moveantur.* Atque hinc jam facile intelligimus, quod corpora magna motum suum parvis facile communicent ; difficulter verò à parvis moveantur : & contrà, quòd parva corpora à magnis facile moveantur, difficulter verò ea moveant. Magna enim corpora, cæteris paribus, tum quiete, tum motu, plerumque sunt valida ; parva verò his sunt imbecillia.

Dico *plerumque*; sèpè enim contingit, ut corpus parvum motu sit validum, & corpus magnum quiete sit debile: ut in exemplis mox allatis fuit manifestum, & in vete, trochlea, cochlea, aliisque machinis passim est obviūm ; in quibus corpus motum unius ex. gr. libræ motu suo tam est validum, ut corpus quiescens centum millium, ex. gr. librarum in aëre, vel alio spatio, in quo hæc

hæc corpora æquè bene moveri possunt , de loco move-  
re queat.


A vero igitur est alienum hoc nonnullorum assertum : *Falsum est*  
*Si corpus aliquod planè quiescens sit triplo ex. gr. majus, quām al-*  
*terum in ipsum motu impingens; nunquam illud loco ab hoc mo-*  
*vebitur. Quamvis enim hoc corpus motum triplo sit minus*  
*altero, potest tamen impetum movendi habere decuplo*  
*& amplius majorem, quām est illa quiescendi vis, quæ in*  
*corpore illo altero quiescente triplo majore, non infini-*  
*ta, sed finita existit; quippe quæ ab alio corpore majore,*  
*in illud moto, procul omni dubio, superari queat.* *corpus ma-*  
*gnūm quiescens à parvo mo-*  
*to nun-*  
*quam loco posse mo-*  
*veri.*

Fons erroris in eo consistit, quod assertores illi hīc vim  
movendi & quiescendi ex solā magnitudine corporis æsti-  
ment : cum tamen in parvo corpore, innumeris testan-  
tibus experimentis, magna quiescendi & movendi vis, ut  
jam diximus esse possit.

Motus per impulsū ab uno corpore vel pluribus in  
aliud translatus, istius corporis, in quo existit, est pro-  
prius; quia non amplius est alterius: atque ideo illud  
non alieno; sed proprio movetur motu. Neque hīc major  
est difficultas, quam si hæreditatem, quæ à Sticho ad Se-  
jum pervenit, Seji esse dicam, ipsique propriam; etiamsi  
ea ab alio ad ipsum sit devoluta.

Quamvis autem ille motus à diversis, imo innumeris  
causis, diversimodè eodem tempore moventibus, inter-  
dum proficiscatur: semper tamen uni corpori, tantum  
unus est adscribendus motus; quia omnes isti motus, a-  
liunde orti, in uno subjecto uniuntur; eique sunt proprii.  
*Quicquid*  
*movetur,*  
*non alieno;*  
*sed suo mo-*  
*vetur*  
*motu.*


Sic nodus in currūs rotā, per terram planam ab equis  
protractā: circum ejus axem sese circumvolvens, unicūm  
arcuatū habet motum. Existat enim rota A B suo axe in  
puncto A, & nodus rotæ sit in parte ejus imā circa B: ro-  
taque deinde, per planū B protracta simul & circum-  
*Motus, à*  
*variis mo-*  
*ventibus*  
*uni cor-*  
*pori indi-*  
*tus, est*  
*unus.*



voluta, progrederiatur suo axe ad C, tum nodus ille arcuatè ascendet ex B in D: & ubi rota deinde suo axe venerit ad E, tum nodus arcuatè ascenderit ad punctum F: cumque postea rota suo axe progressa fuerit ad locum G, tum nodus arcuatè descenderit ex F in punctum H: & denique ubi rota suo axe venerit ad I, tum nodus ejus arcuatè descenderit ex H ad K, peregeritque totâ suâ circumrotatione & progressu unum motum arcuatum B D F H K: similemque alium arcum percurret nodus, si rota circulatione & progressione suâ ab I punto axem suum versus dextram ulterius promoverit.

An verò hæc linea arcuata spiralis, an trochoides, an alio ab aliis indigitetur nomine, cum nullo malevolo nugatore, vel sciole ἀναγριθμήτῳ volo contendere. Hoc enim nihil ad rem facit. Cùm nominis diversitas veritatem hujus demonstrationis non evertat.

Sic etiam si formica, ex. gr. per bacillum A B, horizontaliter situm, tantâ celeritatè à puncto A versus extremum punctum B, procurrat, ut dum bacillus ille perpendiculariter ab aliquo, ipsum utrâque manu sustinente, demittitur à loco A B ad locum C D, ipsa currendo perveniat ad extremum bacilli punctum B; tunc manifestum est, quod formica per



per istum suum progressum ab A in B, & descensum ab A B in C D ab altero factum, tantum unicum obliquum, ab A in D, habuerit motum.

Vt motus ille unicus, à diversis causis eodem tempore profectus, rectius intelligatur, actio singulorum moventium seorsim est consideranda.

Ita, ex. gr. motus pilæ plumbeæ è summo navis celerimè provectione malo, ad mali pedem, vel ab equitante in altum projectæ, & in manum ejus, perpendiculariter decidentis, qui fidem & intellectum multorum diu fatigavit, facile creditur & intelligitur, si causæ motus istius, ex progressivo ascensorio & descensorio compositi, rectè considerentur. Ascensus enim pilæ est à projiciente, & descensus est à gravitate, ut ajunt, plumbi; progressus vero, illos motus ascensorios & descensorios comitans, est à navis vel equitantis provectione ipsi impressus; atque ideo in ipsâ, ex lege immutabilitatis naturæ, adhuc, cum aliis motibus impressis, perseverat, cum à navis malo, vel equitantis manu, pila non amplius contingitur, aut movetur.

Quicquid movetur, id tendit, ut in motu suo, secundum lineam rectam, perseveret; nunquam secundum curvam.

Hujus rei testis est experientia, non tantum in motu recto, de quo nullum est dubium; sed etiam in curvo. Nam quicquid fundâ, vel alio simili circumrotatur instrumento, simul atque id libertati suæ relinquitur, mox secundum lineam rectam motum suum prosequitur. Hujus rei ratio in eo consistit, quod omnes lineæ curvæ partes minimæ, quæ revera dari possunt, sint, ut ex hoc experimento necessariò deducitur, lineolæ rectæ, in quarum unâ cum corpus motum, quando libertati suæ permittitur, ultimò existat; idcirco necessariò, per legem sive affectionem immutabi-

Quomodo  
motus isti  
uni, sed  
compositi,  
recte intel-  
ligantur.  
Cur pila,  
ex summo  
navis pro-  
cedentis  
malo de-  
missa, vel  
ab equi-  
tante in  
altum pro-  
jecta, ac  
deinde de-  
cidens, ad  
malipe-  
dem, vel  
in equitan-  
tia manum,  
cadat.

Omnis mo-  
tus tendit  
ad lineam  
rectam.

Idque et-  
iam ve-  
rum est in  
motu cur-  
vo.

Quia o-  
mnes linea-  
curva par-  
tes minima-  
reales sunt  
lineola re-  
cta.

litatis naturæ antehâc traditam, in illo statu debet manere, & motum suum secundùm lineam rectam, circulum ibi tangentem, prosequi. Si autem partes illæ circuli minimæ essent curvæ, mobile circumrotatum, & libertati postea relictum, ex illa lege sive affectione necessariò curvum prosequeretur motum. Cum autem hoc non fiat, hinc patet omnem circulum, qui revera in rerum natura datur, esse polygonum, sive figuram multangularem.

*Atque hinc omnis circulus realis est polygonum:*

*Et circuli realis quadratura est quadratura polygoni.*  
*Cur corpora in orbem acta tendant discedere à centro.*

Frustrà igitur hactenùs laborarunt multi, qui quadraturam imaginarii circuli, cuius sc. partes æqualiter, à centro distant, quæsiverunt; cum illa, etiamsi esset inventa, nullius esset in natura usus, propterea quod talis circulus nunquam detur.

Atque hinc jam patet veram realis circuli quadraturam, in quadratura polygoni, instar circuli considerati, quam Archimedes & multi alii post illum maximâ cum utilitate dederunt, consistere.


Cum itaque etiam in motu curvo omnis motus tendat ad lineam rectam, idcirco recedunt omnia corpora in orbem acta, quantum in ipsis est, à centro sui motûs.

Dum enim, ut jam demonstravimus, corpora A & B,

per circulum E F mota, ad lineam rectam A C vel B D, circulum tangentem, tendunt, conantur à circulo E F, ac proinde à centro ejus G recedere.

Omnis autem motus curvus oritur à corporibus circumiacentibus, quæ mo-

*Origo motus curvi;*




motui recto obstant, eumque in obliquum determinant.

Hoc patet in aëris vel aquarum vorticibus, qui originem ex eo ducunt, quod ventus vel aqua, in angulum aliquem corporum obstantium propulsa, ad lineam rectam tendere impediatur, & ideo ab uno latere ad aliud vicissim resiliens, atque ab insequente aëre vel aquâ per vices repulsa, in orbem agatur.

Cum autem aëris & aquarum isti vortices, ob inæquallem venti & aquæ repulsionem, à circumstantibus corporibus inæqualiter vicissim agentibus factam, sèpè non sint circulares A B, in se sc. redeuntes, sed spirales C D, ad

*Qualis est  
in vortici-  
bus.*

*Cur aqua-  
rum pleri-  
que vorti-  
ces illapsa  
corpora ad  
centrum  
suum  
propellant,  
ibique ea  
demergant.*




interiora semper magis magisque suo curvo motu vergentes; hinc fit, ut corpora, in hujusmodi spirales vortices prolapsa, non ad peripheriam, sed ad centrum perpetuò magis magisque propellantur, ac tandem vi istius propulsionis ibi demergantur.

Quandoquidem omnia spacia sunt corporum plena, vel potius sunt ipsissima corpora, nec datur penetratio dimensionum, ut postea docebimus, idcirco, cum corpus aliquod de loco movetur, illud movet eodem tempore aliud corpus de suo loco, & illud rursus aliud; quod cum,

*In omni  
motu sic  
quodam-  
modo cir-  
culus.*


ob omnium aliorum corporum resistentiam alium locum non inveniat, quam illum, quem corpus primò motum relinquit, idcirco hoc in primi locum necessariò venit: atque ita in omni motu sit quodammodo circulus; hoc est eò sit itus, unde primò factus est abitus, qualis in circuli formatione fieri solet.

Atque hoc in excavato circulo XY Z, globulis pleno,



*Quando  
circulus  
ille impedi-  
tur, nullus  
est motus.*

*Cur liquor  
ex arundi-  
naceo hauf-  
stro, infe-  
ria perto  
& supe-  
rissim  
clauso, quo  
centinetur,  
non ef-  
fluat.*



ad oculum patet. Dum enim globulus A ad dextram movetur; tum propellit ille codem tempore globulum B & reliquos omnes vicinos, ita ut globulus C veniat in illum locum, quem globulus A primùm reliquerat.

Quandocumque illa circularis loci mutatio in motu faciendo fieri nequit, tunc

nullus est motus: quia tum non datur locus, in quem corpus movendum se recipiat.


Atque hoc apparent in haustro vinariorum arundinaceo ABC, liquore aliquo crassiusculo aquæ vel vini pleno, & in superiori parte A clauso. Quamvis enim liquor haustro contentus aëre foris existente multò sit gravior; quia tamen aér de loco suo à liquore deturbandus, ob foramen haustri superiorius clausum, in locum liquoris, ex haustro per inferius foramen C egressuri, intrare non potest, atque ita circulus corporum movendorum fieri nequit, idcirco liquor in haustro contentus, locum, quem ingrediatur non inveniens, ex eo non egreditur, sed ibidem manet, nullusque hīc sit motus.

Idem

Idem apparet in lapide A, qui ex filo B, cum orbiculo coriaceo C, salivâ agglutinato, dependet. Lapis enim, de coriaceo isto orbiculo descensurus, aërem ambientem de loco debet dimovere, & aëris de loco dimovendus, in locum lapidis sub corium sese eodem tempore debet intergerere: Verùm cum in illo descensu primum rimula inter lapidem & orbiculum coriaceum debeat fieri valde exigua, antequam magnum, inter ea fiat interstitium; cumque aëris crassior sit, & magis expansas & à subtili materia illum intercurrente extensas habeat particulas, quām quae in parvam istam rimulam se possint insinuare: hinc, dum aëris à lapide delapsuro de loco deturbari, & inter corium & lapidem propelli non potest; circulus corporum movendorum fieri nequit, manetque lapis cum coriaceo orbiculo conjunctus, nec ab illo suā gravitate decidit.

Potest tamen contingere, ut lapis, ex orbiculo coriaceo ita dependens, ob magnum suum pondus, vel aliud ipsi pendenti postea additum, tam sit gravis, ut ille mox ab orbiculo decidat. Quod fit, quia lapis ista mole tam ponderosus est, ut aëris subjecti expansas & ab intercurrente, æthere extensas partes adeò possit comprimere, ut æther sive subtilis materia, de quo postea, ex illo expressa, inter totum lapidem & corium se primò insinuare, & deinde ailiis aëris partibus locum ad intercurrendum, dum lapis ex corio decidit, præbere possit.

Porrò omnis motus est naturalis, quandoquidem fit secundūm naturæ leges, nec ullus contra illas fieri potest. Omnis etiam motus est violentus, quatenus à vi impressi impetus oritur.



*cur lapis  
ab orbiculo  
coriaceo,  
cui salivā  
est aggluti-  
natus, in-  
terdum  
non deci-  
dat;*

*Interdum  
ab eo ca-  
dat.*

*Omnis mo-  
tus est na-  
turalis &  
violentus.*

*Motus lapidis sponte decidentis &que est violentus ac lapidis sursum projecti.*

*Cur quedam corpora mota, quamvis motus ulterior impressio non fiat, ulterius tamen moveantur; quodam vero tum mox quiescant. Motus aliud est per-*

*severans, aliud adventitius. Vectio, pulsio, tractio, volutatio.*

*Pressio est referenda ad pulsionem.*

Nec enim motus lapidis, sursum projecti, magis est violentus, quam est motus pilæ è manu elapsæ, & ad perpendicularum decidentis. Nam ut lapidis in altum projecti motus à vi ejus, qui illum sursum projicit; ita pilæ versus centrum terræ perpendicularis delapsus proficiscitur, ut infrà patebit, à cæli, tellurem celerrimè circumcurrentis, ejusque partes versus centrum ejus undique comprehendentis maximâ violentiâ.

Adhæc motus, quo mobile movetur, aut secundum modum corporis movendi est magnus, & ablato movente, illud diutulè moveri perseverat; quia motum suum vicinis corporibus non facilè communicans, eum aliquamdiu servat: aut est parvus, & mobile mox cessat moveri, simul atque movens à motu impressione abstinet; quia ille vicinis corporibus mox communicatur, atque ideo mobile, omni motu destitutum, statim quiescit. Prior ille motus perseverans dici potest, quod diutiùs in corpore moto esse perseveret: Posterior adventitius est dicendus; quod singularis ferè momentis aliis atque aliis motus ad mobile adveniat.

Adventitius motus est vectio, pulsio, tractio.

Ad tractionem & pulsionem pertinet volutatio: quia hæc illis perficitur; ut appareat in volutatione cylindri vel globi, qui vel trahendo vel pellendo circumvolvuntur.

Ad pulsionem pertinet pressio, quæ est frequens & celerrimè reiterata alicujus corporis talis pulsio, quâ illud de loco suo visibiliter non movetur, sed celerrimè tantum, quamvis invisibiliter, ultrò citròque concutitur, & contremiscit. Talis ex. gr. observatur pressio, in laude magno humeris alicujus bajuli imposito, qui identidem à vortice nostri cæli tellurem citissimè circumcurrente, de quo infrà, celerrimè reiteratis, sed invisibili-

bus

bus tamen pulsionibus , humeros bajuli , mediante aëre, deorsum movet , & à spiritibus muscularum bajuli vicissim celerrimè attollitur. Talis pressio etiam observatur , ubi duo fortes luctatores , contrariis nisibus se mutuò irrito conatu , ob æquales suas vires , prosterñere laborant. Ibi enim alter alterum celerrimè reciprocatis vici bus paululum repellit ; atque ideo neuter alterum prosterñit. Et certè , nisi in his & similibus pressionibus , talis reciproca sit pulsio , nullus in tali pressione erit motus , ac proinde illa pressio sentiri non poterit ; cum omnis sensus sit motū perceptio : atqui hoc absurdum esse docet experientia , quâ pressionem sentiri constat.

Tractio nunquam fieri potest , nisi trahens corpori attractorium affixum fuerit. Alioqui enim trahens nullum motum corpori attrahendo imprimere potest.

Neque vulgares attractiones magneticæ , electricæ , alimentariæ , similitudinariae , sympatheticæ , vacuifugitoriae , vel aliæ similes , multis rebus haçtenus malè attributæ , hic quicquam obsunt. Cum in omnibus istis motibus nulla vera sit attractio , sed sola pulsio illos efficiat , uti in sequentibus , datâ occasione , clare ostendemus.

Motus motui in eodem subjecto additus facit celeritatem. Et quantò illa additio motū est major & frequenter , tantò major evadit illa celeritas.

Atque hinc fit , ut lapis ex altiori decidens loco , in principio tardè , & postea paulatim celerius ac celerius à cælo tellurem circumcurrente , de quo postea acturi sumus , moveatur. Hinc etiam malleo , longiore manubrio instructo , ut & longiore gladio , vehementiores inferuntur ictus. Nam in omnibus istis , dum mobilia per maiora feruntur spatia , priori motui novus motus perpetuò , ob magnitudinem spatii , per quod feruntur , à movente additur.

*Tractio est  
sotorum  
affixorum.*

*Objectio-  
num refu-  
tatio.*

*Motus mo-  
tui additus  
facit ce-  
leritatem.*

*Cur lapis ,  
ex loco alto  
decidens ,  
paulatim  
celerius  
moveatur.*

*Cur lon-  
giore gla-  
dio &  
malleo ve-  
hementio-  
res infe-  
rantur  
ictus.*

Mo-

Motus à  
motu ab-  
latus facit  
tardita-  
tem.

Cur proje-  
cta paula-  
tim tar-  
dus mo-  
veantur.

Motus celer  
potest esse  
parvus; &  
tardus pot-  
est esse  
magnus.

Motus verò, ab ejusdem subjecti motu ablatus, facit tarditatem. Et quò illa ablatio est major & diuturnior, tantò major evadit illa tarditas.

Atque hinc fit, ut missilia, manu, arcu, vel alio instrumento, magnâ vi emissa, primò celeriter, & deinde tardiùs ac, porrò tardiùs, moveantur, & tandem omni motu destituta quiescant. Dum enim illa per aërem vel aliud corpus transeunt, communicant paulatim isto suo transitu corporibus istis magis & magis suum motum, atque ita illum sibi ipsis magis magisque demunt, quo tandem omni motu destituuntur.

Vt motus parvi corporis potest esse celer, licet non sit validus, uti appareat in celeri virgæ alicujus vibratione, cui ab occurrente corpore facilè resisti potest: ita motus magni corporis potest esse validus, licet non sit celer, ut conspicitur in lento fluminis motu, cui magna moles sæpe resistere non possunt.

## C A P V T VI.

Vi magni-  
tudo motus  
corporis  
magni, sed  
tardè moti,  
potest pro-  
ducere in  
corpore  
parvo mo-  
tum cele-  
rem; ita  
celeritas  
motus cor-  
poris parvi  
potest pro-  
ducere in  
corpore  
magno mo-  
tum ma-  
gnum, sed  
tardum.

*De Vectis, plani inclinati, trochlea, libræ, axis in peritrochio,  
cochlea, & cunei viribus.*

**V**Erùm, ne insignem illam motūs proprietatem, quæ maximam in omnibus fere machinis passim præbet utilitatem, silentio prætereamus, monendum hic est, quod

Vt magnitudo motūs corporis magni, tardè moti, sæpe ob magnam impulsionem, in parvum corpus factam, in illo producit motūs celeritatem; ut fit, cum aqua profluens copiosa, per angustias cataraðtarum determinata, molas aquáticas magnâ celeritate circumrotat: Ita motūs celeritas corporis parvi, per magnum spaciū moti, producit sæpe ob celerem impulsionem quæ magnam & tardam

dam superat , motum magnum , sed tardum , in corpore magno , per spatium proportionatum moto ; ut videmus fieri in vête , plano inclinato , trochleâ , & aliis machinis ; in quibus magna corpora , magnum motum à parvis corporibus rectè adhibitis , ob solam horum motus celeritatem , magnitudinem tardi motûs superantem , accipiunt.

Quo autem tarditas illa mobilis , & celeritas moventis , magis per machinarum istarum adaptationem augetur , tantò vehementior motus per celeritatem moventis imprimitur mobili .

Atque ideo , quia illa proportio celeritatis , in parvo corpore existentis , ad magni mobilis tarditatem , in illis machinis , per earum conformatiōnem & adaptationem variam , infinitis rationibus potest augeri & variari ; id circò quælibet earum data celeritas , quamvis motus magnitudinem , in rebus iis movendis producere potest .

Adhæc , quia corpora magna cum parvis ita adaptati machinis possunt , ut , ob illam adaptationem , nec minus pondus majorem sublationis celeritatem à majore ponde- re ; nec majus pondus , majorem sublationis motum à minoris ponderis celeritate possit accipere , tunc quia deest causa sufficienter movens , manent ambo pondera , ex lege immutabilitatis naturæ , in eodem loco . Atque hæc in vête , plano inclinato , trochlea , axe in peritrochio , cochlea , & cunco , facilè demonstrari possunt .


Sit itaque vête primus A B , habens sc. hypomochlium C , inter movens B , & mobile A , situm , qui , v. gr. brachium C B duplo habeat longius , quam est brachium A C ; quando ille transferetur ex loco A B in locum D E , tunc brachium B C , ob illam adaptationem , duplo celerius movebitur brachio A C : nam si puncta B E distent duobus pedibus , puncta A D distant tan-

*Quomodo  
in machi-  
nis quavis  
magna  
corpora à  
quibusvis  
parvis mo-  
veri pos-  
sint.*

*Cur corpo-  
rā magna  
cum parvis  
in equi-  
librio ope  
machina-  
rum possint  
stare.*

*Vête effi-  
cacia ratio.*

*Vête pri-  
mus*




tum uno; atque ideo pondus, appensum in B, poterit ferè duplum sui ponderis, per suam duplo majorem celeritatem, de loco movere.

Et quia celeritas brachii CB augetur, pro ratione suæ majoris longitudinis, quâ longitudinem brachii AC superat, idcirco pro auctæ ejus longitudinis ratione, vis movens ponderis, ipsi appensi, etiam augetur; atque ideo, si vectis brachium CB sit millecuplo longius brachio AC, celeritas ponderis in B appensi, millecuplo aucta, poterit pondus tantillo minus quam millecuplum, ex A appensum, in altum evehere; quia celeritas motûs brachii CB, est major magnitudine motûs, qui est in magno pondere ex A appenso.

Si verò brachia & pondera appensa ita sint proportionata, ut se mutuò reciprocè æqualiter excedant, ita ut ex. gr. brachium CB sit duplum longitudinis brachii CA, & pondus ex A suspensum, sit duplum ponderis ex B suspensi, tunc, quia ex istâ adaptatione nulla causa est, cur majus pondus minoris celeritatem, vel minus suâ motûs celeritate, majoris motum augeat, ideo utrumque pondus manet in suo loco, hoc est, manet in æquilibrio.

*vectis secundus.*




Quod dixi de vecte primo, idem verum est in vecte secundo A C B, hypomochlium sc. sive fulcrum habente in extremo vectis A,

A , mobileverò inter hypomochlum A & movens B ,  
 Dum enim manus B , ex puncto B , transfertur in D ,  
 tum pondus C , ( quod hic ex. gr. medio loco est situm  
 inter hypomochlum B & manum moventem B , ) duplo  
 tardius eodem tempore , propter hanc adaptationem ,  
 attollitur ex C in E ; atque ideo vis attollendi manus  
 B duplo celerius eodem tempore mota , poterit in C  
 puncto , 200 libras attollere ex C in E , cum sola tan-  
 tum 100 potest attollere ex B in D .

Multum verò discriminis est inter vectem , qui parallele  
 cum horizonte , & illum , qui ad horizontem vel ab hori-  
 zonte , movetur .

Cum enim vectes ex.gr. A & C , terræ superficie sem-  
 per parallele , per circulum A B C D A , ad pondus G ,


*Differentia  
efficacia  
vectis pa-  
rallele cum  
horizonte ,  
motu , &c.*



fune ductario E G , attollendum , circum axem EF ,  
 moventur : quandoquidem pondus movendum G tum  
 semper , nisi quid obstet , æqualiter ascendit , requiritur et-  
 iam in illis vectibus , per circulum illum , A B C D A  
 parallelè cum horizonte movendis , semper vis æqualis .

*eius , qui  
versus  
horizon-  
tem move-  
tur.*

Cum verò vectis. ex. gr. *cfi*, circum clavum F, qui híc hypomochlii vices sustinet, versùs terræ superficiem, secundūm ductum semicirculi, ex. gr. *abcde*, &



pondus attollendūm *i*, secundūm ductum semicirculi,  
ex. gr. *ghikl*, à terræ superficie, movetur: tum, quia est  
inæqua-

inæqualis ponderis movendi à terra ascensus , idcirco etiam , modò major, modò minor , ad ponderis movendi sublationem , in movente requiritur vis.


Dum enim ille vectis per semicirculi quadrantem *ab* movetur , tum fertur pondus movendum per oppositi semicirculi quadrantem *gh* , ascenditque à terræ superficie tantùm ad parvam altitudinem *gm* : atque ideo ad hoc efficiendum etiam parvæ in movente requiruntur vires.

Vbi verò vectis deinde alterum semicirculi quadrantem *bc* percurrit , tum fertur pondus movendum per oppositi semicirculi quadrantem *hi* , ascenditque ad altitudinem præcedente multò majorem *mf* , atque ideo multò etiam majores vires , ad illam ponderis sublationem , requiruntur. Quod etiam sit, ubi vectis fertur per semicirculi quadrantem tertium *cd* , & pondus movendum percurrit oppositi semicirculi quadratrem *ik* ; nam tum ponderis ascensus est ad magnam altitudinem *fn* , quæ altitudini magnæ *mf* est æqualis , atque ideo etiam similes magnæ vires , ad illam sublationem magnam peragendam , hic sunt necessariæ.

Denique ubi vectis quartum istius semicirculi percurrit quadrantem *de* , pondusque oppositi semicirculi quadrantem *kl* transit , tum attollitur pondus rursus ad parvam altitudinem *nl* , cui peragendæ rursus etiam parvæ vires sufficiunt.

Porrò sit planum inclinatum rectangulum A C B , oujus linea inclinata A C sit dupla ad perpendicularē A B , & imponatur lineæ inclinationis A C , pondus D , alligatum funi ductario D F E , quod sit paulò minus , quam duplum ponderis ex E appensi ; tum celeritas descensus ponderis E , ex E in B descendentis , duplo est celerior ascensu ponderis D , ex C in F per-

venientis.



venientis. Dum enim pondus D ex C in F obliquè feratur , altius non ascendet , quam est altitudo G B , quæ est dimidium altitudinis A B , quam pondus E , ex E in B descendendo , totam percurrit . Atque ideo pondus alligatum in E poterit , ope funis ductarii recte adaptati , pondus D , quod ejus ferè est duplum , per suam , paulò plus quam duplo majorem celeritatem , de loco movere .

Et quia celeritas ponderis appensi E , augetur pro ratione majoris longitudinis , quâ linea inclinata A C , longitudinem lineaē perpendicularis A B superat , idcirco , si linea inclinationis A C sit millicuplo longior perpendiculari A B , celeritas ponderis in E appensi , millicuplo aucta , poterit pondus , tantillo minus quam millicuplum , funi ex D alligatum , in altum evehere : quia celeritas motus in pondere E , est major magnitudine motus , qui est in pondere D .



Sit deinde trochlea vel annulus A , per quem traciatur funis ductarius B A F C , qui uno suo extremo sit alligatus clavo C parieti infixo , altero verò sustineatur à manu

*Trochlea  
efficacia  
ratio.*

manu B, quæ sola sine aliquo machinæ auxilio centum libras attollere sufficiat; pendeatque ex annulo vel trochleâ A pondus D; tum ex ista funis ductarii duplicatione, celeritas manus B, ex B versus E sese attollentis, fit duplo celerior motu ponderis appensi D, dum enim manus B unum pedem conficit, ascendendo ex B versus E, trochlea cum appenso pondere, ob duplicationis istius adaptationem, isto motu tantum ascendit ex A ad F, quod tantum dimidii pedis altitudinem constituit: atque ideo manus B, quæ sola tantum centum libris attollendis sufficiebat, poterit jam ope hujus machinæ, ob celeritatem ex eâ funis duplicaturâ, duplo, supra celeritatem attollendi ponderis D, auctam, ducendas libras commodè attollere.

Si verò illa duplicatio funis ductarii, annulum sive trochleam inferiorem transcurruntis, reiteretur, ut videre est in machinâ trochleari K G I H, tum, quia ex eo quadruplicata est celeritas manus H, supra celeritatem ponderis appensi I, poterit manus H, quæ sola centum libris, & priore trochleâ instructa ducentis attollendis par erat, jam hac machinâ quadringentas libras in altum evehere.

Et ita per plures funis ductarii sub infe-




riore annulo vel trochleâ reduplicationes, possumus vires attollentis, per illam auctam celeritatem, in infinitum augere.

Dico autem duplicationem funis ductarii, sub inferiore annulo factam, augere vires; quia duplicatio, per superiorem trochleam K facta, celeritatem motus, teste experientiâ, nec auget, nec imminuit.

Atque ex his tribus machinis jam explicatis, ratio libræ, axis in peritrochio, cochleæ, cunei, aliarumque omnium similium machinarum, satis commodè reddi potest.

Nam libra A C B est vectis primus, cuius brachia A

*Ratio libræ.*




& B sunt æqualia, sive æque longe ultra hypomochlium C extensa.

Axis

Axis in peritrochio, i. est multitudō vectū ABC,  
Axis in peritrochio,

33



uni cylindro sive axi DE, circumpositorum multitudō.


\*Et cochlea 2, est planum inclinatum AB, circum cylindrum CD volūtum, & vecte gemino E & F instructum.

*Cochlea.*

Cuneus verò  
3, est planum  
inclinatum gemi-  
num AC, & CB.

*Cunei.*

Sciendum au-  
tem est, quòd in  
usu cunei ACB  
ictu mallei ND,  
ab M in AB, bra-  
chio propulsī, non  
tantūm hoc effi-



ciatur, ut lignum findendum E F G H, propter inclinationem laterum cunei A C, C B, non nisi valdè tardè, & contra malleus cum manu & brachio valdè celeriter, ob longitudinem brachii & manubrii I K, inter findendum moveri possit; sed etiam illud huc accedat, quod ex duabus partibus ligni findendi E G, & F H, duo fiant vectes secundi, qui motus sui celeritate, ex longitudine paulatim magis magisque auctâ, vehementem & magis magisque crescentem fissionis motum, parti ligni findendi L, impriment.

## C A P V T VII.

*De motus determinatione, reflexione, & refractione.*

*Motus distinguendus ab ejus determinacione.*

**I**N corporum motibus, motus rectè distinguendus est ab ejus determinatione. Motus enim motui nunquam adversatur; sed determinatio determinationi quam maximè est contraria: quia hæc mutuò destruunt; isti verò se mutuò nunquam tollunt vel imminuunt; ut docet experientia. Nam pila, ex. gr. magna, celeriter in parvam quiescentem vel tardiùs aliquò procedentem, adversâ determinatione, impingens, quietem vel tarditatem, nec non ejus determinationem, motu celeriore & contrariâ determinatione immutat. Si verò duo corpora dura æqualia, æquè celeriter, sed contrariâ determinatione, in se mutuò impingant, illa æquali motu servato, sed determinatione utriusque in contrariam mutatâ, à se mutuò in contrarium resiliunt.

*Quid determinatio motus.*

*Vnde hoc oriatur.*

Est autem determinatio, motus mobilis versus certum terminum directio.

Vt motus oritur à corpore movente, ita hæc originem dicit ex situ superficie corporis moventis, vel obvii.

Quid

Quid situs corporis moventis h̄ic possit, manifestum est in determinatione pilæ reticulo propulsæ, quæ, pro varietate sitūs reticuli moventis, in diversas partes perpendiculariter vel obliquè propellitur.

Quid vero corporis obvii situs h̄ic valeat, patet in pilâ in parietem projectâ, quæ, pro situ superficie parietis vario, diversimodè, vel ad perpendiculum, vel obliquè, resilit.

Corpus obvium sape determinationem corporis moti mutat, licet ipsum sit immobile: quia h̄ic sola sufficit resistentia, quæ etiam ab immoto corpore, per legem immutabilitatis naturæ, fieri potest. Atque hoc in pilâ, in terram quietam projectâ, & contrariâ determinatione ab illa resiliente, est manifestum.

Quomodo  
corpus ob-  
vium que-  
scens deter-  
minatio-  
nem moti  
corporis  
mutet.

Determinatione, respectu sitūs corporis obvii, alia est simplex, alia composita.


Determi-  
natio sim-  
plex.

Simplex determinatio est, quâ mobile simplici modo corpus objectum petit.

Talis determinatio, ex. gr., est, cum corpus A, à puncto A, per lineam directam A B, in corpus E F, ipsi diametraliter oppositum, simplici descendendi modo dirigitur.

Cur corpo-  
ra, direc-  
te in alia cor-  
pora inci-  
dentiæ; se-  
cundum  
eandem li-  
neam dire-  
ctam resi-  
liant.


Eaque, propter suam simplicitatem in determinationem contrariam directam B A, quæ vulgo reflexio directa appellatur, nunquam in obliquam B C, vel B D, vel aliam, ab obvio & resistente corpore,



mutari potest. Cum enim hæc determinatio corporis A, ab A in B, sit directa & simplex, in eo statu, per legem immutabilitatis naturæ, quantum potest, permanere conatur, atque ideo ab opposito corpore E F, per ejus resistentiam, tantum in directam contrariam, simplicemque determinationem B A, mutatur.

*Determinatio composita.*

Composita determinatio est, cum mobile modo composito versus corpus obvium fertur.



Talis est ex.gr. cum corpus C, à puncto C, per lineam obliquam C B, in corpus E F, oblique ei oppositum, modo ex progressivo laterali, secundum longitudinem C G, & descendit, secundum altitudinem G B, compositò, moveatur.

*Cur corpora, oblique in alia incidentia, oblique in oppositam partem reflectantur, vel refringantur.*

In hac, mobile alteri corpori occurrens, motumque suum servans, unam determinationis partem, ex lege immutabilitatis naturæ, retinet integrum, & secundum illam porro movetur, mutatâ alterâ; quia corpus obvium tantum uni determinationis parti adversatur. Et hinc fit, ut mobile, si hîc ulterius progredi non possit, patiantur obliquam versus opposita reflexionem; si verò possit refractionem, hoc est, obliquam à rectâ inchoatâ lineâ, deflexionem.


Ita ex.gr. mobile C, descendens secundum obliquam lineam C B, versus corpus obvium E F, ibique in punto B impingens, si ulterius tendere nequeat, mutat, pro-

propter resistantiam obvii istius corporis , descensoriam suam determinationis partem in ascensoriam , eaque , cum lateral i & ad dextram tendente determinatio nis parte integrâ , quia illa situi obvii corporis non adver satur , ascensit sive reflectitur versus il-


lam partem circuli , ubi situm est punctum D.

Si verò corpus C , per lineam obliquam C B , in corpus E F , puncto B , impingens , ulterius tendere queat ; tum , quia corpus obvium E F faciliorem , vel difficilio rem mobili corpori C præbet transitum , necessariò de terminatio nis pars descensoria , cui soli corpus obvium E F suo situ est oppositum , ob faciliorem transitum , ac celeratur , vel propter difficiliorem retardatur , manente interim determinationis parte laterali integrâ & non mutata , quod corpus obvium E F suo situ ei non adver satur ; atque ideo , cum descensus acceleratur , movetur mobile C à puncto B , non rectâ versus punctum I , sed deflectitur ab inchoatâ rectâ linea , sive refringitur , ver sus punctum H , & , si ejus descensus retardetur , refrin gitur sive deflectitur versus punctum K : quod ex fe quenti demonstratione magis erit manifestum .

In compositâ reflexione , si motus neque accel eretur , neque retardetur , angulus incidentiæ & reflexio nis sint æquales . Si verò acceleretur , angulus reflexionis , sicut & refractionis , est major ; si retardetur , est illo mi nor .



*Cur angulus reflexionis interdum angulo incidentia sit æqualis.*



Sic ex. gr. si mobile C , per lineam obliquam CB , moveatur in corpus obvium EF , ei obliquitate 45 graduum oppositum , perveniatque spatio duorum momentorum , à puncto circuli C , ad punctum oppositi corporis B , ita ut illud mobile C , dum lineam obliquam CB , versus corpus objectum EF , percurrit , descendat secundūm altitudinem GB , & progrederiatur dextrorsum , longitudine CG ; motū autem celeritas in puncto B nec augeatur , nec minuatur: jam certum est , quod illud mobile , à puncto B , propter obstaculum corporis EF , pari motu reflexum , debeat spatio duorum aliorum momentorum ad altitudinem BG ascendendo , & longitudine GD , quæ longitudini CG est æqualis , dextrorsum vergendo , lineam obliquam BD , percurrere , atque ita angulum reflexionis DBF , angulo incidentiæ CB E æqualem efficere.

*Cur angulus reflexionis angulo incidentia interdum sit minor.*

Si verò corpus A , per radium obliquum AC , versus corpus oppositum DE , oblique descendendo , ad centrum C spatio unius momenti perveniat , ita ut inter descendendum longitudine lineæ AF dextrorsum fera tur ; motū vero celeritas in puncto contactū C idimidiā parte imminuatur ; manifestum est , quod mobile A , ab opposito corpore DE in centro C reflexum , debeat spatio duorum momentorum , radium obliquum æqualem ascendendo , percurrere : & quia determinatio-

nis


nis hujus compositæ pars lateralis ab op-  
posito corpore , ut-  
pote ipsi non adver-  
verso , non mutatur,  
idcirco debet corpus  
mobile, dum duobus  
momentis radium  
obliquum C B af-  
cendendo percurrit,  
duplâ longitudine li-  
neæ A F , quæ est  
longitudo lineæ

G B , dextrorsum vergere , atque ita per reflexionem ad circuli punctum B necessariò pervenire , ibique efficere ut angulus reflexionis B C E sit minor , quam est angu-  
lus incidentiæ A C D.

Contra verò , si mobile B , per radium obliquum B C ,  
versus corpus oppositum D E oblique descendendo , ad  
centrum C spatio duorum momentorum perveniat , i-  
ta ut inter descendendum , longitudine lineæ B G , fini-  
strorsum feratur , motûs autem celeritas in punto conta-  
ctûs C duplicitur : indubitatum est , quòd mobile B , ab  
opposito corpore E D in punto C reflexum , debeat  
spatio unius momenti radium obliquum æqualem ascen-  
dendo percurrere ; & quia determinationis hujus com-  
positæ pars lateralis , ab opposito corpore , utpote ipsi  
non contrario , relinquitur non mutata , idcirco debet  
hoc mobile , dum uno momento radium C A ascenden-  
do percurrit , dimidiâ longitudine lineæ B G , quæ est  
F A , sinistrorsum vergere , atque ita ad circuli punctum  
A necessariò pervenire , ibique efficere , ut angulus reflexio-  
nis A C D major sit , quam erat angulus incidentiæ BCE.

Atque

*Cur angu-  
lus refle-  
xionis an-  
gulo inci-  
dentiæ in-  
terdum sit  
major.*




*Mobile in  
puncto re-  
flexionis re-  
non quie-  
scit; sed mo-  
vetur.*

Atque hæc de reflexione diximus, in quâ hoc præterea est observandum, quod mobile, ubi ad punctum reflexionis pervenit, non quiescat. Si enim ibi quiesceret, ex lege immutabilitatis naturæ deberet in statu quietis permanere; atque ita non reflecteretur: quia nulla esset causa, quæ illud de statu istius quietis, ad motum reflexionis faciendum, deturbaret.

Reflectitur autem mobile in puncto reflexionis, quia illud habet ibi motum, atque idco, ex lege immutabilitatis naturæ, in eo, donec motum suum alteri corpori tradiderit, in statu motûs necessariò perseverat. Cumque corpus obstans, in quod mobile incidit, progressivæ ejus motus determinationi aduersetur, hinc convertitur ea in regressivam, hoc est, ut verbo dicam, mobile reflectitur.

*Cur angu-  
lus refrac-  
tionis an-  
gulo inci-  
dentiæ in-  
terdum sit  
minor.*

Quantum ad refractionem, si radius luminis A, secundùm lineam obliquam A B, versus superficiem aëris oppositam E F, oblique per poros vitri à puncto peripheriae A, ad punctum B, spatio unius momenti perveniat, ita ut inter descendendum, longitudine lineæ A G, dextrorsum feratur, motûs verò celeritas in puncto contactûs B, à superficie aëris, per quem radius luminis difficiliùs ob aëris fluiditatem, quam per vitrum, utpote stabilius, potest transire, dimidiâ ex parte imminuatur; tum certum est, quod radius A, superficiem aëris E F, in centro B ingrediens, debeat



tûs verò celeritas in puncto contactûs B, à superficie aëris, per quem radius luminis difficiliùs ob aëris fluiditatem, quam per vitrum, utpote stabilius, potest transire, dimidiâ ex parte imminuatur; tum certum est, quod radius A, superficiem aëris E F, in centro B ingrediens, debeat


debeat spatio duorum momentorum lineam obliquam æqualem, ulterius descendendo, percurre; & quia determinationis hujus pars lateralis ab oppositâ aëris superficie E F, utpote ei non adversâ, non immutatur, idcirco debet radius, dum duobus momentis lineam obliquam B D, ulterius descendendo percurrit, duplâ longitudine lineaæ A G, quæ est longitudo lineaæ H D, magis dextrorsum vergere, atque ita ad punctum circuli D necessariò pervenire, ibique efficere, ut angulus refractionis F B D sit minor, quam erat angulus incidentiæ A B E.

Rursus, si radius A, secundum lineam A B, versus superficiem vitri ei oppositam E F, obliquè per poros aëris, à puncto circuli A ad centrum B, spatio duorum momentorum perveniat, ita ut inter descendendum longitudine lineaæ A G dextrorsum feratur; motus verò celeritas in puncto contactûs B,

à superficie vitri, per quod radius, ob eius stabilitatem, facilius, quam per fluidum aërem potest transire, duplo evadat fortior: tum patet, quod radius A, superficiem vitri E F, in centro B, ingrediens, debeat spatio unius momenti lineam priori æqualem, ulterius descendendo, percurre; & quia determinationis hujus compositæ pars lateralis, ab oppositâ vitri superficie E F, utpote ipsi non adversâ, immutata relinquitur, idcirco debet radius luminis, dum uno momento lineam obliquam B C, ul-

F terius

*Cur angulus refractionis angulo incidentiæ interdum sit major.*



terius descendendo, percurrit, dimidiâ longitudine linea<sup>e</sup> A G , quæ est longitudine linea<sup>e</sup> I C , magis dextrorsum vergere; atque ita ad punctum circuli C necessariò pervenire, ibique efficere, ut angulus refractionis F B C sit major, quam erat angulus incidentia<sup>e</sup> A B E.

## C A P V T VIII.

*De quiete, situ, figurâ, & magnitudine partium.*

**E**Xposito motu, videnda sunt reliqua, quæ materiale formam constituunt.

*Quies.* Et quantum ad quietem attinet; ea est corporis, per inhærens sufflamen, in eodem loco permancio.

*Sufflamen.* Per inhærens sufflamen intelligo vim in corpore existentem, quâ illud in eodem loco, vel magis, vel minùs, retinetur.

*Quies est positivum quid.* Quies æquè positiva est, atquè motus: nam hæc, pro magnitudinis suæ ratione, motui vel magis vel minùs resistit; motūs determinationem immutat; partesque corporis continui & duri connexas servat: quæ à merè negativo fieri non possunt.

*Eius origo.* Hæc, à Deo materiæ totius Vniversi certo gradu indita, perseverabit in suo statu, ex generali immutabilitatis naturæ affectione, quamdiu hæc rerum stabit universitas.

*Quomodo maneat in corpore.* Manet autem in corpore, in quo est, quamdiu per impressionem impetus motūs satis validam ex eo non expellitur.

*Quomodo in alia corpora transeat.* Transit verò quies secundūm suum sufflamen, pro impletūs motūs satis validi, sive quietem vel tarditatem superantis, impressione, è corpore moto in corpus movens; ita ut tantum quietis è corpore quiescente in corpus movens transeat, quantum motūs quiescenti corpori communicatur.

Quies

Quies potest magna esse in corpore parvo , & parva in corpore magno. Atque hinc fit, ut corpus magnum quiescens à parvo corpore moto de loco aliquando deturbeatur ; & contra , corpus parvum quiescens sàpe à magno corpore de loco moveri nequeat.


Hæc est unicum vinculum, quo partes corporis duri, & continui inter se cohærent , & suæ separationi resistunt.

Cum enim partes corporis continui vel duri sint conjunctæ & inter se quiescant , per legem immutabilitatis naturæ, in statu conjunctionis & quietis, in quo sunt, permanere conantur ; neque ex eo, nisi per motum sufficien-tem, deturbari possunt.

Situs est corporis inter corpora positio.

Hujus efficacia patet , vel ex solâ æquipondii A , in

gna potest  
esse in cor-  
pore parvo;  
& contra.  
Cur parvū  
corpus pos-  
sit movere  
magnum,  
& magni  
corporis  
motui  
resistere.  
Quies est  
vinculum,  
quo conti-  
nua & du-  
ra inter se  
coherent.  
Situs.



staterâ C B , positione variâ ; quâ vel majora , vel minora pondera D , propter sitûs ejus varietatem, attolluntur , vel in æquilibrio sustinentur.

*Figura.*

Figura est extensionis terminatio.

Hæc quām sit efficax , docet vel solum ferrum , in gladium vel cultrum figuratum , quo durissima discinduntur corpora.

*Magnitudo.*

Magnitudo propriè est ipsa corporis extensio , in longum , latum , & profundum diffusa. In definitione verò formæ ponitur hæc pro vario ipsius magnitudinis sive extensionis modo , quo idem corpus , secundū longitudinem , latitudinem , vel profunditatem , variè extenditur. Ponitur hîc etiam pro certo intensionis gradu. Hujus potentia in motu & quiete est manifesta. Nam , pro majore vel minore motûs vel quietis intensione , corpora vel faciliùs , vel difficiliùs de loco deturbantur , vel locum suum servant.

## C A P V T I X.

*De formâ speciali.*

**A**Tque hæc de formâ generali , & iis , quæ ad illam pertinent.

*Forma specialis est mens humana.*

Forma specialis est , quæ speciei humanæ est propria. Eaque est mens humana , sive anima rationalis. Quia per eam , cum formâ generali , in materiâ corporeâ existente , homo est id , quod est.

*Quare ea ad formam generalem referri non possit.*

Hæc ad formam generalem , seu materialem , nullo modo referri potest : quippe quæ ex motu , quiete , situ , figurâ , & magnitudine partium oriri nequeat. Facile enim intelligimus , quomodo ex ingeniosâ partium dispositione oriatur machina ( quæ admirandas ) per motum , situm , figuram , & magnitudinem partium , edat actiones . Verum quòd illa actionum suarum , per illa principia , sit conscientia , & cogitare possit , in quo solo essentia mentis humanæ consistit , nullâ ratione intelligi potest : cum ma-

machina per hæc principia tantùm variè moveri queat.  
De hac plura, in doctrinâ de Homine, inferius dicemus.

## C A P V T X.

*De principiorum nostrorum probatione: item de materia  
primâ, formâ substanciali, privatione, & motu  
definitione vulgari.*

**A**Tque hæc principia, jam explicata, in rerum natu-  
râ quâm maximè sunt observabilia, & ubivis obvia, atque unica. Videmus enim, præter mentem in homine, in omnibus rebus naturalibus extensionem permanen-  
tem & inseparabilem, & præterea varia accidentia; eaque vel absolute accidentaria, quæ à rebus naturalibus ab-  
esse, vel iis adesse, illis salvis, possunt: vel essentialia,  
quæ cum materiâ essentiam, aut sola illarum formam  
constituentur.

Hæc omnia, præter mentem humanam, ex motu, quiete, situ, figurâ, & magnitudine partium, originem ducere, easque causas sufficere, cuivis constat, qui rerum naturalium ortum & naturam, sive essentiam & proprie-  
tates, item interitum, diligenter mecum considerave-  
rit; ut jam in multis demonstravimus, & porro in se-  
quentibus demonstratur sumus.

Atque ita veritas gemini nostri versiculi est manifesta, quo ante hâc principia omnium rerum naturalium ita comprehendimus:

*Mens, mensura, quies, motus, positura, figura,*

*Sunt, cum materiâ, cunctarum exordia rerum.*

Quum itaque hæc principia sint perspicua, ubivis obvia, sufficientia, & unica, videtur jam posse rejici ma-  
teria prima vulgaris, quæ à quibusdam dicitur esse nuda

Principio-  
rum no-  
strorum  
probatio.

Vnde ex o-  
riantur.

Versiculi o-  
mnia re-  
rum prin-  
cipia conti-  
nentes.

Cur mate-  
ria prima  
vulgaris,  
& forma  
substancialis, rejicien-  
da videa-  
tur.

potentia ; vel subjectum primum , ex quo insito omnia fiunt ; & quæ negatur esse corpus.

Cum non sit intelligibile , quomodo hæc corpus naturale , vel sola , vel cum aliis , quæ non sint corpus , constituat . Nihil enim aliis dat , quod nec actu , nec in virtute habet .

Videntur etiam rejici posse omnes formæ substantiales , quæ dicuntur esse substantiæ ; vel partem substantiæ rerum naturalium constituere ; è potentia materia educi ; & in illam relabi ; ac quamvis statuantur incognitæ ac inexplicabiles , dicuntur tamen omnium affectionum & proprietatum esse causæ .

Quoniam hæc omnia ex eo collabuntur , quòd alia , quæ jam explicuimus , dentur rerum naturalium principia clara & facilia ; & quām maximè intelligibilis formarum materialium jam suppetat origo : Contrà verò materia ista prima , & forma substantialis , omnium rerum , per istas explicandarum , tenebras , suā obscuritate , inducant .

*Objectionum solutiones.*  
Nec quicquam auxilii , ad formæ substantialis probationem , exhibet redditus aquæ calidæ ad pristinum frigus .

*Cur aqua calefacta ad priorem redeat frigiditatem.*  
Vera enim hujus rei causa in eo consistit , quod calor accidentarius aquæ ( qui est varia & vehemens ejus particularum agitatio , ut in aquâ fervidâ ad oculum appetat , & in tepidâ facillimè imaginatione intelligitur ) motum suum , seu calorem vehementiorem , vicino aëri aliisque propinquis corporibus communicet , eoque illum aqua amittat ; nec , propter ejus partium dispositionem , novus motus , seu calor , in aquâ gignatur . Dum itaque aqua calida calorem perpetuò alii corpori communicat , nec novum motum accipit , necessariò tandem , omni calore destituta , refrigeratur , seu ad partium suarum insensibilium quietem pervenit .

Nec

Nec partium alicujus corporis connexio , nec multarum qualitatum , etiam contrariarum , in corpore aliquo conjunctio , requirunt formam substantialem , illas continentem :

Sufficit enim quod subjectum aptum sit , hujusmodi varias & contrarias qualitates recipere ; quodque illæ tamdiu ibi ex lege immutabilitatis naturæ maneant ; partesque tamdiu inter se cohærent : donec ab alio validiore inde deturbentur , eæque à se mutuò separantur .

Vel , si hoc minùs arrideat , dici potest , quod nunquam contrariæ qualitates in eodem subjecto , secundum idem , ad idem , & eodem tempore , existant .

Neque huic sententiæ adversatur aqua fervida , quæ , frigidæ admixta , teporem in toto commixto liquore producit . Nam tepor ille ita productus , ( ut ex qualitatum doctrinâ postea magis innotescet , ) non est mixtura caloris & frigoris , in iisdem particulis aquæ eodem tempore existentis . Sed ille est tantùm minor calor , in totâ aquâ tepidâ , sine ullo admixto frigore , solus subsistens ; qui in illa ex eo est natus , quod aquæ fervidæ insensibiles particulae , quæ vehementi varioque motu antea movebantur , partem sui vehementioris variique motûs , in quo earum fervor antea consistebat , transmiserint suo fervoris impletu in particulas insensibiles aquæ , quæ antea , magis inter se quiescentes , frigebant , & jam , per partis istius motûs communicationem , mediocrem , cum aliis aquæ particulis , teporis motum habent .

Sic etiam , cum humida & sicca dicta corpora inter se miscentur , in eodem subjecto non est humiditas & siccitas . Tum enim corpora , quæ humida & sicca appellantur , se mutuò tantùm contingunt ; cum humida illa tantùm in poros siccorum ingrediantur ; nequaquam verò contrarias qualitates sibi mutuò corpora ipsa communificant .

Vide-

*Quomodo  
partes ali-  
cujus cor-  
poris inter  
se cohære-  
ant conne-  
cta ; & va-  
rie qual-  
itates in eo-  
dem corpo-  
re subsi-  
stant .*

*Nunquam  
in eodem  
subjecto  
sunt con-  
traria qua-  
litates .  
Tempor non  
est caloris  
& frigoris  
mixtura ;*

*In mixtura  
humidi &  
succi , hu-  
midum  
contingit  
tantum ,  
quod sic-  
cum dici-  
tur .*

*Cur privatio ex principiorum numero sit rejicienda.*

Videtur etiam rejici posse privatio vulgaris; quæ definitur, absentia formæ à materiâ, cum aptitudine ad illam recipiendam:

Quia non est principium internum, ipsam rerum essentiam constituens; licet ab illâ, ut termino à quo, res dici possint esse.

*Quidlibet potest fieri ex quolibet.*

Et deinde, quia quidlibet potest fieri ex quolibet; nam omnium rerum est una eademque materia: modò causa efficiens tantùm habeat sufficientes vires, ad convenientem formam materiæ, inducendam. Omnes, enim res, ut jam vidimus, differunt tantùm motu, quiete, item situ, figurâ, vel magnitudine partium.

Itaque hæc, ad summum, est tantùm requisitum quoddam materiæ vel causæ efficientis, vel terminus à quo.

*Sed non & quæ facili.*

Quāvis autem ex quolibet possit fieri quidlibet; non tamen id sit æquè facile. Sic ex bacillo ferri tenuissimo, & ex magnâ anchorâ, fieri possunt fides citharæ; sed ex uno facilius, quām ex altero. Sic ex fordibus fiunt mures; sed facilius ex murium semine. Prius enim fit rarius, posterius quotidie.

*Rejicienda etiam est vulgaris motus definitio.*

Denique videtur quoque rejici posse vulgaris motûs definitio, quâ ille definitur actus entis in potentiatâ, quatenus in potentiatâ.

Cum enim nullus alias, ut jam probavimus, in rerum naturâ sit motus, quam localis, qui facilè à quovis intelligitur; hinc patet, quod illa vulgaris motûs definitio, etiam si esset vera, cum non ita facilè cuivis sit intelligibilis, ipso definito sit obscurior.

Huc accedit, quod hæc motûs definitio sit contradictionis. Cum enim motus dicitur esse *actus*, tum asseritur, sive præsupponitur, quod sit entis actu existentis: Quia in ente, quod est potentiatâ, quatenus est potentiatâ, nullus potest esse actus: cum hoc revera sit merum nihil. Cum

verò

verò ille deinde dicitur esse *entis in potentia*, *quatenus in potentia*, tum ens illud actu existens, antea assertum, negatur.

Neque hic quicquam prosunt illæ, quæ Simplicii & Pererii dicuntur, explicationes. Non enim idem est actus entis in potentia, quatenus in potentia, & actus rei, in quâ manet adhuc potentia ad ulteriorem perfectionem sive actum; vel actus imperfectus ejus, quod adhuc est in potentia ad ulteriorem actum. Prius enim, ut jam demonstravimus, est contradictorium, atque ideo subsistere non potest: posteriora verò subsistere quidem possunt; sed neutrum naturam motûs rectè explicat. Ipse enim actus caloris ex. gr., vel existentia rei mediocriter calidæ, non est motus calefactionis, quo aliquid calefit; quamvis in eo sit potentia ad ulteriorem vel perfectiorem calefactionem. Ita enim res calida, non amplius incalescens, nihilominus calefieret. Verùm motus rei incalcentis consistit in solâ actuali præsentique caloris, sive vehementis variisque insensibilium particularum motûs, impressione & adeptione: in quâ nihil est in potentia; sed omnia sunt actu. Nam hîc agitur de re, non acquisitâ, nec acquirendâ; sed de illâ, quæ jam nunc acquiritur.

Atque hinc jam patet dictum Pererii, de majore perfectione in subiectum introducenda, hîc quâm minime ad rem facere. Neque enim motus longâ duratione perficitur; sed æquè perfectè est motus in principio, atque in medio, & fine: Cum ista longiore motûs duratione tantum plures perfecti motus inter se continuentur; qui, inter se sine ullâ intermissione continuati, pro uno motu habentur.

Atque hæc de principiorum nostrorum assertione, & *Ferimus  
vulgarium rejectione*, diximus. Si quis tamen istis, in *dissentienti-  
nes, si et-*  
*naturæ arcanis explicandis*, nihilominus uti velit, nos isti *iam nos fe-  
rant.*

nihil adversamur; modò sciat, nos iis nullâ ratione indigere; & libertatem, quam sibi postulat, etiam aliis inter philosophandum concedat.

## C A P V T XI.

*De loco, & vacuo.*

*Locus cur  
rebus na  
turalibus  
attribua  
tur.  
Quid ille  
sit.*

**R**Ebus naturalibus, ad variam earum ab aliis corporibus distantiam designandam, attribuitur locus.

Locus autem revera nihil aliud est, quàm respectus quidam sitùs corporis vel ejus superficiei, quem ad propinquum vel longinquum aliorum adsitorum corporum situm habet; unde illud vel vicinum vel remotum dici potest.

Cum enim corpus aliquod in loco esse vel in locum venire dicimus, significamus tantùm, illud talem situm inter alia corpora habere vel acquirere, ut his corporibus illud vicinum, & aliis longinquum existat vel evadat.

*Locus non  
est spaciū  
longum  
latum &  
profundū,  
cor  
pus loca  
tum conti  
nens.*

Quandoquidem autem omne corpus, quod in loco aliquo existit vel in illum venit, est ex naturâ suâ in omnes dimensiones expansum; vulgusque idcirco ad ejus in loco existentiam, spatiū per se subsistens, quodque corpori, locum aliquem habenti vel acquirenti, expansionis magnitudine sit æquale, & quod reapse à corpore, locum suum habente, vel acquirente, sit distinctum, (utpote, ex vulgi istius opinione, ante corporis in locum ingressum existens, & post ejus è loco egressum permanens) necessarium esse imaginatur; hinc vulgo locus dicitur esse spaciū, sive capedo in longum latum & profundum extensa, quæ corpus aliquod recipit vel continet.

Verum imaginatio talis est à ratione quàm maximè aliena. Nam tale spaciū imaginarium, propter suam in omnes dimensiones extensionem, à corporis locati dimensio-

mensionum extensione realiter distinctam , aliud quidlibet extensem non contineret vel reciperet , sed penitus à se excluderet: Cum nulla unquam dari possit dimensionum penetratio. Atque hoc ex eo est manifestum, quod corpus non possit penetrare aliud corpus , sive esse in eo loco, in quo aliud corpus existit; idque ob eam solam causam , quòd utrumque corpus proprias suas habeat dimensiones & extensiones , omnes alias à se , sive à suis dimensionibus & extensionibus , excludentes.

*Cur non  
detur pene-  
tratio di-  
menso-  
num.*

Nec his quicquam distinctio quorundam obest , quā illi extensiones in corporeas & incorporeas distinguunt : Cum incorporea extensio nulla usquam detur , vel dari possit ; utpote quæ contradictionem implicet. Cum enim extensem quid dicitur , corporeum dicitur : cum verò incorporeum dicitur, extensem negatur.

*Extensiō  
incorporeā  
nulla da-  
tur.*

Itaque cum corpus in loco est, vel locum acquirit, nihil expansi vel extensi, præter ipsam corporis locati extensionem , ibi est imaginandum , & quicquid spatii sive extensi ibi esse dicitur, id soli corpori locato est adscribendum. Et, cum corpus, in loco existens, dicitur magnum vel parvum spacium occupare , nihil aliud tum mente est concipendum, quām quòd corpus illud magnam vel parvam suæ molis, inter alia circumstantia corpora, habeat extensionem.

*In loco, in  
quo corpus  
existit, est  
sola corpo-  
ris locati  
extensiō.*

*Quomodo  
corpus ma-  
gnū vel  
parvū  
spatiū oc-  
cupare di-  
catur.*

*Quomodo  
idem cor-  
pus possit  
simil quie-  
scere &  
moveri.*

Cum autem locus corporis nihil aliud sit , quām talis sitūs ejus ad aliorum corporum situm respectus , qui jam est explicatus ; cumque unius & ejusdem rei respectus , ad alias relati , possint esse contrarii , hinc jam facile intelligimus , quomodo ex. gr. homo in navi , à ventis juxta ripam , arboribus confitam , propulsâ , inter vectores quietè sedens , ecadem tempore possit locum eundem servare, locumque mutare. Mutat enim ille locum sive sitūs sui respectum ratione ripæ & arborum in illa stan- tium , quas præternavigat ; servat verò illum , ratione

vectorum, inter quos, quietè sedens, locum non mutat.

*Vt spaciū plenum non datur nec dari potest; ita nec datur nec dari potest spaciū vacuum.*

*Globo intermedio annihilatio, circumstantes globi sicut contigui.*

*Quid vulgo vacuum vocetur.*

Vt verò spatium longum latum & profundum, quod corpore, à spacio reapse distincto, sit plenum, dari non potest; quia penetrationem dimensionum includit, quæ per naturam est impossibilis: ita spaciū vacuum in rerum naturâ dari non potest; quia contradictionem implicat. Eset enim corpus, utpote per se subsistens, longum, latum, & profundum; & non eset corpus, quippe corpore vacuum.

Ex his patet, si globus, ex. gr., quinque aliis globis circumdatus, ita annihilaretur, ut nihil in ejus locum succederet, quod nullum ibi eſlet futurum spaciū vacuum, quo illi à se mutuò distarent; sed quod omnes reliqui globi eo ipso eſſent contigui futuri: quia nihil sine nihilum inter ipsos intercederet; quod, cum nullam longitudinem latitudinem vel profunditatem habeat, nullam etiam inter illos distantiam efficere potest.

Illud autem usitatè vacuum dicitur, quod caret corpore, ad quod recipiendum est destinatum. Ita vas dicitur vacuum, in quo non eſt aqua, vinum, vel alius ſimilis liquor, ad quem recipiendum illud eſt conſtructum.

## C A P V T XII.

*De verâ iſtorum motuum causâ, qui vulgo propter fugam vacui fieri dicuntur.*

*Ob fugam vacui nullus fit motus.*

*Vera eorum motuum causa, qui ob fugam vacui fieri dicuntur;*


**C**VM itaque nullum spatiū poffit eſſe vacuum, hinc patet, ob vacui fugam nullum in rerum naturâ eſſe motum; nec naturam illud vetare vel fugere: cum natura nihil fruſtra agere dicatur.

Omnis autem motus, qui vulgo ob fugam vacui fieri dicuntur, ideo revera fit, quia corpus aliquod magnâ vi de loco suo deturbatur, quod vicissim eodem tempore aliud (quia nullum

nullum spaciū vacuum, nec ulla penetratio dimensio-  
num datur,) in locum primi necessariō, quia in omni mo-  
tu, ut superiū vidimus, debet esse circulus, repellit; id-  
que vel sine, vel cum vehementiore aēris, de loco deturba-  
ti, rarefactione aut condensatione.

Quando nulla aēris de loco deturbati vehementior hīc  
intercedit rarefactio, vel condensatio, tunc (ut rem claro  
& simili exemplo illustremus) illud eodem fere contingit  
modo, quo aquarum sublatio, per aēris de loco detur-  
bati & haud magnopere condensati impulsionem, in fon-  
te Heronis fieri solet; in quo aqua ex alveo summo A,  
per tubum primum (1,) in  
alveum infimum C, solo  
aēre plenum, delabens,  
aērem in eo contentum  
premit, eumque magnā vi,  
citram ullam magnam con-  
densationem, per tubum  
secundum (2,) in alveum  
medium B, pellens, & a-  
quam ibi contentam vehe-  
menter premens, illam,  
per tubum tertium cæteris  
angustiorem (3,) in aērem  
D, ad tantam fere altitu-  
dinem, ad quantam humi-  
litatem aqua ex alveo A in  
alveum C defluendo descendit, attollit, & porrò in al-  
veum A, unde aqua primò fuit delapsa, deducit.

*Quique ci-  
tra vehe-  
mentiorem  
aēris rare-  
factionem  
vel con-  
densatio-  
nem fiunt.*




Fons Hero-  
nis.

Talis motus fit in aquarum eductione per tubum re-  
tortum, cuius alterum brachium, ex liquore prominens,  
longius altero versus terræ centrum est protensum; item  
in philtatoriâ distillatione; folle; siphone suctorio sive

G 3 antliâ;

antliâ ; suctione tabaci è fistulâ , & lactis è mammillâ ; lampade Cardani ; & similibus aliis.

*Ratio sub-  
lationis li-  
quorum ,  
qui tubo  
retorto at-  
tolluntur.*



aërem magnâ vi decidit , coque eum de loco deturbans , premit aquæ in vase E contentæ superficiem D , aquamque per brachii brevioris partem D A B attollit in illum locum , quem aqua ex brachio B C decidens relinquit ; quia omnia alia circumstantia corpora , utpote locum in quem cedant non habentia , ingressui aëris & aquæ resistunt ; in brachio verò longiore B C , è quo aqua decidit , sit locus , in quem pulsa & sublata per prementem aërem aqua se eodem momento commodè inserere potest .

Atque hic descensus & ascensus aquæ reciprocus tam diu durat , donec brachii ipsius tubi pars B A D , ex aquæ superficie D eminens , æqualem cum altero brachio B C supra


supra aquæ superficiem habeat altitudinem. Tum enim , propter hanc altitudinis brachiorum æqualitatem, alterum alteri prævalere non potest ; atque ideo aquæ fluxus sufflaminatur , & aqua, quæ in utroque tubi brachio continetur , tanquam in æquilibrio subsistit.

Primò autem fluxus aquæ est celerrimus ; quia brachium, è quo aqua fluit, primò altitudinis suæ inæqualitate alterum brachium , ex aqua supereminens , altissimè superat. Quia verò hæc altitudinis inæqualitas , propter aquæ è vase effluxum, paulatim magis magisque imminuitur , idcirco imminuitur etiam pariter defluentis aquæ celeritas ; ac tandem, ubi , ut jam dixi , brachia ad altitudinis æqualitatem pervenerunt , aquæ fluxus omnino sifflatur , ac aqua in utroque tubi brachio quieta hæret.

Sive autem tubi retorti brachium , quod præ altero , ex aquâ eminentे , longius versus centrum terræ est protensum , & ex quo aqua effluit , obliquum , sive perpendicularē fuerit , modò eandem versus terræ centrum protensionem habeat, eandem aquæ attollendæ vim obtinet.

*Cur fluxus  
ille liquo-  
ris paula-  
tim tar-  
dior fiat.*


*Cur obli-  
quo tubi  
retorti bra-  
chio non  
attollatur ,  
plus liquo-  
ris quam  
perpendicu-  
lari.*



Omnium enim gravium vis, ubi cætera sunt paria, in solo respectu, quem corpora gravia ad protensionem versus


versus terræ centrum habent. Itaque obliquum ex.gr. tubi retorti brachium A B non habet majorem liquoris alicujus attollendi vim, quam tubi retorti brachium perpendicularre C D; quia eandem æqualemque versus centrum terræ protensionem sive altitudinem habent: quamvis brachii obliqui A B sit major longitudo, ac proinde plus liquoris continere possit, quam brachium perpendicularre C D.

*Ratio sub-  
lationis li-  
quorum,  
qui philtro  
attollun-  
tur.*



Ascensus & descensus aquæ, qui fit in tubo retorto aquâ ple-  
no, idem, propter eandem  
causam, observatur in philtro  
A B C, aquâ imbuto, & longio-  
re suâ parte B C, ex vase D  
propendente.

Vbi notandum, si tubi retorti longior pars B C, ex vase




E propendens, circa C vel aliam ejus superiorem partem parvo foramine, in cavitatem usque tubi penetrante, perforetur, aërem, per foramen illud ingredientem, impedire ultiore aquæ ex vase E in tubum D B A C ascensum: aquam verò in philtrum perpetuò ascendere, & ex ejus parte longiore, quamvis illud innumeris porulis sit perforatum, perpetuò tamen descendere. Causa differentiæ in eo consitit, quod tubus retortus tantum unam habeat cavitatem, eamque magnam, in quam aër, per illud unicum foramen,

men, modò sit satis magnum, facilè sese ingerit: philtrum verò poros habet inumeros quidem, sed eos valde angustos & anfractuosos, per quos aqua, quæ fibrillis philtri arctè est unita, faciliùs ascendere & descendere, quàm aët externus illos lateraliter ingredi potest.

Quidam hanc tubi retorti operationem, ex aquæ, in longiore vel altiore potius tubo existentis, præponderatione ortam, considerantes, conati sunt perpetuum quodam, ut vocant, mobile, ex tubo retorto A B C, cuius brachium unum C, prolixius & angustius ac parum aquæ continens, insertum sit superficie aquæ D, quæ labro E continetur; brachium verò alterum A, multò quidem brevius, sed valdè latum, plurimum aquæ contineat. Sperabant enim fore, ut aqua illa copiosa in brachio A contenta, propter suam majorem gravitatem, ex foramine F, in subjectum aërem G, descendendo, premeret, mediante aëre intermedio, superficiem aquæ D, eamque per brachium longius C, in brachium brevius A, copiosam aquam continens, perpetuo repelleret, quæ deinde rursus per tubi brevioris & crassioris foramen F descenderet in labrum E; atque ita perpetuus descendensis & rursus ascendentis aquæ fieret circulus.

*Ratio cur  
perpetuum  
mobile per  
tubum re-  
tortum fieri  
non possit.*




Sed irritus fuit ille conatus; nam quamvis aqua tota, quæ in tubi brachio lato & spatio ac breviori A continetur, sit aquâ, in brachio longiore & angustiore C contentâ, multò copiosior, ac proinde etiam ponderosior;

H

atta-

attamen , quia non tota illa aqua globo isto contenta, sed tantum illa sola totius aquæ portio , quæ foramini F perpendiculariter est superposita , aërem suppositum premit , propterea quod reliquæ aliæ istius aquæ , in spacio illo brachio contentæ, partes , utpote singulæ ad perpendicularum deorsum tendentes , rectâ ad brachii brevioris quidem, sed latioris tamen partis H I , è diametro suppositas , rectâ tendant: idcirco illa non potest aërem subiectum G de loco deturbare , & aquam contentam in brachio longiore C B , quæ gravior est quam illa, quæ in breviori brachio, foramini F perpendiculariter est imposita, per brachium longius B C , in alterum brachium brevius B A repellere: alioqui enim levior aqua F B , attoilleret suâ pressione graviorem D C B ; quod absurdum.

*Cur perpetuum mobile per tubum retortum fieri non possit , quando in breviori & crassiori brachio multi sunt parvi tubuli.*



rum superficiem , in magnam crassi & brevioris istius brachii A cavitatem , se tardè & ad parvam altitudinem A B insinuaret , quia minorem occurrentium corporum ibi haberet

Neque etiam fabrica perpetui mobilis in tubo retorto A B C D succederet, si in crasso & breviore tubi retorti brachio aquâ pleno A , non unus esset tubulus , sed plurimi, quales sunt 1 2 3 4 5 6 , per quos aqua illa perpendiculariter deorsum vergeret. Tum enim aqua illa copiosa , per multos illos tubulos deorsum vergendo , aërem subiectum ita premeret, ut ille facilius inter aquam ex tubulis illis multis 1 2 3 4 5 6 descendenter , & interiorem istorum tubulorum


beret resistantiam; quām ut ille aēr ita perpendiculariter ab aquā divergente pressus , aquam E, in labro F contentam , ita urgeret , ut illa maximā cum celeritate per longius illud & angustius brachium E D C in latius & brevius brachium C B A , ad magnam altitudinem E C , copiosè ascenderet, ubi ab occurrentibus corporibus major aēris prementis fieret resistentia.


Dum autem, per violentam thoracis 1 , follis à tergo



*Cur aēr in  
respiratio-  
ne pectus,  
& in follis  
dilatatione  
follis; &  
fumus ta-  
baci vel  
lac, in su-  
stione os; &  
aqua, in  
sublatione  
suctoris,  
tubum su-  
ctorium  
ingredia-  
tur.*

clausi sive non perforati 2 , vel siphonis suctoriī 3 , ex an-





turbatur, atque ille alium aërem porrò propellit; hinc aëris, vel aqua, vel lac, vel fumus, vel aliud simile liquidum corpus vicinum occurrens, in locum E, quem thoracis, buccarum, follis, vel suctoris F, in siphone sublati, latera relinquent, necessariò eodem instanti propellitur: quia omnia alia corpora circumstantia, utpote locum, in quem cedant, non habentia ingressui aëris, vel fumi, vel aquæ, vel lactis, vel alijs liquoris, resistunt: locus verò E ingressum eorum, citra ullam resistentiam, ob corporis alicujus ex eo discessum, commodè admittit.

*Ratio mo-  
tus aëris  
& olei, qui  
est in lam-  
pade Car-  
dani.*

In lampade Cardani A B C oleo plenâ, ubi tantum olei àflammâ elychnii C est consumptum, ut foramen D oleo denudetur; tum oleum turriculâ A B contentum, per partem foraminis D, in rostrum B D C suâ gravitate descendit, aëremque vicinum eodem momento, per aliam in ejusdem foraminis D partem, cavitatem turri-


turriculæ A B , ex quâ oleum dela-bitur , necessariò propellit ; quia ibi sit locus in quem se recipiat , & omnia alia circumstantia corpora loco cedere nequeuntia , penetratio-nemque dimensionum non ferentia , ejus ingressui resistunt.

Tamdiu autem oleum illud in ro-strum B D C , ex turricula A B fluit , donec foramen D , eo penitus te-ctum , aëris ulteriorem per illud ingressum impedit ; tum que olei descensus sufflaminatur , quia corporum moven-dorum circulus , antehac explicatus , impeditur .

Quando verò in fortiore corporis aliujus motu inter-venenit vehementior aliqua aëris de loco deturbati rarefactio vel condensatio , tum cogitur ille aér , præ-ter modum sui calo-ris nimis compres-sus , vi aetheris in poris ejus existentis , cumque perpetuò vehementer agitan-tis , (de quo postea in doctrina de aëre age-mus,) ad dilatationē , eaque coactione pre-mit ille contiguum quemyis liquorem ,



*Vera eorum  
motuum  
causa , qui  
ob fugam  
vacui fie-  
ri dicun-  
tur ; qui-  
que cum  
vehemen-  
tiore  
aëris con-  
densatione  
vel rarefa-  
ctione con-  
tingunt.*




*Fons con-  
densato-  
rius.*

eumque in locum aliquem in quo minor est resistentia, ad eum ferè modum attollit, quo aqua in fontem condensatorium, sive pilam concavam A B C, duobus tubis cum suis verticillis instruētam, per siphonem magnā vi adacta, ab aëre in pilâ illâ vehementer condensato, & ab æthere intercurrente vehementer agitato, è foramine aperito D, magno impetu expellitur.


Hujusmodi motus fit in scypho & cucurbitulis, ex quibus aëris caloris maximā ex parte est expulsus, & quæ superficie cutis scarificatæ, vel superficie aquæ frigidæ admoventur; item in cantharo calido, cuius ope mulieres lactantes nonnunquam lac è mammillis educunt; item in styli ferrei fatis longi & justam crassitiem in extremo capite habentis, atque ex imo purgandi sclopeti canale, inferiùs clauso, cum aquâ super-capite styli natante, altius sublati, ad fundum vehementi resulstū; item in thermometri confectione & usu; & aliis similibus.

Quomodo  
cucurbitâ  
sanguis ex  
carne sca-  
rificatâ, &  
scypho li-  
quor ex  
subjectâ  
lance, can-  
tharoque  
calido lac è  
mammilla  
educatur.



cantharo 3, vi flammæ, vel stupæ incensæ 4, in illa injectæ,  
vel


vel ignis alio modo adhibiti, ferè totus in aërem foris existentem ejicitur, & ætheris subtile corpus in eorum ca-



vitatem impellitur, major fit aëris foris existentis condensatio , & particularum ejus arctior complicatio , quām ejus temperamentum fert , hinc conatur aër externus sese rursus , vi ætheris in poris ejus existentis , dilatare & extendere , coque conatu premit æqualiter omnia vicina corpora , quæ quamdiu æqualiter resistunt , nihil quicquam de loco suo sensibiliter deturbatur ; sed simulatque aër vel aliud corpus , in cucurbitâ , scypho , vel cantharo existens , in illorum cavitate incipit refrigerari ; tum illud aëris sese dilatare conantis pressioni non amplius resistens , permittit ut aër externus , carnem vel aquam premendo , sanguinem vel lac ex carne pressâ , vel aquam foris existentem , in cavitatem cucurbitæ , vel scyphi propellat ; & illud subtile ætheris corpus , quod in illorum cavitate continebatur , ex eâ per eorum poros , propter particularum parvitudinem , expellat .

In sclopeti verò mundandi tubo A B , dum stylus <sup>Cur stylus</sup> ba-

sive bacillus purgatorius in selopesti mundandi tubo cum aquâ innante in altum sublatus, magnâ vi ad fundum resiliat.



*Cur in thermometro aqua modò ascendet, modo descendat.*

in cuspide D: illudque suo globoso capite A igni admove-

bacillus purgatorius C D, inferius caput C crassius & latius, & foramen inferius obturamento B clausum habens, cum aquâ supernatante E, ex humilitate C E, in altitudinem E A, magnâ vi à manu trahentis F attollitur; hinc aér E A, qui super aquâ in tubo existit, de loco deturbatur, & in aërem externum foras tantâ vi impellitur, ut ille vehementius, quam ejus temperamentum fert, condensetur; illeque ita condensatus, vi ætheris illum intercurrentis, in pristinam raritatem se rursus dilatare conetur. Similatque igitur manus F, à stylo in altum sublato, removetur, mox repellitur stylus sublatus, ab externo aere vehementer condensato, & sese dilatare conante, in priorem humilitatem E C, ætherique in illam cavitatem, antea per sublationem styli impulsus, foras, propter parvitetem suarum particularum, in aërem externum rejicitur.

Thermometrum quod attinet; ad ejus fabricationem requiritur primò vitrum cavum, quale est hoc A B C D, quod undique clausum, parvum foramen habet

movetur, quo aër, in eo contentus, dilatur, & magnam partem ex eo in aërem externum, eum magnâ vi condensaturus, expellitur. Mox deinde, antequam aër thermometro contentus refrigeretur, cuspis perforata D inseritur aquæ ex. gr. forti, quæ ab immacerato ære virorem contraxit; ea-que ab externo aëte, propter aërem è calefacto thermometro in illum antea expulsum vehementius condensato, per thermometri cuspidem D, dum aëris reliquiæ in thermometro contentæ, ibique refrigeratæ, extertia aëris, vehementius condensati, & sese dilatare conantis, ingressum non amplius impediunt, pro ratione aëris, antea ex eo à calcfactione thermometri expulsi, in cavitatem ejus impellitur, & ad altitudinem B ex. gr. attollitur.

Fabricato jam & ita adaptato thermome-  
tro, si aër externus, majorem calorem ade-  
ptus, internum aërem A B calefaciat, tum il-  
le, eâ calefactione dilatatus, premit superfici-  
em aquæ fortis B, eamque, proratione suæ di-  
latationis, magis vel minus altè à B versus  
F C deprimit. Si verò contingat, ut aër ex-  
ternus frigidior factus, aërem internum  
thermometri refrigeret, tum internus re-  
frigeratus non amplius suas particulas tam  
vehementer extendit, ut pressioni aëris ex-  
terni, per aërem in primâ thermometri con-  
fectione ex eo expulsum vehementius con-  
densati, & sese vi intercurrentis aetheris ex-  
tendere & dilatare conantis, resistere possit;

I



atque

atque ideo ille per foramen cuspidis D tum intrans , superficiemque aquæ fortis , in globo inferiore D E F contentæ , premens , eam pro ratione refrigerationis aëris interni , vel magis vel minus altè à B versus A attollit.

Sumitur autem ad thermometri confectionem aqua fortis, quæ hiberno tempore à congelatione est immunis; eaque virore tingitur , ut tahto facilius ejus ascendentis vel descendenter color , à vitri illam continentis colore, discernatur.

*Cur hi  
motus jam  
à me ex-  
plicati non  
fiant à solâ  
aëris sponte-  
nâ dilata-  
tione.*

Est nonnemo , qui hæc , à me jam ante multos annos rectè explicata, nunquam à quoquam explicata hactenus fuisse ait : putatque hos motus fieri à solâ spontaneâ aëris dilatatione , quam ille elaterem appellat. Verùm aëris expansio spontanea , à me hic & in doctrinâ de Aëre jam olim tradita, est in plerisque talibus motibus tantum causa leviter hos motus adjuvans ; quod ex eo patet , quod , cum in omni corporum motu debeat fieri circulus superius propositus , & à me jam olim descriptus , idcirco omnes fere hujusmodi motus nihilominus fierent , etiam si aer nullam spontaneam sese dilatandi vim haberet.

### C A P V T X I I I .

#### *De Tempore.*

*Tempus.* **O**mnes res naturales suam habent durationem , seu certam in existendo permanentiam , quæ tempus dicitur.

Eaque est vel præsens , vel præterita , vel futura.

Hæc per motum cæli , vel terræ circum axem circumgyratæ , optimâ æqualitate mensuratur : qui idcirco tropicè , ponendo mensuram pro re mensuratâ , etiam tempus dicitur.

Atque ita admitti potest Aristotelis sententia , dicentis,

tis, tempus esse mensuram motūs & quietis, per prius & posterius.

Hinc etiam dici potest, unum esse omnium rerum tempus, quamvis singulæ suam propriam habeant durationem.

Tempus præsens non est indivisible momentum ; Tempus  
præsens ha-  
bet indefi-  
nitatis par-  
tes. quamvis illud plerumque ut tale consideretur ; sed habet indefinitas partes: quia nulla ejusmodi realis ejus particula datur, vel dari potest, quin suam durationis habeat quantitatem indefinitè distinctam, quæ idcirco perpetuò in minorem dividi potest: quemadmodum de corporis sive materiæ extensæ particulis antehac diximus.

## C A P V T XIV.

*De rerum naturalium fine, fortunâ & Casu.*

**R**es naturales, etiam illæ, quæ mente carent, agunt propter universalem authoris naturæ finem, hominibus non exactè perscrutabilem.

Eæque, ob suam cum aliis agentibus connexionem, à Deo, per leges & proprietates motūs, ac liberum voluntatis arbitrium, præscriptam, ipsique Deo cognitam, agunt quoque, secundum Deum, certò & infallibiliter; etiam tum, quando à nobis casu aut fortunâ, vel consilio, agere dicuntur, vel monstra producuntur.

Casus autem seu fortuna ab hominibus statuitur, quia connexionem causarum ignorant.

Fortuna enim est inopinatus causarum, ad aliquod effectum producendum necessariarum, concursus.

Itaque omnes res naturales, ratione suarum causarum, certò modō agentium, sunt necessariæ; quamvis ratione hominum, qui concursum causarum, illas producentium, vel cum illis agentium, ignorant, fortuitæ sàpè dicantur, vel dici possint.

## CAPUT XV.

*De rebus merè naturalibus & artificialibus.*

*Res merè  
naturales.*

**R**es naturales sunt vel spontaneæ, vel arbitrariæ. Spontaneæ sunt, quæ spontè naturæ, citra industriam humanam, agunt, patiuntur, vel cessant.

Atque hæ synecdochicè naturales, vel merè naturales, dicuntur.

*Res arbitra-  
triae, si-  
ve artifi-  
ciales.*

Arbitrariæ sunt, quæ, interveniente, secundum humānum arbitrium, artificio, operantur, patiuntur, vel cessant.

Eoque ideo artificiales vulgo appellantur.

*Res artifi-  
ciales sunt  
etiam na-  
turales.*

Hæ etiam sunt naturales; quia naturâ sunt præditæ: cum habeant internum agendi, patiendi, & cessandi principium, quod à partium configuratione, motu, & reliquâ adaptatione dependet, eodem modō, ut illæ, quæ per synecdochē naturales dicuntur. Atque hoc ex eo est manifestum, quod homines in iis producendis tantum applicent naturalia activa passivis, ut sit in tritico seminando, & in mulorum procreandorum curatione, aliisque innumeris: quod nullam essentiale infinitam differentiā, sed tantum à ratione inductam.

*Differunt-  
que à merè  
naturali-  
bus ut ma-  
jus & mi-  
nus.*

Valdè tamen differunt res artificiales à naturalibus appellatis, ut majus & minus, ut vocant, seu perfectio- nis gradibus: Nam res naturales, quæ quotidie sponte generantur, etiam vilissimæ, tam admirando artificio, secundum leges mechanices, sunt factæ, ut automata etiam artificiosissimè ab homine confecta, nullo modo ad istarum accuratam fabricam, accedere possint; uti apparet ex. gr. in horologio rotulario etiam artificiosissimè confecto, cuius paucissimæ rotulæ reliquæque partes, cum innumeris ossibus, venis, nervis, arteriis, item san-

guine

guine & spiritu, etiam vilissimi alicujus animalculi, nullo modo sunt comparandæ.

Nec quicquam his adversatur, quod res artificiales à causis externis sæpe moveantur, vel potius motum accipiunt; ac proinde non videantur habere internum agendum principium. Nam & res merè naturales similiter ab externis causis, ut Sole, aëre, igni, & alimentis inveniuntur, vel motum accipiunt; quibus tamen internum agenti principium idcirco non denegatur; idque jure merito: Nam etsi illa ab externo moverentur motu, haberent tamen internum agenti principium. Illud enim non in solo motu consistit; sed in reliquis etiam, ad agendum necessariis, qualia sunt situs, figura, & partium magnitudo, quæ cum rebus merè naturalibus & artificialibus sint propria, rectè internum agenti principium habere dicuntur. Verum, cum omne illud, quod movetur, proximè à se sive proprio, ut ex antedictis patet, & non alieno, moveatur motu; quamvis ille motus sæpe ab alio movente sit profectus: hinc jam est manifestum, non tantum res merè naturales, sed etiam artificiales, nec totas tantum, sed earum etiam partes, cum aliis rectè conjunctas, per internum suum principium se mouere; ac proinde etiam ipsas per se agere; utpote quæ omne agenti internum principium, nempe motum, situm, figuram, & magnitudinem partium, actionibus suis peragendis convenientem, in se, ut proprium, habeant.

Nec obest, quod res artificiales vulgo dicantur entia per accidens, ac proinde per se agere non posse. Quamvis enim illæ, ut etiam res merè naturales, sint entia per accidens, quandoquidem ab accidentibus naturæ ipsarum convenientibus, ut superius docuimus, constituuntur; sunt tamen entia etiam per se, propterea quod accidentia illa ipsis sunt essentialia, ut supra etiam est demonstratum,

*Res artificiales, uti  
ē merè naturales,  
sunt quandoquidem entia  
per accidens; sed  
praterea etiam entia  
per se.*

ac proinde etiam per se agunt. Idque quotidianus etiam probat loquendi modus, quo horologia, multæque aliae similes machinæ, automata sive machinæ propriâ vi & suâ sponte agentes, appellantur.

*Inanis ita-  
que est di-  
visio entis  
per se est,  
id quod per  
accidens.*

○ Atque hinc patet vulgarem illam distinctionem, quâ ens in id, quod per se est, & quod per accidens, distinguitur, meritò pro inani esse habendam: cum ea per il-  
lam pro dissentaneis habeantur, quæ tamen quam ma-  
xime consentiunt. Idem enim in rebus naturalibus & ar-  
tificialibus est ens per se, & ens per accidens.

*Pondus &  
spira sunt  
horologii  
partes; &  
quamvis  
non essent,  
horolo-  
gium, ta-  
men pro-  
prio move-  
retur mo-  
tu.*

Atque ex his etiam est manifestum, illos hic frustra la-  
borare, qui adstruere conantur, pondus horologio appen-  
sum, vel spiram chalibeam contortam, ipsi adhibitam,  
pro horologii parte non esse habendam; sed tantùm esse  
externum quid, quod externo motu ipsum moveat. Nam  
etiam si id, quod à vero est alienum, ipsis daretur: horo-  
logium tamen, absque appenso pondere vel spirâ contor-  
tâ, ut ejus parte, consideratum, esset tamen ens per se,  
quia per suam propriam essentiam est id, quod est; &  
proprio etiam moveretur motu, quia, ut jam probavimus,  
quicquid movetur proprio motu movetur; quamvis ille  
motus aliunde originem ducat, vel ab alio sit commu-  
nicatus.

# PHILOSOPHIAE NATURALIS

LIBER SECUNDVS.

De Aspectabilis Mundi Fabricâ.

## C A P V T I.

*De Mundi origine, & magnis ejus vorticibus.*




MNES res naturales in unam compagem inter se sunt conjunctæ, quæ Mundus dicitur.

Hic est immensa illa, ac ordinata, in- Quid mun-  
numerorum ac ingentium vorticum, M,  
D, N, S, L, F, f, Y, &c. se mutuò im-  
mediatè contingentium, congeries, quâ omnes res natu-  
rales continentur.

Mundo cogitatio nostra nullos fines tribuere potest. Mundus est nobis indefinitus.  
Nam ad quemlibet in Mundo longissimum terminum cogitatione proiecti, semper spaciū longum, latum & profundum, quod revera est corpus, ut superius docuimus, ulterius invenimus: atque ideo illum indefinitum quidem, non tamen infinitum affirmamus. Potest enim aliquid esse finitum, quamvis humana ratio nullum in eo finem inveniat.

Hominem totius mundi finem esse unicum, temerariè dici videtur. Quis enim homuncio scopos Dei infiniti se novisse dicat, nisi qui cum Deo de sapientiâ certare au- Homo non est unicus totius mundi finis dicendus.  
det? Pium autem est cogitare res omnes pro homine esse factas,



factas, quia reverè pro se mutuò, & consequenter etiam pro homine, sunt conditæ.

Mundi, præter Deum omnium creatorem, causa proxima videtur esse vehementissimus ille motus, quo materia seu corpus universi, (quod in solâ in longum latum & profundum extensione consistere diximus,) in quamplurimis partibus, diversâ determinatione, movetur, & qui ubique sibi non est similis.

Nam hinc illa in diversæ magnitudinis & figuræ divisa est particulas; cùmque tota ad lineam rectam non posset moveri, ac ejus partes in se invicem variè impingerent, & à se mutuò resilirent, hinc illa necessariò, variis undique locis, in varios, & inæquales, consentientibus tamen, quantum fieri potest, motibus, distantibusque inter se polis circumactos, abiit vortices.


Consentientes vorticum motus sunt, cum ex. gr. vortex S figuræ cœli primæ movetur ab A in E; & vortex D ab M in Q: vortex F ex 2 in 3 & 4: & vortex Y movetur secundùm ordinem cyferarum 5, 6, 7: & ita de cæteris: quando scilicet motus eorum se mutuò juvant.

Contrarii eorum motus sunt, qui se mutuò adversis determinationibus impediunt. Tales essent ex. gr. si vortex S moveretur ab A in E, & vortex F à 4 in 3 & 2; & vortex D à Q in M.

Causa  
mundi pro-  
xima est  
motus ve-  
hementissi-  
mus, mate-  
ria à Deo  
inditus, &  
illam in  
magno circumazens

Vortices  
Qui con-  
sentienti  
quibus-  
dem moti-  
bus; sed  
distanti-  
bus tamen  
vertuntur  
polis.

Quid mo-  
tus con-  
sentientes.



Quid distantes sint poli, patet ex figurâ cœli secundâ ubi polus A vorticis S longè distat à polis T T vorticis adjacentis K; & polus B ejusdem vorticis S longè distat à polis Z Z vorticis vicini L; & poli M M vorticis C, polique Y Y vorticis O longe distant à polis A & B nostri vorticis S.

*Quid di-  
stantes poli.*

*Cur motus  
vorticum  
istorum  
consen-  
tiant, &  
poli eorum  
sint à se  
mutuò re-  
moti.*

Si autem vortices isti contrariis omnino moverentur motibus, & circa conjunctos & vicinos circumvolverentur polos, fortior imbecilliores absorberet vorticem. Atque ita tota rerum universitas, non in varios, sed in unum, vel paucos coalusset vortices.

## C A P V T II.

*De primo & secundo Mundi elemento, Solis & Stellarum origine, luce & lumine.*

Articulæ illæ diversæ, in quas materia universi, per motus istos diversos, & qui ubique sibi non erant similes, in ipsis vorticibus fuit confracta, ad tria summa genera revocata, non male elementa totius Vniversi appellari possunt: Quia ex his omnia totius Vniversi corpora sunt composita.

*Mundi ele-  
menta, eo-  
rumque o-  
rigo.*

Primum elementum est pars materiæ, quæ vehementissimo omnium motu agitata, in materiam omnium subtilissimam & fluidissimam, cuius particulæ pleræque nullis certis figuris sunt præditæ, sed indefinitâ variatione, ad omnes aliorum contiguorum corporum figuræ, sese accommodant, est comminuta.

*Elementum  
primum.*

Secundum elementum est pars materiæ, quæ minori vehementiâ agitata, in subtilissimos & quam maximè fluidos globulos æthereos, ex angulorum omnium abrasione, est conformata.

*Elementum  
secundum.*

*Globuli ætherei secundi elementi alii sunt majores & vehementiores ; alii rem ; alii minores & minus vehementem habent motum.*

*Origo Solis & Stellarum fixarum.*

*Cur illa lucis nomine primum venerint.*


*Quomodo quarto creationis die Sol & Luna magna luminaria sint facta.*

Horum globulorum æthereorum alii aliis sunt majores , alii minores . Et majores , utpote solidiores , aptiores sunt ad vehementiorem motum à primo elemento accipiendum ; atque ideo etiam communiter vehementius , quam minores , moventur.

Ex horum duorum fluidissimorum elementorum in suis vorticibus circumgyratione , in primâ creatione factâ , tendebant globuli ætherei , utpote præ reliquâ cœlesti materiâ solidiores , versus peripheriam . Et quia plus erat subtilissimæ materiæ sive primi elementi , quam intervalla globulorum æthereorum , se mutuò in exiguis punctis contingentium , capere poterant , idcirco reliqua subtilissima materia tendebat versus uniuscujusque vorticis medium , ibique sola , sed parcior existens , constituebat primùm parva luminaria , Tellurem obscurius illustrantia , quæ idcirco primò , ob parvitatem suam , tantum lucis nomine veniebant . Postea verò , circa quartum creationis diem , tanta tamque copiosa subtilissimæ materiæ scobs , ex ulteriore globulorum æthereorum attritu , fuit nata , ut illa versus medium uniuscujusque vorticis copiosissime , propter minorem suam soliditatem , confluens , ibique cellerime circumrotata , varieque inter se agitata , magna ex parvis luminariis ibi existentibus efficeret luminaria ; quorum illud , quod est in medio nostri vorticis S , quia nobis , ob vicinitatem maxime splendet , Sol , reliqua , quæ sunt in medio aliorum vorticium Y , f , F , L , D , stellæ fixæ fuerunt dicta .

Atque ita quarto creationis die , unâ cum stellis fixis , factum est magnum Solis luminare ; à quo cum eodem die magno lumine corpus Lunæ perfunderetur , illudque à Lunâ ad Tellurem copiosissime , propter ejus propinquitatem , reverberaretur , contigit , ut eodem die Luna ,

quæ



K 3

quæ omne suum lumen à Sole habet , alterum magnum Telluris luminare fuerit factum.

*Quid &  
ubi fuerit  
lux primo-  
rum crea-  
tionis die-  
rum.*

Atque ex his jam est manifestum , quid , & ubi , illa priorum creationis dierum lux fuerit , quæ multorum ingenia haec tenus adeo torsit . Eadem sc . & ibidem circa S , D , L , F , f , Y , illa primo fuit , quæ & ubi nunc existit : verum nunc à quarto creationis die est magna , quæ antea erat parva .

*Quid sit  
lux Solis  
& stellarum.*

Præflio illa & varia agitatio , quâ subtilissima Solis & stellarum fixarum materia , circumpositos & per universum diffusos , contiguosque globulos æthereos , ad lineam rectam , ex legibus motûs antehac expositis , undique variè & satis validè perpetuoque premit , lux eorum vocatur .

*Quid lu-  
men.*

Illa verò globulorum æthereorum propulsio , à luce Solis aliorumque siderum orta , quia adspicientium oculos certâ sensatione sui afficere est apta , lumen dicitur .


*Eius ratio.*

Lumen autem nihil aliud esse , quam propulsionem quandam alicujus corporis , retinam oculi sensatione luminis afficere aptam , ex offensione oculi in rem duram , in loco tenebricoso existentem , vehementius impingentis , & luminis perceptionem inde accipientis , satis innotescit .

*Quomodo  
lumen un-  
dique ad  
lineas re-  
ctas perpe-  
tuò diffun-  
datur.*

Quomodo autem solis stellarumque subtilis materia , celerrime in orbem rapta , circumstans cælum sive globulos æthereos perpetuò ad lineam rectam undique variè premere , & luminis perceptionem undique excitare possit , manifestum est in lapide A , fundâ A E circumgyrato ; qui quamvis in orbem agatur secundum circulum L A B F ; tendit tamen etiam versus tangentem lineam A C G , ut ex antedictis patet ; atque etiam suâ gravitate ex A in D : & ideo premit corpus occurrentis ,


non



non tantum ex A in B , sed etiam ex A in C , & ex A in D .

Huc accedit , quod subtilis materia , solem & stellas fixas constituens , secundum suas fluidissimas particulas , perpetuo magnâ vehementiâ variè agitetur , & ita globulos æthereos circumstantes variè undique propellens , lumen undique diffundere queat : quemadmodum à flammâ ex. gr. candelæ ardenti , & particulas suas variè inter se agitantis , lumen undique diffundi videmus .

Pro-



Propulsis autem versus peripheriam globulis æthereis, & productis jam Solibus, ob perseverantem vorticum circumgyrationem, pars subtilissimæ materiæ, ex unis vorticibus, per partes à polis ( A B , M M , Y Y , Z Z ) remotiores, quales sunt ex. gr. 1 , 2 , quæ vehementissimè motæ, materiam illam copiosius expellunt in alios vortices, per partes polis eorum vicinas, ex. gr. 3 , 4 , utpote quæ tardiùs motæ, ingressum istius materiæ facilis admittunt, versus centrum eorum, ut ex. gr. S , O , L , C , K , perpetuò transit.


Eaque per interstitia globulorum æthereorum, perpetuò circum axem sui vorticis circumrotatorum, triangularia 1 & 2 , ex oppositis polis versus centrum transundo, magnâ ex parte, dum quædam ejus minutia ramosæ vel angulosæ inter se conjuguntur, in particulæ striatas, contrariis sibi mutuò modis contortas 3 & 4 , perpetuò abit.

Globuli verò ætherei, non transidunt per circumgyrationem illam vorticum ex uno vortice in aliud, quia intra aliorum vorticum polos tanta est motûs tarditas, ut celeritas globulorum æthereorum, qui ibi in celeritatis suæ statu permanere conantur, eo loco transitum non inventat; extra verò illos tanta aliorum vorticum est motûs celeritas, ut eorum in illos ingressus, ob vehementiam contrariæ determinationis, impediatur.

Subtilissima autem materia non invenit ullum, circa polum alius vorticis, in transundo impedimentum; quia non opus est, ut illa quicquam ibi de celeritate suâ remittat, cum in angustiis, quæ à globulis secundi elemen-

*Pars primi elementi transit perpetuò ex unis vorticibus in alios.*

*Eaque ex parte in particulæ striatas geminas, contrario modo intortas, converti- tur.*



*Elemen- tum secun- dum non transit ex uno vorti- ce in al- lium.*

L ti

*Cur ele- mentum primum ab uno vorti- ce in aliud possit trans- ire.*

ti non implentur, ubique sufficientes & ferè æquales, ad motus suos continuandos, reperiatur vias.

*Quomodo  
subtilis  
materia  
omnium  
motuum  
totius Uni-  
versi possit  
causa esse  
perpetua.*

Hæc subtilis primi & secundi elementi materia, cum subtilissimis & tenuissimis constet particulis, omnium poros penetrantibus, & ad aliorum corporum motum recipiendum aptissimis, idcirco omnium aliorum solidiorum corporum motum necessariò accipit; cumque illa sit copiosissima, & validissimum motum sibi in primâ creatione impressum habeat, aliaque corpora in hac natent; idcirco hæc necessariò omnia alia corpora vicissim etiam movet; atque ideo hæc meritò universalis & perpetua omnium motuum, qui jam in rerum naturâ observantur, causa dici potest.

### C A P V T III.

*De tertio elemento; item de planetarum & cometarum ex eo origine; & partium eorum gravitate, & levitate.*


*Tertium  
elemen-  
tum.*

**T**ertiū elementū est pars materiæ, in crassas va-  
riarumque figurarum particulas distributa & com-  
pacta.

*Planeta-  
rum &  
Cometa-  
rum origo,  
ac situs.*

Hoc dum à duobus illis subtilioribus elementis in gyros rapiebatur, & partes ejus celeriores tardius motas assequebantur, ac à præterfluente & ad lineam rectam tendente, eoque laterales particulas compingente materiā subtili vorticosa, inter se variis locis, conjungebantur, in multorum planetarum  $\text{\texttt{h}}$ ,  $\text{\texttt{u}}$ ,  $\text{\texttt{d}}$ ,  $\text{\texttt{r}}$ ,  $\text{\texttt{e}}$ ,  $\text{\texttt{s}}$ , & cometarum globos, varie, pro soliditatis suæ diversitate, à Sole S distantes, fuit compactum; illique in justâ sua-  
rum circumgyrationum A B C A statione, tum à mo-  
do soliditatis, tum à certâ motus citerioris & ulterioris  
cœli

A



cœli secundum celeritatem & tarditatem proportione,  
fuerunt retenti.

Qui enim planetarum globi sunt solidiores, ut Saturnus  $\text{h}$  Jupiter  $\text{\female}$  & Mars  $\text{\male}$ , ii longius; qui minùs solidi,

L 2

ut

ut Tellus  $\tau$ , Luna  $\alpha$ , Venus  $\varphi$ , & Mercurius  $\xi$ , minùs remotè à centro S fuerunt propulsî.

Et quando ad illos globulos æthereos pervenerunt, qui parem cum ipsis habebant soliditatem; vel ubi cœli ulterioris & citerioris motûs celeritas ita erat proportionata, ut una alteram superare non posset, tum servarunt planetæ circumgyrationis suæ stationem: quod postea magis patebit.

*Soliditas  
particula-  
rum tertii  
elementi in  
quo conſi-  
ſtat.*

Soliditas autem illa, non tantum ex partium crassitie & densitate, sed etiam à figurâ, & præcipue à superficie minore magnitudine, est æstimanda; quia minorem superficiem habentia, facilius alia corpora penetrant. Ita plumbum, in globum densum coactum, est solidius, quam idem in laminam complanatum vel in sphæram excavatum: hoc enim aquæ impositum in ejus summo natat; illud verò ad fundum subsidit.

*Cur partes  
diversæ,  
globos pla-  
netarum  
conſtituen-  
tes, alia ſint  
interiores,  
alia exte-  
riores; alia  
aliis ſint  
inferiores,  
alia ſuperi-  
ores.*

Quia tertii elementi particulae aliæ aliis sunt solidiores, hinc solidissimæ undique à vi præterfluentis, & ad lineam rectam, quantum potest, ubique tendentis, easque compingentis ætheris, pelluntur ad perpendicularum versus uniuscujusque planetæ centrum: quæ verò minus sunt solidæ, pro diversâ minoris suæ soliditatis ratione, à centro sunt magis remotæ, eo ferè modo, quò paleæ, tritico mixtæ, tardius ac minùs longè palâ vel vanno projiciuntur, quam triticum. Atque hæc est caufa, cur in Tellure, ut postea docebimus, aqua ſit ſupra terram; & aër ſit ſuperior aquâ.

*Quid gra-  
vitas &  
levitas ea-  
rum.*

Arque ea tarditas vel celeritas motûs particularum tertii elementi, à soliditate earum orta, quâ partes illæ, ab inſequente vel præterfluente & circumcurrente materiâ cœleſti inter ſe tardius vel celerius compelluntur, vulgo gravitas & levitas appellatur. Quæ enim, per ſuam illam partium dispositionem, ad celeriorem compulſio- nem

nem sunt aptæ , graves : quæ ad tardiorē , leves dicuntur.

Notandum autem est , corpora ejusdem gravitatis , ut ex. gr. partes aquæ vel aëris , dum inter se sola sunt mixta , & sibi mutuò immediatè incumbunt , nullam pressionem vehementiorem , quam gravitationem vulgò appellant , in se mutuò exercere ; quia omnes eorum partes , quod æquè sunt solidæ , à subtili materiâ circumfluente , æqualiter versus centrum premuntur , atque ideo una aliam eò magis propellere , & hac ratione vehementius premere non potest . Cumque , ob hanc æqualem eorum pressionem , eodem redeat , sive hæc sive illa pars superior vel inferior fuerit , levissimo accedente motu inter se de loco perturbari possunt : ut appareat , cum situlam aquâ plenam , in aquâ profundâ sursum deorsumque , vel ad latera , movemus .

Neque prætereundum , corpora graviora à corporibus levioribus , quibus sunt immersa , majorem pressionem sive gravitationem non accipere ; propterea quod leviora illa corpora quantumvis alta , minùs fortiter à subtili circumcurrente materiâ , quàm ipsa immersa graviora corpora , ad centrum Telluris premuntur . Atque ideo contingit , ut homo sub aquis , quantumvis profundis , submersus , nullam gravitatem in iis percipiat .

*Cur corpora aquæ gravia , inter se sola existentia , non gravitent.*


*Cur homo sub aquis demersus ab incumbentibus aquis non comprimitur , nec gravitatem in illis percipiat.*

## C A P V T VI.

### *De Cœlis.*

**I**Nnumerabiles illi vortices , qui mundum hunc adspettabilem constituunt , satis commodè in duos cœlos dividvi videntur .

Primum cœlum est ingens ille vortex A Y B M , in *cœlum* quo Tellus seu planeta ille , quem nos incolimus , cum *primum*;



aliis planetis mox describendis, circum Solem S, intraque stellas fixas L, C, O, K, à subtili materiâ circumfertur.

Cœlum secundum complectitur omnes illos innumeratos vortices, Z L Z, M C M, Y O Y, T K T; qui hunc nostrum vorticem B S A undique circumstantes, in suo centro stellas fixas, L, C, K, O, &c. gerunt. Secundum;

Quicquid autem extra illos est extensum, & homini vivo non est adspettabile, totum illud, quantum quantum est, cœlum tertium appellamus. Tertium.

In cœlo primo, præter illa, quæ jam commemoravimus, considerandus est ipsius motus, & planetæ, nec non cometæ, item Solis maculæ; ad hæc nox & dies, item anni tempestates, quæ in Tellure; phases, quæ in Luna; & eclypses, quæ, tum in Sole, tum in Lunâ, observantur. Quæ in cœlo primo erunt consideranda.


## C A P V T V.

*De motu primi Cœli.*

**P**Artes cœli primi, quæ Soli sunt, viciniores, utpote ejus viribus ob viciniam magis obnoxiae, omnium rapidissimè à Sole circumrapiuntur: paulò tardiùs, quæ ab ipso sunt magis remotæ; donec per ventum sit ad regionem Saturni H N R Q, ubi partes cœli omnium tardissimè procedunt. Motus divisorius partium Cœli primi; & divisorialis ejus causa.

Atque hic motus ex planetarum, in his cœli partibus existentium, & postea explicandorum, celeritate & tarditate satis innotescit.

Quæ verò cœli primi partes vorticibus cœli secundi, superficiem cœli primi valde inæqualem facientibus, sunt proximiores, illæ magnam ex illa superficie inæqualitate adipiscuntur celeritatem: propterea quod in angustiis angulorum



gulorum I, E, A, motus materiæ subtilis inter istas superficie inæqualitates magnopere acceleretur, unde aliæ vicinæ cœli partes, has antecedentes & insequentes, necessariò etiam magnam celeritatem acquirunt; dum scilicet insequentes vehementius has premunt, & antecedentes ab his vehementius propelluntur.

Harum partium cœli motū celeritas, ex magnâ cometarum, in illis subinde existentium, celeritate, satis evidenter colligitur.

*Vnde celeritas istarum partium colligatur.*

## C A P V T VI.

### *De Planetis.*

Planetæ, nisi magna soliditatis eorum inæqualitas, *Motus planetarum annuus & diurnus.*  
vel alia causa obster, præterquam quod rapiuntur circum Solem annuo motu, etiam diurno circum proprium circumrotantur centrum.

Idque ferè codem evenit modo, quo ex. gr. orbis mensarius ligneus, qui superficie aquæ, ampio vase contentæ, & vehementiori manus vel baculi motu circumgyratæ, innatæ, ab istâ aquâ non tantum in ejus superficie, secundum interiorem vasis circuitum, circumvehitur, sed etiam circum centrum suum isto aquæ motu circumrotatur.

Hic autem annnus & diurnus planetarum motus *Is demonstratur similiter exempli.* ex eo originem dicit, quod materia cœlestis planetas non tantum suo progressu propellat, sed inter circumgyrandum etiam, ob propensionem quam habet ad motum rectum, magis in planetarum exteriōres & à Sole magis distantes, quam interiores seu Soli viciniores partes, impingat, atque ideo versus Solem eas vertat.

Ex primâ istâ circumrotatione planetæ circum suum centrum, determinatur rapidissimus cœli vicini motus, in orbem circum eundem planetam; atque ita in magno

*M* *cœli*

*Vortex cuiusque planetæ peculiaris, & ejus origo, atque effeta.*

cœli vortice formatur peculiaris vortex , qui motu peculiari circum illum planetam circulum celerrimè absolvens, planetam circum suum centrum porrò circumrotat, eumque perpetuò comitatur ; & parvos planetas , si qui satis vicini fuerint , absorbet ; eosque vario intervallo, pro soliditatis suæ ratione , à primario planetâ distantes , diversoque temporis spacio , circum eum circumfert; partesque primarii planetæ ( quippe qui multò tardiùs circum centrum suum circumrotatur , quàm iste peculiaris vortex ) pro variâ soliditate earum magis vel minus ad centrum ejus propellit. Atque hinc fit, ut in Tellure terra, quæ solidissima est, sit infra aquam ; & aqua , quæ aëre solidior , sit infra aërem. Talis peculiaris vortex est circum Tellurem τ , quæ unum ; & circum Iovem υ , qui quatuor ; & circum Saturnum δ , qui duos secundarios planetas habet comites.

*Cur in Tellure terra sit infra aquam, & aqua infra aërem.*

*Cur peculiaris ille vortex continuet suam circumgyrationem.*

*Planetarum ordo, & circumgyrationis tempora.*

Peculiaris vorticis circumgyratio , semel inchoata , continuatur à materiâ cœlesti in orbem tendente , & magis versus exteriora quàm interiora, ob tendentiam quam ad lineam rectam habet , vergente.


Planetæ primarii, variâ celeritate Solem S , pro ratione sui sitûs , ab A in B , & deinde in C , atque inde in A circumcurrentes , sunt sex.

Primus à Sole S est Mercurius ♀ : secundus Venus ♀ : tertius Tellus τ : quartus Mars ♂ : quintus Iupiter υ : sextus, omnium à Sole remotissimus , est Saturnus δ .

Mercurius , qui Soli proximus est , circumrapitur circum Solem 80 diebus. Venus novem mensibus. Tellus cum Lunâ annuo spacio : Luna verò Tellurem 28 diebus præterpropter ambit.

Martis bima est revolutio. Iovis , cum quatuor suis comitibus , 12 annorum est circuitus. Et comitum remotissimus diebus 16 ; tertius diebus 7 ; secundus horis 85 ; & Io-

A



& Iovi proximus horis 42, eum perpetuo circumcursant.

Saturnus, cum duobus suis satellitibus, aut tardissime, aut nunquam illum circumcurrentibus, 30 annis circum

M 2


Solem

M E F L D G K C H I

N

B

A



Solem in nostro coelo A, B, C, intra circumstantium stellarum fixarum vorticis, circumvolvit.

Ex diversis illis Telluris & reliquorum planetarum, Solem ambientium, circumcursibus contingit, ut planetæ nobis in Tellure existentibus, modò directi, modò stationarii, modò retrogradi, modò rursus stationarii, modò rursus directi videantur.


Hoc si in planeta quopiam Telluri exteriore, ut Saturno, Iove, vel Marte; item in interiore aliquo, ut Venere vel Mercurio, demonstretur, veritas in aliis planetis etiam erit manifesta.

Sit itaque Tellus primo mense in suæ orbitæ, annuo spacio percurrentæ puncto *a*; Iupiter vero in curriculi sui duodecim annis emetiendi parte 1: tum apparebit Iupiter Telluris incolis in parte cœli A. Mense secundo, ubi Tellus ad orbitæ suæ punctum *b*, & Iupiter ad sui circuitūs partem 2 pervenerit, apparebit nobis Iupiter in cœlo directè processisse ex A in B. Mense tertio, ubi Tellus ad circuitūs sui punctum *c*, & Iupiter ad orbitæ suæ partem 3 processerit, videbitur nobis Iupiter in cœlo directè esse proiectus ex B in C. Quarto mense, ubi Tellus ad orbitæ suæ punctum *d*, & Iupiter ad circuitūs sui partem 4, pervenerit, videbitur nobis Iupiter in cœlo directo gradu ex C in D progressus. Quinto mense, ubi Tellus ad orbitæ suæ punctum *e*, & Iupiter ad circuitūs sui partem 5 pervenerit, tum videbitur Iupiter in cœlo directis passibus processisse ex D in E.

Verum ubi Tellus ad orbitæ punctum *f* sexto mense, & Iupiter tum ad circuitūs sui partem 6 processerit, tunc videbitur Iupiter nobis retrocessisse in cœlo ex E in F; & quia hoc spatium est valde exiguum, ideoque dicitur Iupiter tum stationarius. Vbi deinde Tellus ad circuitūs sui punctum *g*, & Iupiter ad partem suæ orbitæ 7 septimo

*Cur plane-  
ta modò di-  
recti, mo-  
dò statio-  
narii, modò  
retrogradi  
appareant.*

*Demon-  
stratio ejus  
in Iove.*



mense pervenerit, tum videbitur nobis Iupiter retrogradō gressu in cœlo processisse ex F in G. Et ubi Tellus mense octavo ad orbitæ suæ punctum *b* & Iupiter ad circuitūs sui partem 8 processerit; tum videbitur nobis Iupiter retrogrado adhuc passu in cœlo pervenisse ex G ad H. Et ubi Tellus nono mense ad orbitæ suæ punctum *i*, & Iupiter ad circuitūs partem 9 pervenerit, tum videbitur nobis Iupiter in cœlo retrogrado passu processisse ex H in I; cumque hoc spatiū etiam sit exiguum, idcirco dicitur tum Iupiter rursus stationarius.

Postea ubi Tellus decimo mense ad orbitæ suæ punctum *k*, & Iupiter ad partem sui circuitūs 10 pervenerit; tum videbitur nobis Iupiter rursus directo gressu in cœlo ex I in K processisse. Deinde ubi Tellus undecimo mense ad orbitæ suæ punctum *l*, & Iupiter ad circuitūs sui partem 11 processerit, tum videbitur Iupiter nobis in cœlo gradu directo progressus ex K ad L. Deinde ubi Tellus duodecimo mense ad orbitæ suæ punctum *m*, & Iupiter ad circuitūs sui partem 12 pervenerit, tum videbitur nobis Iupiter in cœlo passu directo proiectus ex L in M. Et denique ubi Tellus mense decimotertio ad orbitæ suæ punctum *a* reversus, & Iupiter ad circuitūs sui partem 13 proiectus fuerit, tum videbitur nobis Iupiter in cœlo passu directo progressus ex M in N.

Vt idem in interiori aliquo planetā demonstretur, sit Tellus in orbitæ suæ, annuo spacio percurrendæ, puncto A, & Mercurius sit eodem tempore in curriculi sui octoginta diebus emetiendo parte 1; tum videbitur nobis Tellutis incolis Mercurius existere in cœli parte *a*. Vbi deinde Tellus post aliquot dies, ad orbitæ suæ punctum B, & Mercurius eodem tempore ad circuitūs sui partem 2 pervenerit; tum videbitur nobis Mercurius passu directo in cœlo progressus à puncto *a* ad punctum *b*. Postea ubi Tel-


*Demonstratio ejus  
in Mercurio.*

Tellus simili temporis spacio ad orbitæ suæ punctum C, & Mercurius ad circuitūs sui partem 3 tum proiectus fuerit; tunc apparebit nobis Mercurius directo gradu in cœlo progressus ex parte b in c. Deinde ubi Tellus ad orbitæ suæ punctum D, & Mercurius ad circuitūs sui partem 4 processerit; tum videbitur nobis Mercurius in cœlo directo passu ex parte c progressus ad partem d: Postea ubi simili tempore Tellus ad orbitæ suæ punctum E, & Mercurius ad circuitūs sui partem 5, pervenerit; tum videbitur nobis Mercurius directo adhuc gradu in cœlo proiectus à parte d in e.

Verum ubi Tellus deinde ad punctum sui circuitūs F, & Mercurius ad orbitæ suæ patem 6 eodem tempore pervenerit; tum apparebit nobis Mercurius retrogrado passu in cœlo transisse ex cœli parte e in f. Et quia hoc spaciū est exiguum, idcirco dicitur tum Mercurius stationarius; quod tum ferè eandem in cœlo stationem servare videatur. Vbi deinde Tellus ad orbitæ suæ partem G, & Mercurius ad circuitūs sui partem 7 progressus fuerit, tum videbitur nobis Mercurius retrogrado gressu pervenisse in cœlo ex parte f in g. Et ubi postea Tellus ad circuitūs sui punctum H, & Mercurius ad orbitæ suæ partem 8 pervenerit; tum videbitur nobis Mercurius in cœlo retrogrado adhuc gressu delatus ex g in h. Et quando Tellus postea ad orbitæ suæ punctum i, & Mercurius ad circuitūs sui partem 9 processerit; tum videbitur nobis Mercurius retrogrado quidem passu in cœlo ex h in i pervenisse: sed quia spaciū hoc in cœlo etiam est exiguum, idcirco dicitur Mercurius tum rursus stationarius.

Postea ubi Tellus ad orbitæ suæ punctum K, & Mercurius ad circuitūs sui partem 10 processerit; tum apparebit nobis Mercurius iterum directo gressu ex i in k in cœlo

lef d' lk sic



N

cœlo processisse. Vbi deinde Tellus ad circuitūs sui punctum L, & Mercurius ad orbitæ suæ partem 11 processerit; tum videbitur nobis Mercurius in cœlo directo gradu ex k in l processisse. Et ubi postea Tellus ad orbitæ suæ punctum M, & Mercurius ad circuitūs sui partem 12 pervenerit; tum videbitur nobis Mercurius in cœlo directo adhuc gressu pervenisse ex l in m. Et denique ubi Tellus die octogesimo ad suæ orbitæ punctum N, pervernerit, & Mercurius eodem tempore ad circuitūs sui partem 1 fuerit reversus, tum videbitur nobis Mercurius in cœlo directo gradu progressus ex m in n.


*Orbitæ planetarum non sunt circulares:*

Orbitæ, quas planetæ circum Solem percurrunt, non sunt perfectè circulares; nec Sol est exactè in earum medio: ut videre est ex orbita Saturni H N Q R, quæ est in hac appositâ figurâ mundi secundâ. Nam ipsi sunt Soli modò propinquiores, modò ab eo remotiores, & modò supra eclipticam, seu medium Solis lineam ascendunt, modò infra illam descendunt. Eæque excursiones, ascensiones, & descensiones, non sunt statæ & perpetuæ, sed lapsu temporis immutantur.

*Et ob quas causas.*

Causa hujus rei est inæqualitas superficiei cœli, unde materia cœlestis primi cœli valdè inæqualiter fertur; item inæqualis in hoc materiæ subtilis, ex aliis vorticibus circumstantibus, etiam valdè inæqualibus, influxus, & à Sole refluxus; item materiæ cœlestis ex variis vorticibus in hunc nostram influentis diversitas, quâ planeta magis in unam quam in aliam partem potest pelli; & denique varia corporum in vorticibus contentorum actio, quæ nondum satis innotuit.


*Cur axes planetarum semper eadem sidera spectare, totique planetæ eandem à stellis fixis Zodiaci distantiam habere: propterea quod extremitates sive poli*



*per ingen-  
tem orbi-  
tam cir-  
cum Solem  
ferantur.* poli ipsorum tantum unico ferè motu feruntur circum Solem ; & quamvis circulus , quem annuo motu planetæ percurrunt , sit valdè magnus , attamen , respectu ingen- tis distantia siderum fixorum , habet ille tantum ratio- nem puncti .

*Ejus rei  
demonstra-  
tio.*

Sit itaque planeta quilibet I , dum annuo suo motu Solem K circumcurrit , in orbitæ suæ parte qualibet , quæ vel Arietem  $\gamma$  , vel Cancrum  $\odot$  , vel Libram  $\text{L}$  , vel Capricornum  $\wp$  , vel quasvis alias stellas fixas Zodia-




cispectat , semper ille ob causas jam dictas , eandem à stel- lis fixis videbitur habere distantiam ; polique ejus si se- mel

mel stellas fixas, quæ sunt ex. gr. circa partes cœli L & M, spectaverint, semper easdem spectare videbuntur.

Planetæ non habent lumen à se, sed à Sole. Hoc in Tellure, Mercurio, Venere, & omnibus secundariis planetis, ex eo est manifestum, quod in eclipsibus vel toti vel ex parte, dum alii in aliorum umbram incurront; & extra illas, in parte à Solis radiis aversâ, conicam umbram, quia Sol his multo major est, spargentes, obtenebrantur. In Saturno, Iove, & Marte hoc inde colligitur, quod illi cum Soli sunt propinquiores, vehementius; ab illo remotiores, imbecilliùs splendent. Et denique hoc ex eo patet, quod lumen omnium planetarum sit placidius & minus fulgidum, quam illud, quod in stellis fixis & Sole observatur.

Globuli ætherei 3 2 1 9 7 G D B E, qui à Sole us

*Globuli ætherei,  
qui sunt  
supra Sa-  
turnum,  
inferiori-  
bus sunt.  
maiores.*



que ad extremam Saturni orbitam H C I se extendunt,  
N 3 valde

valdè sunt parvi: qui verò supra illam orbitam existunt globuli H F A 4 5 6 I, multò illis sunt majores; ita ut singuli majores globuli, in extremo orbitæ Saturni circa H C I existentes, à septem vel octo parvis globulis subiectis, qui illos in illo confinio versus Solem continent, ea parte cingi possint: Atque hoc ex peculiari lumenis Cometarum refractione, mox explicandâ, innotescit.

*Vnde hoc  
confer.*

## CAPUT VII.

*De Cometis.*

**A** Liquando observantur in hoc primo nostro cœlo Cometæ.

*Cometa.*

Hi sunt globi planetis multò majores, ex partibus tertii elementi compasti, & in extremo nostri cœli primi interdum conspicui; qui tantam habent soliditatem, ut postquam per aliquod spacium celerrimè in nostro cœlo sunt vœti, tandem, in aliquem ex circumstantibus secundi cœli vorticibus ejecti, oculos nostros effugiant.

Horum motus designatur ex. gr. in appositâ figurâ mundi primâ, secundum ductum literarum N C E 3 4 5 6 7 8.


*Cometas  
esse in summo nostro  
cœlo conser-  
vatis ex eo,  
quod nul-  
lam ha-  
beant pa-  
rallaxin.*

Cometas autem in cœli nostri extremo sive summo locum habere, patet ex eo, quod illi eodem tempore à diversis spectatoribus, longissimo terrarum tractu à se multò distantibus, conspecti, nullam parallaxin sive aspectus variationem ipsis exhibeant; sed in eodem cœli loco, & prope easdem stellas, diffitis istis spectatoribus existere videantur.


*Eius de-  
monstratio.*

Cum enim stella ex. gr. A vel F, in inferiore cœlo sita, à distantioribus spectatoribus, ex. gr. D B, eodem tem-

pore



pore conspicitur, tum stella A, à spectatore D conspecta,  
apparebit ipsi è regione stellæ E; & stella F, ab eodem



spectatore conspecta, apparebit ipsi è regione stellæ G.  
Eadem verò stella A, eodem tempore à spectatore disli-  
to D visa, apparebit ipsi in regione cœli circa stellam E;  
& stella F, eodem tempore à spectatore D conspecta,  
appare-

apparebit ipsi è regione stellæ H. Atque ita uterque ille stellarum humilium A & F aspectus , pro humiliatis suæ diversitate , vel magnam parallaxin , qualis est C E , vel parvam , qualis est G H , spectatoribus longè diffitis exhibebit.

Cum verò stella , in summo cœlo ; ex. gr. circa I , sita , à spectatoribus longè à se mutuo diffitis eodem tempore conspicitur , tum nullam illa parallaxin exhibet. Nam utriusque spectatori , ex longè diffitis Telluris partibus B & D illam eodem tempore spectanti , appetat illa è regione ejusdem stellæ K.

Cum itaque cometæ tam sint sublimes , iisque valde magni appareant , sequitur ipsos planetis , utpote in inferiore cœlo tantum existentibus , multò esse majores .

Hi non sunt lucidi , nec à se luminosi , sed opaci ; atque ideo omne suum lumen , quod nobis est conspicuum , habent à Sole.


Idque ab illis per globulos majores , eos circumstantes , qui ad Saturni orbitam H G F E D usque pertingunt , in minores , à summâ Saturni sphærâ usque ad Solem sese extendentes , de quibus in fine præcedentis capitinis egimus , communicatum ; non tantum ad lineas rectas C H 6 , C G 4 , C F 3 , C E 2 , C D 7 , vehementius procedit ; sed , dum singuli magni globuli , in superficie sphæræ Saturni H G F E D , simul plures etiam parvos subiectos & circumstantes , imbecilliùs , suis lateribus premunt , ibidem etiam ad latera versus Tellurem aliosque subiectos planetas , debilioribus radiis refringitur & dispergitur.

Atque hinc , pro vario spectatoris oculi , in annui circuitu Telluris orbitâ 5 4 3 2 existentis , situ , appetat cometa vel caudatus , ut in 2 & 4 , per radios directos C G 4 , vel C E 2 , cometæ caput , & refractos ac imbe-

O

cilliores

*Quomodo  
Cometa  
caudati ,  
rosei , vel  
trabales  
apparent.*



cilliores CH 4, vel CD 2, caudam ejus repræsentantes : Vel apparet undique comatus seu roseus, ut in 3, per radios directos & fortes CE 3, cometæ caput, & CG 3 ab unâ parte, ac CE 3 ab alterâ, & ita undique in reliquis circumstantibus partibus refractos, & debiliores, comam exhibentes: Vel sola ejus cauda instar trabis apparet, ut in parte orbitæ 5, per solos radios debiliores & refractos CD 2 5, vel CH 4 5; quia radii directi CH 6, vel CD 7, vel ulli alii directi, ad spec-

ulatoris oculum, in circuitu parte 5 existentem, pervenire non possunt.


Causa, cur cometæ, in parte orbitæ Telluris 4 aut 2 visus,

*Cur caudati non  
appareant  
rosei.*

visus, non appareat comatus, sed tantum caudatus, haec est; quod globuli ætherei majores radii C F, in puncto F orbitæ Saturni H G F E D, in subjectos minores globulos perpendiculariter incidentes, tantum paucos utrimque à latere circumpositos habeant parvos subjectos globulos, atque ideo radios imbecilliores laterales copiosos usque ad 4 & 2, pro comâ ab eâ parte per refractionem ostendendâ, projicere non possunt. Ii verò globuli ætherei majores, qui satis oblique, secundum radios C H & C D, in orbitam Saturni H G F E D, & subjectos parvos globulos æthereos incident, illi multò plures globulos parvos, propter illam incidentiæ obliquitatem, ab uno latere, quam ab altero habent; atque ideo possunt illi, ex H in 4, & ex D in 2, satis copiosos laterales & imbecilliores, ad caudæ imaginem, per refractionem satis magnam, exhibendam, propellere radios.

Quomodo autem globuli ætherei majores, in sphæram Saturni perpendiculariter incidentes, habeant paucos laterales sibi subjectos globulos, atque ideo exiguum in iis faciant radiorum imbecillum refractionem; & contra globuli, satis oblique in illam incidentes, habeant ab unâ parte laterales multos parvos; atque ideo multò major refractione ab iis excitetur, id patet ex sequenti schema: ubi globulus major C, perpendiculariter in subjectos parvos incidens, tantum duos ab uno quoque latere habet sibi subjectos globulos parvos; atque ideo utrimque parvas facit refractiones à perpendiculari C B deflectentes, quarum una tantum tendit ex C usque in D, altera ex C usque in E. Globuli verò magni H & I, oblique in subjectos parvos incidentes, habent sibi ab uno latere subjectos sex vel septem: atque ideo globulus major I magnam refractionem excitat, quæ à perpendiculari I K oblique ex I usque ad B; & globulus major H magnam

Demonstratio diversitatis refractionum, quam patiuntur Cometa-rum radii.



etiam refractionem efficit, quæ à perpendiculari H G obliquè ex H usque ad B deflectit.


*Cur cometarum cauda modo curva, modo recta videatur.*  
Quia superficies orbitæ Saturni H N Q R, versus polos A B, est planior, ideo caudæ cometarum ibi videntur rectiores: magis verò incurvatæ versus eclipticam M Y, ubi illa ex majore circumgyrationis vehementiâ est magis gibbosa.

### C A P V T VIII.

#### *De Solis maculis & faculis.*

*Lux Solis, ejus ab ipso Sole.* **S**OL propriâ splendet luce: quod fulgidissimi ejus indicant radii; cum nullum sit corpus, unde illos habere possit.


*Cur Sol aequaliter undique splendet.* Splendetque in omnes partes ferè æqualiter; quia præfatio globulorum æthereorum, à circumgyratione Solis circum suum axem d f, prope eclipticam seu medium Solis



Solis liam *e g*, vehementior, compensatur à subtili materia, Solem, propeutrumque ejus polum *d f*, perpetuo ingrediente, quæ circa illas partes globulos æthereos utrimque satis vehementer premit.

*Solis maculae & faculae.*

Fulgorem Solis obfuscant subinde maculæ, sive par-



tes quædam obscuriores, quales hic in schemate Solis A B exhibentur; quæ 26 præter propter dierum spacio, secundum lineæ eclipticæ *e g* ductum, circum Solis su perficiem, circumgyrantur.

*Vnde illa orientur.*

Hæc originem ducunt à striatis primi elementi particulis, per polos nostri cœli A B, utrimque ex secundi cœli vorticibus, in Solem per ejus polos *df*, trans-euntibus, quæ illum ingressæ, vehementi ejus agitacione, propterea quod sunt angulosæ, sæpe in magnas molles uniuntur, & foras in intimam cœli superficiem Soli contiguam instar spumæ ejiciuntur, quæ à Sole deinde discussæ vel absorptæ, vel à novâ lucidâ Solis materiâ superatæ, in faculas, sive partes Solis lucidiores, convertuntur.

Macu-

Maculæ aliquando tam densæ & copiosæ in superficie Solis nascuntur, ut Sol non tantum per dies aliquot, sed plures etiam menses, sine radiis fulgidis, triste lumen, instar Lunæ præbeat.

Tarditas motū istarum macularum Soli adeo vicinorum oritur ex eo, quod æther quidam è materiâ stria-tâ, ex Sole perpetuò ejectâ, circum Solem sit genitus, qui se satis longè versus Mercurii orbitam undique exten-dit, & celeriorem macularum motum impedit.

*Cur Sol multis mensibus aliquando sit sine ju-sto splen-dore.*

*Cur macu-la Solis tam tardè movean-tur.*

## C A P V T IX.

*De Die & Nocte.*

**T**Ellus circumvolutione diurnâ, quâ circum axem suum A B, spacio 24 horarum ab occasu in ortum, semel circumvolvit, efficit nobis diem & noctem. Et diem quidem illâ parte, quæ Soli obversa radios ejus excipit: noctem verò istâ, quæ à Sole aversa radios ejus excipere non potest.


*Vnde in Tellure ori-atur dies & nos.*

Annuâ verò circumvolutione, quâ Solem 12 mensium spatio circumcurrit, efficit, ut Sol nunc his, nunc illis stellis conjunctus vel oppositus esse, imo totum Zodia-cum uno anno percurrere, secundùm apparentiam vi-deatur.

*Quomodo Sol totam eclipticam percurrere videatur.*

Cum enim Tellus primo mense est in parte orbitæ suæ, quæ Libram spectat, tum Sol videtur esse in Arie-te ♈: cum secundò mense est in Scorpione♏, tum Sol vi-detur esse in Tauro ♉: cum tertio mense Tellus est in eâ parte, quæ Sagittarium♐ spectat, tum Sol videtur esse in Geminis ♊: cum quarto mense est in Capricorno ♑, tum Sol videtur esse in Cancro ♋: cum quinto men-se Tellus est in Aquario ♓, tum Sol videtur existere in Leone ♌.

*Eius rei de-monstratio.*



Leone ♌ : & cum sexto mense est in Piscibus ♓ , tum Sol videtur esse in Virgine ♍ . Idem verum esse etiam in reliquis signis, per appositi schematis inspectionem facile cognosci potest.

*Objectionum solutio-*

*Quomodo cum Tellu-*  
*ris circum-*  
*rotatione subsistat*  
*gravium perpen-*  
*dicularis de-*  
*lapsus:*

Neque hic metuendum est , ne , ob illam Telluris circumvolutionem diurnam , vel etiam annuam , pondus aliquod in altum projectum , vel ex altissimo ex. gr. navis malo decidens non, secundum perpendiculum in manum projicientis , vel ad mali pedem; sed procul inde ad partem occidentalem , sit casurum. Nam pondus in altum projectum , vel ex malo decidens , æquè in terram , unà cum aquâ & aëre , ab occasu in ortum circum suum axem se circumrotantem , ad perpendiculum decidit , ac pila ex. gr. in navi , rapidissimè à ventis propulsâ , in altum

altum projecta, perpendiculariter in illam delabitur. Omnia enim ista corpora gravia ita sursum vel deorsum mota, præter motum ascensorium & descensorium, ab hominis projicientis sublatione, vel ab ætheris gravia ratione antehac explicatâ dejicientis depulsione impressum, habent simul etiam motum lateralem à navi celeriter provectâ, & Tellure celerrimè circum axem suum circumrotatâ, ipsis inditum, quo unâ cum navi & Tellure etiam lateraliter & æquali cum illis celeritate in hanc vel illam partem, atque ita ad perpendiculum feruntur.


Atque hinc etiam facile intelligimus globum ferreum, è tormento bellico in quamcunque terræ plagam vi pulveris pyri incensi emissum, quamvis Tellus diurnum illum & annum circumvolutionis motum habeat, æquali tamen celeritate æquale spaciū emetiri; eodem modo ut lucius pescis, qui etiam si vivario, navi quamvis celeriter proiectæ alligato, sit inclusus, & cum illâ versus certam regionem vehatur; æquali tamen celeritate per aquam vivario inclusam, in quamlibet vivarii partem, natando provehitur. Nam ut lucius ille, præter motum ipsis à spirituum animalium determinatione impressum, & natationem in partem quamlibet vivarii efficientem, habet simul etiam aliū motum à navis & alligati vivarii proiectione ipsis inditum, quo æquali cum his celeritate quocunque etiam fertur: ita globus tormentarius, præter motum progressivum ab incenso pulvere pyro ipsis impressum, habet etiam aliū motum à Tellure, in quâ existit, ipsis inditum, quo pari cum Tellure celeritate ab occasu in ortum circumvehitur, atque ideo etiam æquali celeritate æqualia in Tellure spatia emetitur.

Neque est quod metuamus, ne ædificia, terra, maria, ac flumina, rapidissimâ ista Telluris circumgyratione, dissiliant, & in aërem disjiciantur. Cum enim cœlum,

*Et telorum  
resta ad  
scopum ja-  
culatio:*

P quod

A



aliorumq; quod est inter Tellurem τ & Lunam ☽, multò celerio-  
corporum, re raptu feratur circum Tellurem, quàm Tellus circum  
cum Tellu- suum axem, hinc necessariò deprimitur undique omnes  
re cohesio: Telluris partes jam enumeratæ, & omnes aliæ, ad ipsius  
cen-

centrum: ita ut nullæ per diurnam vel annuam ejus circumvolutionem , versus peripheriam dissilire vel disjici queant.

Neque etiam his quiquam adversatur communis vulgi & S. Scripturæ , apud Ios. 10. 12. Psalm. 19. 5. Eccl. 1. 4. locutio , quâ Sol quotidie oriri & occidere , & tempore Iosuæ stetisse dicitur. Nam hæc ex communi vulgi sententiâ , secundum apparentiam , tantum dicuntur ; quia vulgus , imo omnes homines , à primis incunabulis Soli motum attribuere consueverunt , quod nullam in terrâ circumrotationem diurnam vel annuam oculis possint observare. Itaque in hac S. Scripturæ & vulgilocutione est tropus statuendus : qui , quia nec miracula Dei destruit , nec rationem Physicam evertit ; cum ea cum hoc tropo optimè consentiant : nec ille durior sit illis ἀκυρολογίαις , quibus Deo in Sacris pœnitentia , ira , furor , gaudium , tristitia , aliaque à ratione & divinâ ejus perfectione alienissima , non propriè , sed secundum vulgi opinionem ex apparentiâ natam , vel per idiotismum , vel anthropopathiam , attribuuntur ; idcirco ille , citra ullam difficultatem , hîc est admittendus.

## C A P V T X.

## De anni tempestatibus.

**Q**VIA verò axis ille A B , circa quem diurna Telluris perficitur circumvolutio , sibi in omnibus locis annua suæ orbitæ perpetuò fere parallelus , plusquam 23 gradibus hoc seculo declinat à perpendiculari 16 plani eclipticæ , in quo Tellus , anni spacio circum Solem à cœlesti materiâ circumrapta , orbitam suam percurrit ; hinc Tellus in diversis istius orbitæ partibus , duos axis istius , ita inclinati , polos , Soli vel magis vel minus obversos &


*Nec non S.  
scriptura  
de Solis or-  
tu & occa-  
su locutio.*

*Causa anni  
ni tempe-  
statum , &  
magna-  
rum muta-  
tionum diei  
& noctis ,  
item calo-  
ris & fri-  
goris , qua  
in illis con-  
tingunt.*

aversos objiciens; & diversas terrarum partes nunc longioribus horarum spatiis, solaribus radiis, dum quotidie semel circum axem suum se circumvolvit, exponens, diversas facit anni tempestates, & alternata dierum noctiumque incrementa & decrementa. Quæ enim pars Telluris, axem versus Solem magis habet inclinatum, illa directiores, in se magis reflexos, & proinde vehementius inter se agitatos, atque hinc calidiores; quæ verò axem à Sole magis habet declinatum, illa obliquiores, magis dissilientes, ac consequenter minus inter se agitatos, ac proinde etiam frigidiores habet radios. Et Telluris pars: quæ pluribus horis in Solis lumine versatur, longiores; quæ paucioribus, breviores habet dies. Atque hoc in sequentibus exemplis facile patebit.

*Quomodo  
fiat Ver.*

Nam Tellure existente in parte annuae suæ orbitæ, quæ



Libram spectat, quo tempore Sol videtur in Ariete  $\gamma$ ,  
nobis

nobis septentrionalibus est Ver; quia polus Telluris arcticus A, inter maximam ad Solem futuram inclinationem, & maximam à Sole præteritam declinationem, medio se habens modo, facit ut radii, in nostram temperatam Zonam 12, ultra tropicum Cancri 2 sitam, incidentes, mediocritatem in suā annuā obliquitate habeant, atque ideo aërem, post frigus hybernum, temperatorem circa illud tempus nobis præbeant; & quia uterque polus A B, circa quem diurna Telluris fit circumvolutio, tum est in hemisphærio Telluris à Sole illustrati extremo, idcirco nos, & omnes alii, qui in Tellure habitamus, æquali temporis spacio in tenebris & lumine versamur, hoc est, diem nocti æqualem habemus. Quo autem Tellus, per annum suam orbitam, deinde magis versus Capricornum  $\psi$  vergit, tantò magis ingreditur polus arcticus A, in hemisphærium Telluris à Sole illustratum: polus verò antarcticus B, tantò magis ab illo recedit: atque ideo iis omnibus, qui ultra æquatorem 3, versus polum septentrionalem A, degunt, dies & calor paulatim magis magisque augentur; qui verò versus polum australem B degunt, iis ea paulatim imminuuntur.

Cum autem Tellus è regione Capricorni  $\psi$ , in suā orbitā pervenit, quo tempore Sol in Cancro  $\odot$  conspicitur, tum nobis septentrionalibus est Æstas; quia polus Telluris arcticus A, tum maximam ad Solem habens inclinationem, efficit ut radii Solis, in Zonam nostram septentrionalem temperatam 12, & frigidam septentrionalem 1 A, omnium proximè ad perpendicularum incidentes, Tellurem circa illa tempora ibi maximè calefaciant: iis verò, qui ultra æquatorem 3, versus austrum B, vivunt, tum temporis est Hyems, quod polus Telluris antarcticus B, tum maximam à Sole habens declinationem, faciat radios Solis, in Zonas australes, tempera-

*Cur in eo  
aëris calor  
sit moder-  
atus, & dies  
noctibus  
æquales.*

*Quomodo  
fit Æstas.*

*Cur in eâ  
aëris sit ca-  
lidissimus,  
& dies no-  
bis longissi-  
mi.*

tam 45, & frigidam 5 B, obliquissimè tum incidentes, minimum excitare calorem. Dies autem tum temporis sunt septentrionalibus populis longissimi, calorem ipsorum valde augentes, australibus verò brevissimi, frigus ipsis valde intendentes : quia polus arcticus A, tum quam longissimè in hemisphærium Telluris illustratum progressus, facit omnes septentrionales quotidie longissimo tempore in lumine, brevissimo verò in tenebris versari : polus verò antarcticus B, in hemisphærium Telluris tenebrosum tum longissimè proiectus, facit ut australes populi, in Zonâ temperatâ 45, & frigidâ australi 5 B, habitantes, quotidie in tenebris diutissimè, brevissimè verò in Solis lumine hæreant.

*Quomodo  
fiat Au-  
tumnus.*


*Cur in eo  
dies & ca-  
lor nobis  
immi-  
nentur.*

*Quomodo  
fiat Hyems.*

*Cur tum  
nobis dies  
sint bre-  
vissimi ac  
maximum  
frigus.*

Tellure deinde à Capricorno ƿ, per orbitam suam magis magisque versus Arietem ȝ vergente, declinat per illam circumvectionem polus arcticus A, magis & magis à Sole, versus hemisphærium Telluris tenebrosum ; antarcticus verò polus B versus Solem ad hemisphærium Telluris à Sole illuminatum, unde septentrionalibus diebus & caloribus fiunt decrementa, australibus verò illorum incrementa: donec, Tellure ad Arieten ȝ devectâ, polus uterque, ad confinia hemisphærii illuminati & tenebrosi delatus, fecerit æquinoctium per totum terrarum orbem ; septentrionalibusque Autumnum, Australibus verò, populis Veris initium.

Postea, progrediente ulterius Tellure versus Cancrum ȝ, ingreditur polus arcticus A paulatim magis magisque hemisphærium Telluris tenebrosum, antarcticus verò B luminosum ; atque ita crescunt porrò dies populis ultra æquatorem 3, qui medius est in Zonâ torridâ 24, versus austrum habitantibus ; decrescunt verò iis, qui versus septentrionem sunt siti : donec, Tellure ad Cancrum ȝ delatâ, polus arcticus A, 23 gradibus in hemisphærium



rium tenebrosum delatus , septentrionalibus cum Hymē brevissimum diem ; polus verò antarcticus B , 23 tribus gradibus in hemisphæriū Telluris illuminatum progressus , australibus cum Æstate longissimum diem dederit.

Denique à Cancro ☽ desertur Tellus versus Leonem Ω & Virginem ♀ , donec tandem ad Libram ≈ delata , septentrionalibus Ver , australibus verò Autumnum , de quibus jam jam egimus , reddiderit. In toto autem illo , à Cancro ad Libram , extenso itinere , crescunt dies septentrionalibus , quia polus arcticus redit versus hemisphæriū Telluris illustratum : australibus verò illi decrescunt , quod polus antarcticus redeat ad hemisphæriū tenebrosum .


Declinatio illa polarum à perpendiculari plani eclipticæ , quam anni tempestatum causam esse diximus , ex co-

*Cur polus  
Telluris de-  
clinat 23  
gradibus à  
polo Ecli-  
ptice .*

originem dicit, quod materia primi elementi striata, quae poros Telluris circa ejus axis polos ingredi est apta, ab illâ parte cœli secundi, quae 23 præter propter gradibus à cœli primi polis hoc nostro seculo distat, veniens, eam ita, ut jam diximus, inclinet; dum reliquæ Telluris partes non habent poros aptos, per quos aliæ particulæ ab aliis cœli regionibus venientes, ingrediantur, aliterque eam disponant.

*Cur poli obliqui Telluris, contra annum ejus motum, in contrarium paulatim re torqueantur.*

Et quia illa pars cœli secundi, quæ striatam materiam



in polos Telluris immittere eosque ita obliquare est apta, sensim secundum ductum circulorum circumpolarium

ripi

rium 1 2 3 4 & 5 6 7 8 , 23 gradibus hoc nostro seculo à polis nostri primi cœli A C distantium , ex 1 in 2 , & ex 5 in 6 , & ita deinceps , ex ordine cyferarum , circumtorquetur ; dum Tellus cum reliquis planetis , in annuo suo motu , secundūm ordinem signorum Zodiaci , ex Ariete γ versus Taurum τ , & ita deinceps , ac proinde in contrarium , quā pars cœli secundi striatam materiam Telluri suppeditans , movetur ; hinc circumtorquentur etiam paulatim poli Telluris , circulos illos circumpolares cum obliquitate five inclinatione 23 graduum hoc tempore spectantes , contra ductum motū sui anni : ita ut poli Telluris , qui olim spectabant partes circulorum circumpolarium N O , jam partes eorum L M spectent .


Atque hæc lenta obliquorum polorum Telluris contra anni ejus motū ductum circumtorsio est causa , cur æquinoctia & solstitia sensim anticipent ; five cur loca æquinoctiorum & solstitiorum sensim magis magisque à posterioribus Zodiaci partibus ad partes priores declinent .

Hoc ut commodè demonstretur , sit magni nostri vor-  
ticis cœlestis five cœli primi sphæra A B C D E F G H ,  
in cuius medio sit Sol K , quem secundūm ductum duo-  
decim signorum γ τ π δ η θ ω μ → ψ ≈ κ Ζο-  
diaci , Tellus I , jam ferè semper obliquos suos diurni mo-  
tūs polos habens parallelos lineæ L M , qui antea fuerunt  
paralleli lineæ præcedenti N O , & postea paulatim  
paralleli evident lineæ sequenti P Q , eandem ferè  
remotionem à polis eclipticæ A C cum reliquis lineis  
R S & T V , secundūm distantiam circulorum circumpolarium 1 2 3 4 & 5 6 7 8 , habenti , annuo spa-  
cio circumcurrat per suam orbitam ; quæ licet valdè ma-  
gna sit , quia tamen illa ratione immensæ distantia stel-

Q

larum

*Illa lenta  
polorum  
obliquo-  
rum Tellu-  
ris in con-  
trarium  
retorsio , ste-  
præcessio-  
nis  
æquino-  
ctiorum &  
solsticio-  
rum can-  
sa .  
Eius de-  
monstratio .*



latum fixarum pro puncto est habenda , ideoque Tellurē I , in medio schematis hujus nostri vorticis , Soli K quām proximum statuimus.

Quia igitur axis motūs diurni Telluris in circumvolutione suā annuā olim habebat parallelismum cum linea obliquā NO, ideoque solstitium nostrum hyemale tunc contingebat Tellure existente ante punctum Cancri ☊ H , versus sequentem Leonem Σ ; & æstivum fiebat ante punctum Capricorni ψ F , versus sequentem Aquarium ≈: æquinoctium verò vernum tunc nobis septentrionalibus contingebat ante punctum Libræ ≈ E , versus sequentem Scorpioni


Scorpionem  $\pi$ ; & æquinoctium autumnale siebat ante punctum Arietis  $\gamma$  G, versus sequentem Taurum  $\delta$ .

Iam verò, quia obliquus ille axis motûs diurni Telluris in annuâ suâ revolutione recessit à parallelismo cum linea N O, & accessit ad parallelismum cum linea L M, ideo solsticium brumale nobis septentrionalibus jam fit Tellure I existente inter Solem K & punctum in Cancro H, versus præcedentes Geminos II; æstivum verò Tellure existente inter Solem & punctum in Capricorno  $\psi$  F, versus præcedentem Sagittarium  $\leftrightarrow$ : æquinoctium autem vernum jam contingit Tellure I existente inter Solem K & punctum Libræ  $\sqcap$  E, versus præcedentem Virginem  $\wp$ ; autunnale verò Tellure existente inter Solem & punctum Arietis  $\gamma$  G, versus præcedentes Pisces  $\times$ .

Atque ita patet æquinoctia & solsticia jam anticipare sive præcedere, propterea quod obliquus ille axis Telluris, circum quem diurnus ejus efficitur motus, paulatim, dum Tellus anno motu ab Ariete in Taurum, & inde in reliqua sequentia signa Zodiaci fertur, versus signa præcedentia, sc. ab Ariete in præcedentes Pisces, & à Libra in antecedentem Virginem; item à Cancro in Geminos, ac à Capricorno in præcedentem Sagittarium, ratione jam explicatâ, inclinetur.

Ex his jam facile intelligitur, quomodo, per illam obliqui axis Telluris in signa præcedentia inclinationis à linea NO in LM, & ex LM in PQ, & ex PQ in RS, & ex RS in TV, & ex TV in XY, & inde rursus in NO continuationem, tanta anni tempestatum sit futura mutatio, ut quo tempore septentrionalibus solebat esse Hyems, sit illis tum Æstas futura; & quo tempore solebat esse Æstas, ut tum sit futura Hyems. Nam fuerit ex.gr. axis Telluris omnimodo inclinatus secundùm lineam obliquam N O, tum erat septentrionalibus Hyems, Sole existente in Pisibus  $\times$

*Ex lenta  
illâ obli-  
quorum po-  
lorum in  
contraria  
retorsione  
tandem  
posset fieri,  
ut, quo  
tempore  
nunc Æstas  
est, sit futu-  
ra aliquan-  
do Hyems.*



Æstas verò, Sole existente in Virgine ♍. Transferatur deinde lapsu temporis axis Telluris ad obliquitatem parallelam cum linea R S , tum erit septentrionalibus Hyems Sole existente in Virgine ♍ ; Æstas verò , cum Sol erit in Piscibus ♓. Transferatur postea axis Telluris ad parallelismum priorem linea N O , tum patet , rursus septentrionalibus Hyemem fore , cum Sol erit in Piscibus , & Æstatem , cum erit in Virgine.

*Vnde contingat motus major,* Neque circumtorquet tantum pars illa cœli secundi , striatam materiam Telluris polis suppeditans, eosque diri-

dirigens , secundūm ductum circulorum circumpolariūm 1 2 3 4 & 5 6 7 8 ; sed attollitur etiam sensim ad polos A C nostri cœli primi A B C D E F G H , ab iisque vicissim lente in circumforsione illa deprimitur : Atque hinc fit , ut axis polorum Telluris I jam 23 gradibus & 30 minutis , secundūm magnitudinem declinationis lineæ ex. gr. L M vel N O , à polis illis nostri cœli primi A C declinet , & olim totos 24 gradus ab illis declinaverit .

Hæc polorum Telluris sublatio & depressio , per vi-  
ces contingens , est inordinata ; polorum verò istorum  
circumforsio fit semper versus easdem partes ordinem-  
que servat .

## C A P V T XI.

## De Lunæ motu , &amp; ejus Phasibus.

L Una & percurrit semel extremum suum cœlum A B C D , quod Telluris ambitu sexagies est majus , dum Tellus & tantum tricies circum axem suum motu diurno circumrotatur . Hujus rei causa est , Lunæ patvitas , quâ illa duplo celerius , quam Tellus , à cœlesti materiâ cir-  
cumvolvitur .

Illa non descendit versus Tellurem , quòd illa celerius quam Tellus , moveatur ; nec etiam longius à Tellure di-  
scedit , quòd materia ætherea , quæ ipsam foris , versus  
astra , extra circuitus sui menstrui A B C D terminos , circumcurrit , celerius ipsâ mota , ejus excursum ulterio-  
rem impedit .

Eadem Lunæ facies semper Telluri est obversa ; quia pars ejus à Tellure remotior , ob majorem ejus soli-  
ditatem , inter circumgyrandum longius à Tellure re-  
cedit .


*modi mi-  
nor polo-  
rum Tellu-  
ris à polis  
ecliptica  
declinatio.*

*Diver-  
tas , qua-  
est inter  
polorum  
Telluris cir-  
cumforsio-  
nem , & eo-  
rum subla-  
tionem ac  
depressio-  
nem .*

*Cur Luna  
duplo cele-  
rius mo-  
veatur ,  
quam Tel-  
lus .*


*Cur illa ad  
Tellurem  
non descen-  
dat ; neque  
longius ab  
illa disce-  
dat .*

*Cur eadem  
Luna  
facies sem-  
per Telluri  
sit obversa .*



*Quod Lunam autem eâ parte, qua Tellurem spectat, minus esse solidam, probant maculæ, montes, & valles, aliæque inæqualitates, quæ in illâ perspicillorum ope à nobis conspiciuntur.*

*solida sit ; patet ex montibus & maculis, qua perspicillis in ipsâ videntur.* Cum enim tubo optico Luna, crescens ex. gr., inspiratur, tum apparet in ipsâ confinium partis luminosæ & obscuræ inæquale asperum & serratum, instar lineæ 1 2 3, Præterea intra partis obscuræ terminos, non longè à luminosæ & obscuræ partis confinio, conspiciuntur exiguae quædam illuminationes instar montanorum vorticium eminentes 4 5 6, quæ postea, Lunâ magis à Sole recedente, paulatim majores evadunt, & tandem parti illustratæ conjunguntur. Ad hæc, in parte Lunæ illuminatâ, non longè à confinio luminis & tenebrarum, apparent multæ areolæ rotundæ 7 8 9, quarum pars occidentalis sive dextera, qua Solem spectat, semper est



est tenebrosa ; orientalis verò , quæ à Sole est remo-  
tior , illa magis est illustrata : recedente autem Lunâ  
majori distantiâ à Sole , minuuntur istæ tenebræ seu po-  
tius umbræ , ac tandem totæ illustrantur ; quia sic Soli  
magis obvertuntur : Illuminantur enim , ac si valles , ac  
magna spacia essent concava , quæ Sol successivè suo lumi-  
ne perfundit . In plenilunio verò nullæ hujusmodi areo-  
læ cernuntur ; quia omnes Lunæ concavitates Soli direc-  
tè obvertuntur , ac proinde totæ illuminantur . Conspi-  
ciuntur tamen in plenilunio & Lunâ gibbosâ & dimidiatâ ,  
maculæ quædam perpetuæ 10, 11, 12, quæ videntur esse  
cavitates , magnæ , aquis repletæ , ac proinde radios So-  
lis transmittentes , atque hinc obscuritatem perpetuam  
parientes . In Lunâ tandem novissimâ , quando ejus cor-  
nua acutissima sunt , apparent prope acumina cornuum ,  
in ipsâ Lunæ peripheriâ , particulæ quædam lucidae ac  
seorsum separatæ , quæ montium cacumina à Sole illu-  
strata esse videntur , quorum inferiores partes , à Sole  
non illustratae , tenebras pariunt .

Luna

*Apogaeum  
& peri-  
gaum Lu-  
nae.*

*Eorum  
causa.*


Luna aliquando est à Tellure remotior , & tum dicatur apogæa ; aliquando ipsi est propinquior , & tum vocatur perigæa .

Hoc fit , vel quia cœlum Lunæ , sive vortex Telluri peculiaris A B C D , à materiâ primi cœli in illum copiosius à secundo cœlo impulsa , & ex eo expulsa , modò sit multò major , modò multò minor : vel quia Luna magis vel minus , per cœli primi varium motum , versus Tellurem , ab extremâ sui peculiaris vorticis parte , propellitur .

Hæc multò celerius provehitur , cum est nova vel plena , quam cum dimidiata appetat .

*Cur ea ce-  
lerius mo-  
ventur in  
plenilunio  
& novilu-  
nio , quam  
in aliis Lu-  
nae phas-  
ibus .*

Hujus rei causa in eo consistit , quod cœlum ejus peculiare A B C D , ad antecedentes & consequentes ma-



gni cœli partes N Z , utpote ipsi similiores , cum ejus particulæ ejusdem cum ipso sint soliditatis , latius , quam ad superiores L , vel inferiores K , quæ majore & minore suâ

suâ particularum soliditate minorem cum ipso similitudinem habent, se diffundens, figuram ellipticam sive ovalem habeat. Hinc enim fit, ut in angustioribus istius cœli ovalis partibus B & D, Soli S oppositis, ubi novilunium & plenilunium contingit, materia cœlestis, & cum eâ globus Lunæ, celerius, quam in partibus latioribus, Soli lateralibus A & C, & Lunæ dimidiatae sedibus, moveatur.


Globus Lunæ A, dum orbitam suam A B C D E F G H, circum Tellurem I, menstruo præterpropter spa-

*Vnde ori-  
antur va-  
ria Luna  
phas.*

tio percurrit, semper quidem, extra eclipses lunares, dimidius & paulo amplius, (quia Sol Lunâ multò est major,) at tamen variis partibus vicissim à Sole K illustratur, Telluremque radiis Solis, diversimodè reflexis, illustrat. Dumque tantum illæ illustratæ Lunæ partes, quæ intra orbitam ejus A C E G A continentur, nobis, in Tellure existentibus, sunt asperctabiles, eaque non eodem semper modo sub aspectum nostrum cadunt, hinc cum in novilunio Luna ad A pervenit,

nihil nobis de illuminatione suâ ostendit; cum ad B,

R mon-



monstrat oculis nostris partem illuminationis exiguum & corniculatam ; cum ad C , dimidiata appareat ; cum ad D , gibbosa videtur ; cum ad E , plenilunium efficit , quoniam totam suam illuminationem oculis nostris obvertit ; postea ubi decrescens ad F progressa est , gibbosa ; ad G verò dimidiata ; & ad H falcata iterum appetet ; donec ad A , rursus omni illuminatione ejus à nobis aversâ , omnino senescat.

## CAPUT XIII.

*De Eclipsei Solis, & Lunæ.*

*Quomodo  
fiat eclipsis  
Solis.*

**D**Vm Lunæ opacum corpus  $\alpha$  , ad lineam rectam inter Solem  $\beta$  & Tellurem  $\gamma$  , tempore novilunii intercurrent , & umbram conicam  $\delta \epsilon \zeta$  spargens , radios Solis directos à Telluris majore vel minore parte avertit , fit eclipsis Solis.

*Quomodo  
ea vel to-  
tum Solem,  
vel partem*

*aliquam,  
vel nul-  
lam, ab  
oculis no-  
stris arver-  
tat.*

*Cur in ecli-  
psi Solis*

*pars Luna*

*Tellurem*

*spectans*

*aliquo lu-*

*mine per-*

*fusa con-*

*spiciatur.*

*Quomodo  
fiat eclipsis*

*Luna.*


*Cur in hac,*

In hac , stanti in  $\epsilon$  totius Solis adimitur adspectus . Illi , qui stat in  $\gamma$  , dimidius occultatur Sol . Habitanti verò in  $\eta$  nulla luminis solaris fit occultatio .

In eclipsi Solis , quamvis Luna tantum eâ parte , quâ Solem spectat , sit illustrata ; attamen eâ etiam parte , quâ Tellurem spectat , aliquo lumine perfusa saepè conspicitur : Quia lumen quo Tellus tum temporis à Sole illuminatur , ab illâ ad Lunam usque reverberatur .

Cum vero Tellus  $\alpha$  , inter Lunam  $\beta$  & Solem  $\gamma$  , tempore plenilunii , ad lineam rectam interveniens , radios Solis directos à Lunâ totâ , ut in  $\beta$  &  $\eta$  , vel ejus parte , ut in  $\delta$  &  $\zeta$  , conicâ suâ umbrâ ,  $\delta \epsilon \zeta$  excludit , eclipsis Lunæ contingit : eaque totalis ut in  $\beta$  vel  $\eta$  , aut partialis ut in  $\delta$  vel  $\zeta$  .

In totali Lunæ eclipsi , aliquando illa ab oculis ita disparet , ac si de cœlo planè esset ablata . Hujus rei ratio in eo



eo consistit, quod Luna tum perigæa, & minùs à Tellure remota, ac in latiore Telluris umbræ parte circa  $\beta$  versans, propter magnam umbræ istius partis profunditatem à Sole  $\gamma$  nulos luminis radios, è vicino cœlo versus ipsam lateraliter reflexos, excipere potest. Multum etiam hîc

*Luna interdum sit conspicua, interdum penitus ab oculis nostris auseatur.*

facit Tellus Soli interdum vicinior, latiorem umbram spargens.


Cum autem Luna apogaea eclipsin patiens, in angustiore umbræ conicæ Tellutis parte, circa  $\eta$  existit, tum quia umbræ illa pars ibi non est valde profunda, perveniunt aliqui Solis radii, lateraliter à vicino cœlo reflexi, vel in Lunæ atmosphærâ refracti, usque in ipsam solidiorum Lunæ superficiem, iisque inde in Tellurem reverberati, exhibent nobis croceum, vel fuscum illud lumen, quod sæpiissimè in eclipsante Lunâ à nobis solet conspicere.

Vmbra autem  $\delta\epsilon\zeta$ , tum Telluris, tum Lunæ, est necessariò conica, quia corpus Solis globum Telluris & Lunæ suâ magnitudine longè superat.

Nam uti Terra quadragies Lunâ est major, ita centies sexagesies sexies, ex Astronomorum calculo, Sole est minor.

Vmbras autem, quas corpus Telluris ultra Lunam, in lunari eclipsi, & Luna in partem Telluris, in eclipsi Solis, spargit, admodum esse ingentes, ex eo constat, quod, uti ex calculo astronomico, Sol à Tellure millies millenis, ita Tellus à Luna quinquagies millenis distat milliaribus.

*Cur umbra  
Telluris at-  
que etiam  
Luna, sit  
conica.  
Proportio  
magnitudi-  
nis Solis ad  
Tellurem  
& Lunam.  
Vnde ingens  
umbrarum  
Telluris &  
Luna ma-  
gnitudo  
colligatur.  
Quantum  
Sol & Lu-  
na à Tellu-  
re difserent.  
Cur in o-  
mni novi-  
lunio non  
fit eclipsis  
Solis: & in  
omni pleni-  
lunio non  
fit eclipsis  
Luna.*



Orbita Lunæ A B C D non congruit cum apparente viâ Solis, seu verâ orbitâ Telluris A E C F, quæ linea ecliptica dicitur: sed eandem binis locis, in A & C, angulo quinque graduum secat. Circa sectiones illas, quarum A caput draconis, sive nodus ascendens, & C, cauda

*Caput &  
cauda dra-  
conis.*

cauda draconis , sive nodus descendens vulgo vocatur , contingunt in novilunio & plenilunio eclipses ; solares sci- licet , si Luna in noviluniis intra vigesimum gradum G vel H ; lunares verò , si Luna in plenilunio , intra deci- mum quintum gradum I vel K à capite vel caudâ dra- conis , consistat : quia ibi satis directæ Solis Lunæ & Tel- luris oppositiones tum temporis fieri possunt . Et quidem quo Luna propius à capite A vel caudâ draconis C ab- fuerit , eo maiores fiunt eclipses . Extra eclipticos illos ter- minos G H I K , quia Luna est vel nimium in boream B sublata , vel in austrum D depressa , quo ibi justa trium istorum corporum oppositio in novilunio & plenilunio fieri non potest , nullæ Solis vel Lunæ eclipses unquam fiunt . Atque ita manifestum est , cur Sol non singulis no- viluniis nobis à Luna occultetur ; nec singulis pleniluniis Luna in umbrâ Telluris lumine deficiat .

Sectionum ista puncta A & C non hærent fixa uno loco Zodiaci ; sed moventur sub ecliptica in signorum antecedentia , restituunturque ad punctum idem longitudinis Zodiaci ferè annis novendecim . Hic motus in Lu- nâ vocari solet motus capitis draconis .

*illa non  
sunt in cœ-  
lo fixa , sed  
mobilia.*

*Quid Mo-  
tus capitis  
draconis.*


Atque hæc hæc tenus de cœlo primo diximus .

### C A P V T XIII.

#### *De Stellis fixis.*

S Tellarum fixarum vastissimi cœli secundi vortices X , Y , f , F , L , D , N , M , cœlum nostrum primum SIE A undique circumstantes , non sunt omnes in eadem sphæræ circumferentiâ siti ; sed alii , ut X & Y , sunt aliis , ut f F , superiores , & in omnes dimensiones per immen- sum cœli secundi spaciū dispersi : singulique suas angu- losas

*Stella fixa  
alia aliis  
sunt supe-  
riores.*



losas & non circulares habent superficies , quibus ab aliis vorticibus discriminantur.

Has propriâ fulgere luce , vividi ipsarum , longissime à Sole S distantium, probant radii ; qui scintillare undique videntur ob undulationem superficie cœli primi, ortam à circumrotatione vorticu secundi cœli , in nostrum cœlum primum agentium : atque etiam ob magnum illum , quem præ cæteris stellis habent, fulgorem , quo retinam oculorum nostrorum vehementer verberantes scintillationis sensationem nobis parunt. Atque hoc ex eo est manifestum , quod scintillationis istius sensus valde immuatur , ubi per foramina angusta telescopiorum stellæ fixæ conspiciuntur.

Stellarum fixarum radij, dum in angulosas aliorum vorticu superficies obliquè incident (uti ex refractionum doctrinâ , superiùs propositâ , patet) varias patiuntur refractions. Atque hinc fieri potest, ut nobis, in Tellure circa Solem S existentibus , multæ stellæ , ex. gr. f & F , in suis locis non appareant ; imò ut una eademque stella , ex. gr. Y, in diversis locis, nempe in vortice f & F , existere videatur.

Aliquando contingit , ut stella aliqua fixa maculis, quæ Solem nostrum sæpe tegunt , obnubiletur ; eæque easdem cum solaribus maculis habent causas ; sæpeque illæ tam densæ evadunt, ut nobis omni stellæ conspectu ablatio , ipsa evanuisse videatur.

Et contrà aliquando evenit , ut quædam stellæ à densissimis liberatae maculis , & recens in conspectum venientes , novarum stellarum imaginem nobis præbeant ; quanvis illæ ante multa secula extiterint.

Potest etiam integer vortex cœlestis à vicino absorberi vortice , dum stella ejus tam copiosis ac densis tegitur maculis , ut ipsa globulos æthereos satis validè à se propellere

*Superficies  
vorticu  
stellarum  
sunt angu-  
loſa.  
Stella fixa  
propriâ  
splendent  
luce.  
Cur illa  
scintillare  
videantur.*

*Cur multa  
stella fixa  
in suis lo-  
cis non ap-  
pareant ;  
& una ea-  
demque  
stella in di-  
versis locis  
existere vi-  
deatur.  
Stellarum  
fixarum  
evanescen-  
tia.*

*Earum no-  
va dete-  
ctio.*

*Cœlestis  
alicujus  
vorticis  
absorptio.*

pellere non possit ; & præterea adversam aliis vorticibus acquirit circumgyrationem. Nam alioqui , quamvis maculis copiosis & densis stella alicujus vorticis sit tecta , si æqualiter cum aliis vorticibus circumstantibus circumgyretur , & circumstantes vortices æquales vires circumrotationis habeant , vortex ille ab aliis non absorbebitur ; sed motus ejus , ab aliis vorticibus adjutus , continuabitur.

*Stella vor-  
ticis abso-  
pti fit co-  
meta vel  
planeta.*

Absorpto vortice , rapitur stella maculis tecta , in vicinorem & fortiorum circumstantem vorticem , à quo ubi aliquamdiu provecta fuerit , vel ob majorem ejus soliditatem expellitur in alium vorticem , & fit Cometa : vel , ob minorem ejus soliditatem , depellitur versus ejus vorticis stellam medium , donec ad æquilibrium soliditatis , cum globulis æthereis , pervenerit ; ibique circum eam perpetuò circumgyrata , lumenque ejus reflectens , in Planetam convertitur.

*Quid fir-  
mamen-  
tum cœli.  
Vid. fig. pag.  
seq.*

Stellæ fixæ \*\*\* , quia in medio suorum vorticum , hunc nostrum vorticem A B C undique circumstantium , existentes , eundem locum , quem olim habuerunt , firmiter servare observantur , Firmamentum cœli vulgo dicuntur.


*Cur stelle  
interdiu  
non conspi-  
ciantur.*

Sed non videtur silentio prætereundum ; stellas nobis interdiu splendoris sui sensum non præbere : quia Solis splendor tum tantus est , & tantopere retinam nostrorum oculorum afficit , ut stellarum interdiu supra horizontem nostrum existentium fulgor ad illum habeat rationem nihil ; atque ideo à nobis percipi non possit.

## C A P V T XIV.

*De Systematis nostri totius Vniversi, jam descripti, utilitate.*


A



A Tque ita apparet, ex hac jam descriptâ mundi fabri-  
câ A,


*Constitutio  
nostra  
mundi,*

B




*Quæ Co-  
pernicana  
similis,  
omnia phæ-  
nomena  
solvit;*

cā A, quæ ad Copernicanam B, quām proximè acce-  
dit, & cum cā in plurimis consentit, omnia cœli phæ-  
nomena commodissimè posse dissolvi : Ita ut, ad diei  
no-




noctisque rationem reddendam , non opus sit fingere incredibilem cœli stelliferi ab ortu in occasum , viginti quatuor horarum spacio , raptum ; nec ad planetas directos , stationarios , & retrogrados , item Soli vicinos vel diffitos , explicandos , ullos epicyclos , qualis C , nec epicyclia , qualia D D , excogitare ; aliaque aliis addere ; lucemque stellarum statuere ab earum orti densitate ; innumeraque alia non intelligibilia comminisci ; Quæ in

*Sine ulla  
absurdo-  
rum fig-  
mentis :*



*Qualia in  
Ptolomaicā*

constitutione Mundi Ptolomaicā sive veteri E, in quâ immobilis Telluris globus ex terrâ, aquâ, & aëre compositus, & igne undique circumdatus; ac sphæris Lunæ I, Mercurii II, Veneris III, Solis IV, Martis V, Iovis VI, & Saturni VII, ex ordine cinctus; ac præterea cœlo stellato VIII clausus; nec non cœli noni IX, primi mobilis X, & cœli empyrei XI fornicibus tectus, censemur;



tur; Et in Tychonicâ F, in quâ Telluris globus τ in medio Mundi quietus; & supra hunc Lunæ ν circulus; & supra illum Solis ο, singulis Mercurii ♀, Veneris ♀, Martis ♂, Iovis ♀, & Saturni circulis circumdati, circulus; & supra hunc stellarum fixarum \*\*\* sphæra, sita statuitur; fangi consueverunt:

*Et Ticho-  
nicâ, fin-  
guntur.*

PHILOSOPHIÆ  
NATURALIS

*LIBER TERTIVS:*

De iis, quæ in Tellure continentur, vitæ expertia.

C A P V T I.

*De Terrâ.*

*Cur reliqua nostra Physiologia de iis, quæ in Tellure continentur, sit futura.*

*Telluris partes.*

*Terra.*



**N**TER omnia totius Universi corpora, nullum nobis notius est Tellure: propterea quod eam proxime inhabitamus, multaque in illâ ex propinquo inspicimus. Atque ideo circa illa, quæ in Tellure sunt, reliqua nostra versabitur Physiologia. In eâque primùm vitæ expertia, & deinde viva considerabimus.

Globus Telluris tribus potissimum constat partibus: terrâ, aquâ, & aëre: atque horum angustissimi, si qui sint, pori, ab elemento primo & secundò occupantur, percurruntur, agitantur, ignesque in iis sàpè gignuntur. Imò ipsæ Telluris partes à duobus illis elementis plurimum, per motum, quotidie afficiuntur & immutantur: atque hinc innumeræ variarum rerum alterationes, generationes, & corruptiones in eâ observantur.

Terra est pars Telluris, constans ex particulis tertii elementi omnium crassissimis, irregularibus sive valde dissimilibus angulis præditis, arctissimè & quietissimè cohaerentibus; atque ideo duris; quæ propter majorem, quam

quām quæ est in cæteris Telluris partibus, soliditatem, ad medium Telluris locum, ab elemento primo & secundo celerrimè eam præterfluentibus & circumcurrentibus est deturbata & compacta.

Terræ particularum maxima in tertio elemento crassities patet ex maximâ earum soliditate, duritate, & gravitate: quo etiam necessariò in irregulares & varias figuræ ex motu primo communii debuerunt.

Terra est opaca, quia pori ejus, per quos, subtilis materia eam percurrit, multis locis interrupti & præclusi, actionem luminis, quæ ad lineas rectas vel æquipollentes fertur, transmittere non possunt.

Hæc cum sit solidissima, undique ab aquis tegeretur, nisi maximis tuberibus montium, insularum, & terræ planitierum, ac profundissimis, & latissimis, nec non angustis fossis, esset inæqualis.

Cum enim terra primum ex duris & crassis tertii elementi partibus à præterfluente cœlo compingeretur, particulæ illæ, tum propter inæqualem circumstantium cœli secundi vorticu[m] impulsu[m], tum propter ipsam particularum terræ diversitatem, valde inordinate per cœlum primum erant diffusæ, atque ideo non in exacte rotundam, sed in superficiem, multis & magnis montibus, insulis, & planitiebus eminentibus inæqualem, fuerunt compactæ. Postea verò insulæ, montes, & eminentes terrarum planities, etiam ex terræ motibus, terram quibusdam locis valde attollentibus, nec non ex magnis aquarum eruptionibus, aliisque causis, terram separantibus, abripiantibus, & aliò devehentibus, sunt natæ.

Terra dividitur in regionem superiorem & inferiorem.

Superior magnam partem constat particulis tenuioribus, in cæque idcirco nascuntur, ex variâ istarum particularum dispositione & cum aliis coniunctione, stirpes & ani-

*Particula-  
rum terra  
probatio.*

*Cur terra  
sit opaca.*

*Cur terra  
undique  
ab aquis  
non teg-  
atur.*


*Origo mon-  
tium, insu-  
larum, ac  
terra pla-  
nitierum,  
extra a-  
quas in aë-  
re eminen-  
tium.*

*Regio terra  
superior;*

Inferior.

Inferior verò compacta est ex partibus multò crassiori-  
 bus, & solidioribus; totaque ferè est metallica, & ma-

G



H

gnam partem poros, axi A B parallelos, ita habet dis-  
 positos, ut materia primi elementi striata, quæ ab oppo-  
 sitis

sitis cœli polis E & F , contrario modo intorta , ad illam perpetuò fertur; per illos liberiùs & fortiùs transiens eam , & cum eâ reliquam Tellurem , ut jam antea diximus , certis quibusdam partibus , quæ 23 gradibus à polis Eclipticæ , seu annuæ Telluris circumgyrationis , distant , versus illam cœli partem , unde illa venit , dirigat.

Ea autem materia striata , inferiorem regionem terræ utrimque per poros , contrario modo excavatos , egressa , quia per superiorem terram , item aërem & aquam , tam commodè moveri , & per poros per quos venit , aut per vicinos aliterque intortos , redire non potest , resilit , & vorticem utrimque in contrarium , ex australi parte A per C & D , versus borealem B , & ex boreali B , per C & D , versus australem partem A , faciens , partim oppositam terræ partem eosque poros , per quos antea venit , rursus intrat , illumque circulum , itu & reditu reciprocō , postea perpetuò perficit.

Quantum autem de striatâ materiâ in vicinum cœlum G & H dispergitur , vel ab occursu aliorum corporum corruptitur , tantumdem , à polaribus cœli regionibus E & F , ad terram perpetuò accedit & restituitur.

Ope hujus striatæ materiæ , terram ita perpetuò trans-euntis , & vorticem circum illam continuò facientis , (quæ exspiratio magnetica appellari potest ,) fiunt omnes actiones magneticæ , de quibus postea in doctrinâ de ferro & magnete acturi sumus , & quales hîc apparent in directione & coniunctione corporum magneticorum , I , K , L , M , N , de quibus postea latius agetur.

Vortex  
striata ma-  
teria ter-  
ram trans-  
euntis.

Quomodo  
striata ma-  
teria diffi-  
pata , vel  
corrupta ,  
restaure-  
tur.

Hac est  
causa ma-  
gnetica-  
rum opera-  
tionum.

## C A P V T I I.

*De Aquâ.**Aqua.*

**A**Qua est pars Telluris, constans ex particulis tertii elementi terrâ tenuioribus, oblongis, lævibus, plerisque flexilibus, & nonnullis rigidiusculis, agitacione primi & secundi elementi variè inter se repentibus, atque hinc corporibus durioribus manifestè adhærere aptis.

*Qualita-*  
*tum aquæ*  
*probatio*  
*ubi sit in-*  
*venienda.*  
*Cur aqua*  
*sit infra*  
*aërem, &*  
*suprater-*  
*ram.*

Qualitates aquæ magis innotescunt ex iis, quæ in qualitatum doctrinâ inferiùs de aquositate dicemus.

Hæc, quia tenuioribus quàm terrâ, & crassioribus ac solidioribus quàm aër, item lævibus constat particulis, à primo & secundo elemento, Tellurem suo vortice circumcurrente & intercurrente, infra aërem, proximè supra terram, in ejus cavitates seu fossas propellitur; atque in latissimis & capacissimis maria, in minoribus & latioribus freta & lacus, in longis & angustis fluvios & rivulos efficit; & quia fluvii ex altioribus defluunt locis, idcirco ad maria currunt per mæandros & curvos ductus, ob terrarum subinde occurrentium obstacula, quibus cursus aquarum per vices avertitur, & ad alia loca impellitur, atque dirigitur.

*Flexilium*  
*particula-*  
*rum aquæ*  
*diversitas.*  
*Cur spiri-*  
*tus à con-*  
*gelatione*  
*sint liberi,*  
*& aqua*  
*partes cra-*  
*ssores con-*  
*gelentur.*

Flexiles aquæ partes aliæ aliis, pro tenuitatis suæ diversitate, sunt flexibiores.

Quæ tenuissimæ sunt, à quâvis æthereâ materiâ globulosa in liquiditate conservatae, spiritus efficiunt; qui nullâ frigoris vehementiâ congelari possunt: ut appareat in spiritu vini, aquis fortibus, & aliis similibus. Quæ verò minùs sunt tenues, nisi à secundi elementi globulis majoribus, utpote majorem motum ab elemento primo habentibus, agitentur, inter se immobiles & inflexiles

ma-

manentes, glaciem, nivem, & grandinem efficiunt.

Atque hinc jam facile ratio reddi potest, cur aqua scypho vitro vel alio contenta, cui nix cum sale mixta satis propinquè est circumposita, quovis anni tempore mox in glaciem congeletur; nix verò cum sale admixto circumposita liquecat. Vbi enim globuli ætherei majores, aquam in scypho contentam suo vehementiore motu liquidam facientes, in lævioribus & rigidis nivis & salis circumpositi particulis commodiorem inveniunt locum in quo se moveant, eò necessario ruunt globulosque æthereos minores, minore motu præditos, qui in nive & sale existunt, ex nive & sale in aquam scypho contentam per poros vitri, (quia majores globuli eam deserunt, & in omni motu, ut superiùs docuimus, est circulus,) necessariò pellunt. Atque hinc fit, ut aqua scypho contenta nullos alios, quam minores globulos æthereos habeat: qui cum minore suo motu aquæ particulas tantum movere non possunt, quantum ad liquiditatem earum conservandam est opus, hinc quiescunt & cohærent inter se illæ aquæ particulæ, eoque glaciei frigus & duritiem acquirunt: Nix verò sale mixta, cum à globulis illis æthereis majoribus vehementius jam sit agitata, necessariò in aquæ liquorem dissolvitur.

Maria omnia sunt perpetuò salsa, quia habent in se, non tantùm particulas læves & flexiles, quæ idcirco sunt insipidæ vel dulces, sed etiam plurimas rigidas, atque ideo figurâ bacillos referentes ac salsa: quæ propterea in alterutram cuspidem facile prolabentes, in aëre diu librari, & ita in vapores agi, & ex mari educi, ac propter earum rigiditatem & crassitatem, per anfractuosos & angustos poros littorum & aliarum vicinarum terrarum, percussi & transadigi non possunt: transseuntibus interim per eos, & in vapores resolutis ac in aërem sublatis, ibique volantibus & diu natantibus, particulis aquæ marinæ te-

*Cur aqua  
scypho con-  
tentata, cui  
nix cum  
sale est cir-  
cumfusa,  
quâvis an-  
ni tempe-  
state con-  
geletur.*

*Cur maria  
perpetuò  
sint salsa.*

nuioribus & flexibilioribus ac insipidis sive dulcibus; quæ ob suam flexibilitatem & tenuitatem particulis aëris facile incumbere, & anfractuosos arenarum poros commodè transire queunt.

*Cur in puto-  
teis prope  
mare effos-  
sis colligan-  
tur aquæ,  
non salta,  
sed dulces.*

Atque hinc jam ratio commodè reddi potest, cur in puteos, ad littora maris satis profundè effosso, colligantur aquæ, non falsæ, sed dulces, cum æstu maris ascendentæ & descendentes. Quia sc. aquæ marinæ partes falsæ non tantum sunt oblongæ, sed etiam crassæ & rigidæ, ac propterea per angustos & anfractuosos densæ littorum arenæ poros transire, & ad puteos istos pervenire non possunt. Quia autem particulæ aquæ marinæ dulces sunt tenuiores ac præterea flexiles, ideoque illæ, ad anfractus & angustias istorum pororum suâ tenuitate & flexibilitate sese accommodantes, perveniunt solæ, vi pressionis affluentis maris, in istos puteos; refluente verò mari, per eosdem poros suâ gravitate in mare relabuntur.

*Cur aqua  
marina,  
per plures  
urnas ter-  
ræ repletas  
transcola-  
ta, ma-  
neat salta.  
Cur fluvii  
sint dulces  
Quomodo  
fontes fiant  
in vertici-  
bus mon-  
tium.*

Aqua tamen marina per plures urnas, vel vascula terræ repleta, transcolata; manet falsa: quia pori illi terræ tantopere patent, ut non tantum partes aquæ marinæ flexiles & dulces, sed etiam rigidæ & falsæ, eos permeare possint.

Fluvii quoque sunt dulces; quia oriuntur ex pluviis & fontibus, ad quæ sal, ob causas jam dictas, pervenire nequit.

Sub ipsis montibus & aliis terris paßim sunt aquæ, eō per rimas, fissuras, & alios terræ poros, per quos possunt transire, delatæ, quæ à radiis solaribus perpetuò agitatæ & in vapores conversæ: etiam in summa montium cacumina, per fibras eorum certo modo sitas, attolluntur, & inde, in aquas à frigore loci istius condensatæ, scaturiunt, & perpetuo suo effluxu perennes fontes gignunt, qui sæpè in altissimis montibus conspicuntur.

*Vnde aqua*

Si verò hæc aqua fontium, antequam è terrâ erumpat, transeat

transeat per sulphur, vitrolum, sal, vel alia mineralia, variū saporem aliasque qualitates, pro corum diversitate, ab iis contrahit.

Mate non redundat nec sit dulce, quamvis fluvii innumeri in illud confluant; quia, ob evaporationes perpetuas, & continuos aquæ marinæ, per subterraneos meatus, in terram egressus, tantumdem aquæ dulcis ex illo egreditur, quantum per fluvios in illud influit.


Aqua marina, per magnos meatus terram ingressa, ibique manens, facit puteos falsos; inde verò per evaporationem vel transcolationem egrediens, & salis partes ibi relinquens, facit salis fodinas.

Particulæ aquæ inter se contiguae, & æqualem superficie altitudinem habentes, premuntur à cœli circumcurrente vortice, mediante aëre, æqualiter; atque ideo una alteram loco dimovere non potest. Atque hinc contingit, ut aqua copiosa, in vase aliquo magno A B, brachium angustum C habente, contenta, quamvis ea multò sit ponderosior, paucam tamen aquam, in angusto illo brachio C existentem, attollere, & ex illo exturbare non possit.

fontium  
varias  
qualitates  
adipiscan-  
tur.

*Cur mare  
ab influen-  
tibus aquis  
non redun-  
det, nec  
sit dulce.  
Vnde salis  
fodina.*

*Cur multa  
aqua pau-  
cam conti-  
guam, &  
æqualem  
cum ipsa  
superficie  
haben-  
tem, sub-  
limius  
attollere  
nequeat.*



## C A P V T . III.


## De Aëre.

**A**er est pars Telluris, constans particulis variis, aquâ multò tenuioribus, flexibilioribus, & minoribus, agitatione primi & secundi elementi extensis, & inter se

T 3 volan-

*Aëris com-  
pressi vi.*

Ab hac particularum aëris expansione & inter se vo-



latu fit, ut hic, magnâ vi, in quibusdam fontibus, qualis est fons condensatorius A B C D, & sclopetis aëreis nuper inventis, aliisque nonnullis machinis pneumaticis, sit comprimentus, & ubi compressus & condensatus est, & libertati suæ postea restituitur, aquas vi cō impulsas B C ad magnam altitudinem, ex. gr. D E, & glandes plumbeas aliaque durissima inserta tela, per crassa obstantia corpora, maximo impetu sàpè propellat; propterea sc. quod materia subtilis, in ejus poris existens, eum, præter rationem vehementer condensatum,

maximâ vi extendat, & obstantia insertorum telorum & aliorum corpora, ejus ope, maximo impetu ejiciat.

Ab hac cādem particularum aëris expansarum & inter se volantium vehementiâ fit, ut argentum vivum in tubum vitreum AB, unâ parte A apertum, alterâ B clausum, qui 27 digitis altior est, ad summam repletionem A infusum, & cum tubo deinde citra ejus effusionem, per dīgi-  
tī forāni adhibiti appositionem evēsum, & humili va-  
sculo argento vivo pleno C D, extremitate apertâ A, per-  
pendiculariter immersum, non penitus ad imum tubi; sed


*Cur argen-  
tum vi-  
vum in in-  
verso tubo  
vitreo, 27  
dīgitis al-  
tiore, ad  
humilita-  
tem 27 di-  
gitorum  
subsidat.*

tan-

tantum ad 27 digitorum praeter propter humilitatem; E, per aeris externi condensationem, & subtilis materiae ex aere condensato, in superiore partem eversi tubi BE, impulsionem, descendat. Propterea sc. quod argentum vivum, quod quamvis sit ponderosissimum, aereum tamen externum quia crassiusculas & vehementer expansas & inter se volantes, ut jam dixi, habet partes, magno suo pondere ulterius, ad majorem humilitatem acquirendam, condensare non potest.

Multum autem ad condensationis istius aeræ, ab argento vivo tubo illi inclusi facienda, facilitatem vel difficultatem facit aerarum particularum tenuitas & crassities, item fortior vel debilior earum à calore vel aliâ causâ facta expansio. Tenuiores enim & debilius extensa particulae, ad flexionem, in condensacione illâ necessariam, sunt aptiores; crassiores vero & vehementius extensa ad illam sunt ineptiores. Atque hinc contingit, ut argentum illud vivum in illo tubo Florentiae humilius descendat, ubi aer est tenuior; quam Parisiis, ubi ille est crassior: & adhuc minus descendat in Belgio, ubi aer adhuc majorem crassitatem habet: & omnium minimè in Sueciâ, ubi aer etiam crassissimus existit. Hinc etiam descendit argentum illud vivum in tubo isto humilius in sublimi aliquo monte, ubi partes aeris sunt tenuiores & debilius extensa; quam in valle

*Cur illa  
subsidentia  
in diversis  
quibusdam  
locis sit  
varia.*



aut alio humili loco , ubi aëris partes sunt crassiores,  
& vehementius expanduntur.

*Cur in tubo  
27 digito-  
rum, &  
breviore,  
nullæ ar-  
genti vivi  
sit subsi-  
dentia.*

Ad hujus autem ascensus vel descensus varietatem in tubo, argento vivo ratione jam dictâ instructo, observan-dam requiritur tubus vitreus longior 27 digitis: quia si 27 digitorum tubus, vel illo brevior argento vivo repletur , & modo jam explicato eversus alteri vasculo argenti vivi pleno inferatur; argentum vivum in tubo nihil quicquam descendit , sed totus tubus inversus B A manet argento vivo, ab imo ad summum, repletus ; propterea quod particularum aëris externi expansio tam sit valida , ut ea, ab argenti vivi 27 vel pauciores digitos alti pondere , nullo modo condensari possit , ac proinde omnem argenti vivi in tubo descensum impeditat.

*Cur aqua  
antliarum  
ope non  
altius,  
quam ad  
unius &  
triginta  
pedum  
altitudi-  
nem, possit  
attollit.*

Porro ut cylindrus argenti vivi , tubo superius clauso & inferius aperto , & vasculo argenti vivi pleno inserto , inclusi , 27 pollicibus altior , ab expansis aëris particulis sustineri non potest ; sed condensationem vicini aëris ; & consequenter impulsionem æthereæ materiæ ex poris aëris in superiore tubi partem faciens, ad 27 pollicum humilitatem, quam aër sustinere potest, descendit: ita cylindrus aquæ , tubo superius clauso & inferius aperto , & vasi humili aquæ pleno extremitate suâ infimâ inserto inclusæ , uno & triginta pedibus altior , ab aëre externo vicino sustinerti nequiens , ad humilitatem unius & triginta pedum delabitur, ibique subsistit. Atque hæc est causa , cur aqua antliis sive tubis suctoriis altius , quam ad unius & triginta pedum altitudinem , attolli non possit. Cum enim aqua motu baculi suctorii, sive emboli antliarum, ad unius & triginta pedum altitudinem , per vim aëris citra condensationem impulsi, est sublata ; postea aër, altorem molem aquæ citra condensationem non ferens, ubi à motu suctoris antliarum vehementius movetur , mox con-den-

densatur, quo sola subtilis materia in cavitatem antlia-  
rum, per baculi sustorii sublationem supra aquam factam,  
impellitur; aut si quid aquæ eò sublatum fuerit, quia il-  
lud cum reliquâ aquâ ab aëre sustineri non potest, illud  
mox ad justam unius & triginta pedum humilitatem sub-  
fidit, subtilemque materiam ex aëre condensato, in suum  
locum, supra aquam in tubum impellit.

Eadem illa vis, quâ aëris partes ab elemento primo &  
secundo distenduntur, & variè inter se cum volatu agitan-  
tur, facit, ut expansus ille aër in quævis loca, unde aër  
vel alia corpora crassiora, ejus ingressum copiosorem  
alioqui impedientia, excluduntur, vel expelluntur, vel  
in iis condensantur, magno impetu fese, vi istius dilata-  
tionis & expansionis, insinuet; vel, si ille eo se insinua-  
re, propter obstantia crassa corpora, non possit, alia  
vicina corpora in ea impellat. Atque hæc est causa il-  
la adjuvans, & interdum solitaria, à quâ aër in re-  
spiratione in pectus, & in follis ventilatione in fol-  
lem; & sanguis, in cucurbitarum cuti scarificatæ cum  
stupâ incensâ adhibitarum usu, in cucurbitas; atque a-  
qua, in æolipilas excalcfactas, & tubulo suo aquæ immer-  
fas, impellitur.

Aër in vase aliquo per impulsionem copiosioris aëris  
condensatus, propter majorem suam copiam, majus pon-  
dus, quam rarefactus, habet: & contra, in eodem vase rare-  
factus, ob minorem suam copiam, est condensato levior.  
Atque hoc per ponderationem æolipilæ, vel fontis con-  
densatorii, vel vesicæ, primum paucum & rarum, &  
deinde multum & condensatum aërem continentis, fa-  
cile explorari potest.

Quanquam autem aër etiam crassus sit, terrâ tamen &  
aquâ multò est tenuior & minus solidus, ac idcirco supra  
aquam, à duobus primis elementis, celerrimè circum illum

*Quomodo  
aëris à  
subtili ma-  
teria ex-  
panσio sic  
causa, quod  
aër in pul-  
mones &  
folles, &  
sanguis in  
cucurbitas,  
atque a-  
qua in  
æolipilas  
impellatur.*

*Cur aër  
condensatus  
sit raro  
gravior.*

*Cur aër in  
globo Tel-  
luris sit  
terrâ & a-*

*vior, &  
summa  
ejus super-  
ficies sit  
spharica.*

*Cur aér &  
aqua pellu-  
ceant.*

*Cur aér  
nunquam;  
vapor fa-  
cile in a-  
quam à  
frigore  
commute-  
tur.*

*Cur regio  
aëris infe-  
rior magis  
caleat;  
Et superior  
magis fri-  
geat.*

actis, in corpus globosum, unà cum terrâ & aquâ, compingitur, &, superficies ejus summa, spharica efficitur; præfertim cum globus ille totus, circum centrum suum, diurno motu rotetur.

Aér & aqua sunt corpora pellucida, quia constant particulis tam parvis, quas globuli ætherei, eas percurrentes, perpetuò de loco movere, perque illas in omnes partes satis liberè, ad actionem luminis ad lineas rectas vel iis æquivalentes quaquaversum transferendam, ferri possunt.

Aér non nihil quidem frigore condensatur, sed tamen ejus particulæ, quia sunt valdè subtile, vi agitacionis subtilis materiae eas percurrentis ita moventur, ut semper inter se volent, atque ideo nunquam in aquam à frigore, etiam intensissimo, commutentur. Vapores verò in aërem sublati vi frigoris ita densari & complicari, ob crassitatem & longitudinem suarum particularum, possunt; ut in aquam facillimè convertantur.

Regio aëris, tetræ vicina, calidior est quam illa, quæ à terrâ est remotior; propterea quod radii solares, ibi à terrâ copiosius reflexi, vehementiorem in ea faciant particularum agitationem. Quia autem radii à terra reflexi, in altiorem aëris regionem, tam copiosè non ascendunt, idcirco illa magis friget, nivemque, nubes, & pluvias ac alia similia meteora, terram fœcundantia, producit: & quia radiorum illa reflexio, pro anni tempestate & climatuum Telluris aliorumque variatione, variat, idcirco etiam varius, pro istorum varietate, in ea est calor.

## C A P V T IV.

*De Igne.*

**I**Gnis, qui in portis terræ, aquæ, & aëris, aliorumque *Ignis.* corporum gignitur, est congeries materiæ subtilissimæ, quæ angustiis corporum terrestrium, sine ulla vel saltem multis globulis æthereis, motum ejus vehementissimum, hic necessarium, cum ei sunt mixti, impedientibus, sola inclusa, obvia corpora vehementius agitando, nervos nostros sensibiliter potest movere.

Quando enim elementum primum inter globulos *Cur in igne multi globuli ætherei esse non possint.* æthereos multos, in corporibus terrestribus existentes, versatur, in parvis illis spaciolis interstitiorum, quæ sunt inter illos globulos, non habet, ob suam paucitatem, satis virium, quod ad ignium suscitationem sufficiat: quum verò illud solum in majoribus spaciis corporum terrestrium existit, tum, ob suam copiam, satis validas, ad ignem excitandum, habet vires.

Ignis est vel tantum lucidus, vel tantum calidus, vel calidus & lucidus simul.

Ignis tantum lucidus est, qui oritur ab elemento primo, tantis corporum terrestrium angustiis incluso, ut nulli globuli ætherei & nulla corpora terrestria, ob suam crassitatem, in illas possint ingredi; quo illud globulos secundi elementi vicinos ita ad lineas rectas propellit, ut illi oculi retinam, ad perceptionem luminis exhibendum, è longinquo vehementius possint movere. Is nocturno tempore appetit in fluctibus marinis in scopulos actis, & salinis suis particulis, ex iis vi vehementioris motus egreditur, globulosque æthereos ex aere vicino expellentibus, & soli elemento primo locum ibi facientibus. Item

V 2 in

*Ignis tantum lucidus.*

*Varia ejus exempla.*

in lignis quibusdam putridis, & squamis piscium, aliisque plurimis, quæ ob putredinem, exsiccationem, vel aliam causam, tam angustos adepta sunt meatus, ut solum elementum primum admittant. Item in lapidibus quibusdam in Italiâ inventis, qui postquam vehementioribus Solis radiis aliquamdiu fuerunt expositi, in tenebris lucent; propterea quod particulae ipsorum superficiariæ à Sole ita sunt dispositæ, ut subtilissima materia in poris eorum sola existens hujusmodi splendorem, per globulorum æthereorum propulsionem, in tenebris excident.

*Ignis tan-  
tum cali-  
dus.*

*Varia ejus  
exempla.*

Ignis tantum calidus est, qui oritur ab elemento primo, angustiis corporum terrestrium ita inclusio, ut multæ quidem crastæ particulae in eorum spaciolis natent; sed quæ ob admistas quasdam particulas molles, quales sunt aquæ & aëreæ, ita agitantur, ut nervos tactrios è propinquo tali motu movere possint, qui caloris perceptio- nem exhibeat. Talis animadvertisit in fimo equino pu- trecente; sanguine animalium vivorum; calce vivâ, quæ aquâ est conspersa; fermento; fœno recenti, ante plenam exsiccationem in angustiore loco recondito: oleo vitrioli cum sale tartari mixto; aquâ forti; in quam æs est conjectum; aliisque multis, quæ ita, ut dixi, dispositos habent poros.

*Cur iidem  
pulveres &  
liquores in  
his corpori-  
bus effe-  
rescen-  
tiam, in  
illis defer-  
rescen-  
tiam fa-  
ciant.*

Et quia particulae & pori in variis corporibus sunt va- rii, hinc alii liquores & pulveres admixti in his, alii in aliis corporibus faciunt ebullitiones. Quæ enim particulae propter figuram & magnitudinem suam aptæ sunt, ut in hu- jus corporis poris commodum materiæ subtili præbeant locum, quò vehementius illa moveatur, illæ in aliorum corporum poris, aliter figuratis & expansis, sunt ad mo- tum materiæ æthereæ facilitandum ineptæ; atque ideo alia corpora in his, alia in illis effervescentiam vel exci- tant,

tant, vel fistunt. Atque hinc cessat jam admiratio, quæ multos tenere solebat, quum viderent acetum, quod inflammationes, in carne humanâ adhibitum, fistit, in pastâ frumentaceâ subactâ calorem, rarefactionem, spirituositatem, volatilitatem, &c, ut uno verbo dicam, alimentariam fermentationem; & spiritum vini, ori & linguæ adhibitum, magnum calorem, in parte verò à pulvere pyrio exustâ, frigus, vel minorem calorem, excitare.

*Quid fermentatio.*

Aceti enim particulæ, poris inflamatæ carnis inseræ, faciunt ut subtilis materia debilius in iis se agitare; pastæ verò frumentaceæ admixtæ; propter poros & partes aliter in iis formatas, vehementius se mouere, particulasque istius pastæ fortius vibrare possit. Spiritus autem vini, ut manui ex. gr. à pulvere pyrio exusta adhibitus, efficit poros ad vehementiorem motum, à subtili materiâ excitandum, ineptos; ita ore assutus producit poros vehementiori motûs & agitationis, à subtili materiâ ibi efficiendæ, idoneos.


Ignis simul calidus & lucidus est, qui oritur ab elemento primo, angustiis corporum terrestrium ita inclusso, ut partes crastæ & duræ solæ in eo natent, eaque tam vehementer ab illo inter se mutuò agitantur, & in orbem, circum suum centrum, agantur, ut oculi retinam è longinquo, & nervos tactios ex propinquo, ita queant movere, ut & caloris & luminis perceptionem excitat, & durissima quælibet corpora, pro eorum constitutione, queant dissolvere, flectere, atterere, disjicere, separare, conjungere, emollire, indurare, fundere, frangere, vitrificare, aliisque multis modis immutare. Hic observatur in incensis cespitis bituminosis, & lignis, aliisque rebus ardentibus, ut fulmine, pulvere pyrio incenso, &c.

*Ignis simul  
calidus &  
lucidus.*

*Eius ex-  
empla.*


*Eius origo.*

Hic postremus gignitur, quotiescumque partes molles,  
ut ex.gr. aëris & globuli ætherei, ita à se mutuò disjiciuntur,  
separantur, aut excluduntur, ut materia subtilissi-



*Quomodo  
silicus in  
chalybem  
percussione;  
Et radio-  
rum sola-  
rium per  
vitrum &  
speculum*

ma, in medio terrestriū partium existens, particulas  
crassas recipiat, quas vehementi suo motu in orbem & in  
se mutuò vehementissimè agiter; ut hīc, in percussione  
chalybis in silicem A B C, ad oculum patet: & in radio-  
rum solarium Y Z, per vitrum convexum E F, vel spe-  
culum concavum G H, in materiā ustili I K collectio-  
ne;



ne : nec non in continuatâ diutius lignorum siccorum vehementiore frictione , aut alio valde violento terrelstrium corporum motu , facilè nunc observari potest . His enim omnibus motibus arctantur primùm particulae corporum terrestrium , ut hîc apparet in particulis silicis percussi B ; globulique ætherei , qui sunt in earum poris A , excutiuntur ; & eæ deinde vehementissimè , ut in C , unæ ab aliis , in gyros D , aguntur ; quo omnes aëris particulae & globuli ætherei , eas circumstantes , disjiciuntur ; unde materia primi elementi , sola circum eas existens , eas , vehementissimè in gyrum porrò agendo , in scintillas lucidas & calidas D convertit , & , ex scintillis multis conjunctis , ignem fumantem & flammantem I & K , sepe excitat .

Quoniam verò particulae terrestres , in igne existentes , per aërem & circumstantes æthereos globulos , perpetuò ab elemento primo excutiuntur , & in fumum abeunt , quo ignis perpetuò dissipatur , idcirco necesse est , ut novæ particulae satis solidæ , vi ustionis à rebus ustilibus perpetuò separatae , & in ignem accensum , ad ejus conservationem , conjectæ , novum ignem continuò producant . Vbi autem illa nova continuaque ignis productio cessat ,

*Cur fomite  
indiget.*

*ignis*

ignis mox extinguitur, ut cuivis, candelam ardentem A B C D E F G diligentius consideranti, est manifestum.

*Cur flam-  
ma tendat  
sursum.*

Hujus flamma tendit sursum: quia, ob minorem suam soliditatem, aëre est levior; & quia partes flammæ mediæ G D E, minimam soliditatem habentes, fortius moventur, quam exteriores C C, quarum motus à contactu aëris imminuitur: idcirco illa est acuminata, & fumi ejus è summo apice H potissimum egrediuntur.



*Cur fulgor  
flamme  
major sit  
nobis in  
loco obscu-  
ro, quam à  
Sole illu-  
strato.*

Flammæ etiam fulgor major est in loco obscuro, quam in lucido: quia in lucido loco impelluntur in illam à Sole multi globuli ætherei, quos ignis vehementiam imminuere antea diximus; iisque in particulas flammæ, quæ versus exteriora tendunt, for-

tius impingentes, earum fulgoris motum impediunt. Huc accedit, quod à magno Solis lumine retina nostrorum oculorum tam validè afficiatur, ut lumen candelæ ardenter ad lumen Solis pene habeat rationem nihili, atque idcirco à nobis vix percipi possit.

*Cur aër ad  
ignem ac-  
cedat.*

Quoniam autem ob vehementem fumorum, è candelæ & aliis ignibus flammantibus egredientium, eruptiōnem, aër ab illis dispellitur; idcirco, cum in omni motu debeat esse circulus, ut antehac docuimus, necessariò eodem tempore aliis aëris versus candelam aliosque similes ignes, pro ardoris vehementiā, accedit.

*Cur oleosa  
& bitumi-  
nosa ignem  
augeant,  
vel conser-  
vent.*

Ad ignis calidi. & lucidi conservationem faciunt corpora bituminosa, oleosa, & sulphurea: quia per justam tenuitatem & partium ramosarum coharentiam, in quibus sola

sola materia subtilis primi generis existit, apta sunt debitè ab elemento primo, loco suo dejici & moveri, & alia corpora per vices loco suo in ignem conjicere, & ita movere, ut globulos æthereos, ignem suo copioso illapsu extincturos, ex loco ignis, in quem unidique circumstantes coire nituntur, repellant.

Aqua ad ignes mediocres alendos est inepta: quia particulas crassiores, oblongas, læves, & flexiles habens, ad motum ignis est ineptior, & in poros rerum urendarum facilè ingrediens, ignem ex iis excludit. In ignes tamen majores parvâ quantitate injecta, crassitie suarum partium in igne motarum, ardorem suo motu juvat, & flammarum sæpè quam altissimè attollit.

Illa corpora ustilia possunt inflammari, quorum partes tam sunt tenues & volatiles, ut in exhalationem, quæ incendi potest, resolvantur; quæ verò habent partes magis fixas, illa in carbonem vivum, per corpus ustile se paulatim propagantem, tantùm possunt incendi.

Ignis in carbonibus, & præsertim iis, qui cineribus sunt testi, diu se conservat, quia aliquamdiu ibi alimentum, seu materiam ustilem, invenit: quod non ita facilè, ob impositos cineres, dissipari potest.

Ignis inducit varios in corpora colores, dum particulas eorum minimas suo motu varie disponit: unde globuli ætherei in illa incidentes, aliam atque aliam processus & circumvolutionis acquirunt proportionem, in qua colorum natura, ut postea docebimus, consistit.

Fundit & liquat omnia corpora, quorum partes adeò quidem sunt fixæ, ut non avolent; non tamen tam firmiter sibi mutuo adhærentes, quin ignis unamquamque possit separatim agitare.

Idque perficit, dum particulas eorum vehementi suo motu à se mutuo separat, inter se agitat, & inflectit.

*Cur aqua  
ignem ex-  
stinguat  
parvum:  
magnum  
parvâ in-  
fusa quan-  
titate au-  
geat.*

*Qua flam-  
mam conci-  
piant.*

*Cur ignis  
in carbo-  
nibus &  
sub cineri-  
bus diutius  
conserve-  
tur.*

*Cur Ignis  
varios in-  
ducat co-  
lores.*

*Cur que-  
dam emol-  
liat, liquef-  
& fundat.*

*Et quomo-  
do.*

*Cur quædam exsiccat & induret.*

Indurat & exsiccat quædam corpora, quæ constant quibusdam partibus tenuibus, flexilibus, lubricis, & aliis crassis ac ramosis, inter se mixtis, sed non valde connexis; disjiciendo & dissipando eorum partes flexiles & tenues, quibus dissipatis crassæ & ramosæ complicatae & solæ relicta, ac in se considentes, necessariò indurantur, cum à calore ignis amplius, ob suam cohæsionem & crassitatem, inter se satis agitari nequeant.

*Ordo balistuum, fumorum, & liquorum, in distillationibus & sublimationibus ascendentium: & ordinis istius ratio.*

Cum autem per exhalationem hoc modo à reliquis partibus aliæ separantur; primò prodeunt spiritus ardentes, deinde aquæ insipidæ, denique succi acres sive aquæ erodentes, quæ ex salibus, non nisi magnâ ignis vi comminutis, eliciuntur. Magna vi etiam opus est, ad sublimata ex argento vivo & similibus attollenda; atque etiam in oleis, è corporibus siccis per exhalationem educendis; quod satis commodè non potest fieri, nisi illa sicca corpora, per aquam affusam, poros corporum siccorum aperientem, ad oleorum eductionem præparentur. Atque hæc omnia propter diversam partium magnitudinem, figuram, vel cohæsionem, fiunt; propter quæ alia aliis facilius vel difficilius dissolvuntur, vel in altum attolluntur.

*Cur ignis pleraque corpora dissolvat & dissipet, & in cineres & calces convertat.*

*Quomodo ex cineribus & calcibus fiat vitrum.*

Ignis lapsu temporis, pleraque corpora vehementissimo & continuo suo motu in minimas particulas confringit, dissolvit, & in fumum attenuat ac dissipat, & reliquias convertit in calces & cineres, quæ constant particulis duris, crassis, ramosis, porosis & asperis, qua figura ab igne disjici & incendi non possunt.

Si autem calces & cineres, quorum particulæ sunt duriores, vehementioribus ignibus excoquantur, paulatim ramuli illi, qui asperitatem & opacitatem in particulis cinerum efficiebant, diffinguntur, & particulæ, inter se agitatæ, arctius uniuntur, poliuntur, & læves evadunt; quæ tamen in exiguis tantum punctis se mutuò immediate

diate contingunt : atque ita producitur corpus quoddam durum , diaphanum , & fragile , quod nos vitrum appellamus.

Hujus pelluciditas in eo consistit , quòd per ejus poros lèvigatos , elementum secundi generis , undique adveniens , quaquaversum ad lineas rectas , vel iis æquipollentes , possit transire ; fragilitas verò ex eo oritur , quòd particulæ ejus in exiguis punctis se mutuò immediatè contingentes , & inter se cohærentes , si vel pauxillum loco moveantur , cesserent cohærere , atque ita frangantur.

Dum autem vitrum funditur vel candet , partes ejus , in diversum ductæ , potius se mutuò , ob earum flexibilitatem ab igne acquisitam , sequuntur , & aliæ supra alias , cum immediato contactu , fluunt , quàm omnino disjungantur : & hinc manet tum earum cohærentia.

Vitrum vehementius excalafactum , si aquâ , præsertim frigidâ , vel etiam à venti frigidioris afflatu contingatur , mox rumpi loco contacto solet: quia subtilis ætheris halitus , qui ex illo excalafacto perpetuò exhalare conatur , liberum , propter poros ex frigore constrictos , exitum non habens , illum per obstantium fragilium vitri particularum dirruptionem , vi sibi parat.

Si vitrum subito intensius calefiat , statim etiam rumpitur , quia liquor ætheris subtilis , qui intra interiores ejus poros existit , ubi subito à calore vehementiore adhibito rarescit , non invenit satis copiosos & patulos ad egrediendum poros , atque ideo per vitriarum partium fracturam eos sibi aperit.

Vbi verò lento ignis calore vitrum paulatim incalescit , pori vitri paulatim tam copiosi & tanti aperiuntur , ut liquor ille subtilis in ejus poris existens , libere egrediatur , coque continuas vitri partes integras relinquat.

*Cur vi-  
trum sit  
perspicuum  
& fragile.*

*Cur vi-  
trum fu-  
sum vel  
candens sit  
ductile.*

*Cur vi-  
trum exca-  
lefactum  
à contactu  
aque vel  
aëris frigi-  
di rumpa-  
tur.*

*Cur subita  
vitri cale-  
factio illud  
confringat.*

*Cur vi-  
trum lentè  
calefattum  
maneat in-  
tegrum.*

## CAPUT V.

*De æstu maris, & motu aëris & aquæ ab oriente versus occasum.*

**I**N hoc Telluris globo observatur æstus maris, perpetuò fluxu & refluxu reciprocus ; item motus aquæ & aëris , ab ortu ad occasum perpetuò tendens , & intra tropicos perceptibilis.

*Causa æstus maris.*


Et quantum ad æstum maris attinet , hic oritur ex eo , quod cœlum nostrum peculiare , ( clausum illo circulo A B C D , quem Luna L singulis mensibus percurrit) suo , circum terram T , raptu , & inter Lunam & terram ce-

leriori , quam alibi , interfluxu , terram ad aliquod spatium extra centrum sui cœli deturbet . Hinc enim oriuntur duæ angustiæ , in illo cœlo seu voritate sibi mutuò diametraliter oppositæ , una inter Lunam & Tellurem , altera inter Tellurem & illam

oppositam peculiari cœli extremitatis partem , versus quam Tellus , ab interfluxu subtilis materiæ , sive cœli , celeriori , fuit propulsa .

*Quomodo fiat ejus affluxus;*

Dum itaque torrens nostri cœli , utrasque illas angustias cele-



celerius; quam alibi, interfluit, premit ille vehementius aërem & aquas maris in istis partibus existentes, easque inde abigit, & versus litora attollit, fluxumque facit.

Cum autem ob diurnum terræ motum, qui 24 horis peragitur, illa pars maris, quæ Lunæ erat obversa, à Lunâ paulatim avertatur, sensim etiam cessat, in illis partibus, aëris & maris pressio, quo aquæ, à litoribus versus altum relabentes, refluxum maris faciunt.

Durat autem ille maris affluxus, ut & refluxus, per sex horas; quia illa maris ad Lunam, & duas illas oppositas cœli angustias, obversio, per sex horas, ob Telluris viginti quatuor horarum circumvolutionem, etiam durat; sicut etiam ipsa ab illis aversio.

Et quoniam Luna, præterpropter, vigesimam octavam sui circuli A B C D partem, quotidiè versus occidum decurrit, hinc contingit æstum maris quotidiè, horæ ferè spatio, retardari; propterea quod Telluris fere circumvolventis partes, ideò tanto tardiùs ad illas cœli angustias perveniant.

Æstus maris in quibusdam locis est magnus, in quibusdam parvus, in quibusdam nullus; quod contingit ob litorum diversum situm, diversas angustias fretorum, mare diversimode spaciose; ut apparet in mari Mediterraneo, ubi nullus vel exiguis, & in nostro sinu Hollandico Australi, ubi magnus observatur æstus: vel ventos varie adversos vel aversos. Venti enim motui maris adversi, immunuunt æstum, qui à ventis aversis juvatur. Freta autem nimis angusta, influxum maris non admittunt. Freta valde longa, quale est mare Mediterraneum, ab aquis maris, in eas impulsis, non facile aut multum replentur; brevia verò facilem repletionem admittunt.

Æstus marini in quadris lunaribus, sive quadratis Lunæ aspectibus, circa A & C sunt minores; in conjun-

*Quomodo  
Refluxus.*

*Eorum du-  
ratio.*

*Cur æstus  
maris quo-  
tidie fere  
horæ sit  
tardior.*

*Varietas  
æstus ma-  
rini.*

*Cur mare  
medierra-  
neum æstu  
careat.*

*Cur æstus  
in quadris  
Luna sine  
minores,*

& in novilunio & plenilunio  
majores.

ktionibus verò circa D , & oppositionibus circa B , sive novilunio & plenilunio , æstus solent esse altissimi , propterea quod cœlum Lunæ & nobis peculiare A B C D , ut ex antedictis patet , non sit exacte rotundum , sed ellipticum , majoraque inter Tellurem & sui extremum exhibeat spacia , Soli S lateralia circa A & C , quām diametaliter ei opposita circa B & D . Cum itaque Luna , in quadratis aspectibus , sit in majoribus istis spaciis , ob laxiores in iis locis & inter Tellurem & Lunam angustias , minor etiam ibi est aquarum pressio , & sic minor æstus . Cum autem in oppositionibus & conjuncti- nibus , Luna existat in arctioribus illis cœli angu- stiis , hinc major ibi , ab interfluente cœlo , est aquarum pressio ; unde tunc major æstus ibidem oritur .

*Quomodo apogaeum & peri- gaeum Lu- na his non adver- tur.*

Neque his adversatur perigæum vel apogæum Lunæ ; nam sive illud à copioiore impulsione vel expulsione materiæ cœlestis , in vel extra Lunæ vorticem , contingat ; sive à majore vel minore Lunæ versus Tellurem propul- sione fiat , uti antehac fuit explicatum : manet tamen semper eadem cœli nostri peculiaris figura elliptica ; vnde etiam necessariò jam explicata illa varietas , in marinis æsti- bus , tam in apogæo quām in perigæo , proficiisci debet .

*Cur æstus circa equinoctia præ ceteris sunt maxi- mi.*

Quoniam autem Luna ferè semper est prope planum eclipticæ , quod plano æquatoris terræ , secundum quod Tellus diurno rotatur motu , tantum in æquinoctiis direc- te opponitur ; cumque ex illâ directâ oppositione , máxi- ma sequatur aëris & aquarum pressio , idcirco maximi æstus circa illa tempora , minores extra illa , solent con- tingere .

*Cur nullus æstus in lacubis & stagnis.*


In lacubis & stagnis , à mari remotis , nulli sunt æstus ; quia ob minorem eorum superficiem , aquæ in illis , propter Lunæ præsentiam , ab interfluente cœlo , multò magis & sensibiliter in unam partem , quām in alteram , pre- mi non possunt .

Motus

Motus aëris & aquæ, quo hæc corpora ab oriente versus occidentem sub tropicis tendere animadvertuntur à nautis, qui ibi celerius ab oriente versus occidentem navigant, originem dicit ab inæqualitate partium, ex quibus Tellus constat. Terra enim cum sit solidior & ponderosior aëre & aquâ, hinc circumrapitur illa multò celerius versus Orientem quam aqua; & aqua quam aëris. Itaque cum aqua & aëris, tardiùs ferantur versus Orientem quam terra, hinc videntur priora illa corpora versus occasum tendere: eodem modo ut navis tardiùs proœcta versus eundem locum, ad quem altera navis celerius fertur, in contrarium tendere videtur iis, qui celeriori vehuntur.

Causa motus aeris & aquæ versus occidentem.

Cur ille motus tantum inter tropicos sit perceptibilis.



pars, quæ intra tropicos est sita, quippe à polis Telluris  
AB

AB remotissima , celerrimè versus orientem circumrabitur ; tardiùs verò illa , quæ extra illos , polis A B est vicinior : ut ex sola hujus schematis , vel globi Telluris geographicī inspectione patet .

## C A P V T VI.

*De corporum terrestrium mutationibus : ubi de Generatione , corruptione , mixtione , temperamentis , qualitatibus , putredine , & petrificatione .*

*Cur de rerum naturalium mutationibus , ante reliqua , sit agendum .  
Mutationes rerum naturalium sunt vel accidentaria , vel essentialia ; nulla substantiales .*

**A** Ntequam ad reliqua , quæ in hoc Telluris globo passim occurrunt , describendum progrediar , aliquid de mutationibus rerum naturalium videtur præmitendum : sine his enim non puto commodè intelligi posse , quæ quotidiè in hoc globo producta conspicuntur .

Mutationes , quæ in rebus naturalibus fiunt , sunt vel accidentariæ , quibus mutantur accidentia quædam , quæ essentiam rei non constituunt ; talis est simplex alteratione refrigerationis ; vel calefactionis : item auctio , vel diminutio simplex : vel sunt essentiales , quibus essentia seu forma rerum immutatur , ut generatio & corruptio . Nullæ autem dantur mutationes substantiales , si hominis productionem excipias : quia præter illam nulla unquam nova generatur substantia ; sed materia , quæ est substantia , semper in generationibus & alterationibus , accidentaliter , vel essentialiter , secundūm modos antehac in Formæ doctrinâ explicatos , tantum modificantur .

*Generatio- nis defini- tio vulga- ris .*

Generatio definiri solet , mutatio à privatione substanciali , ad formam substancialē in materiā . Sed cum nulla forma substancialis , ut ex antedictis patet , & ex postea dicendis magis patebit , in rerum naturâ detur , præter animam rationalem ; nec ista forma abiis , qui eam astruunt , intelligatur , ut ipsi apertè fatentur ; & propter ea

ea ab ipsis explicari non possit; hæc generationis definitio rejicienda, aliaque, si fieri potest, substituenda videtur.

Generatio itaque est materiæ in partes insensibiles, & interdum etiam sensibiles, secundùm situm, figuram, quantitatem, motum, & quietem, constitutioni rerum conveniens adaptatio. Præter hæc enim clarissimè intelligibilia, nil ad res constituendas in rerum naturâ dari vel observari potest; eaque ad earum constitutionem omnino sufficiunt; cùm per ea natura & effecta earum rectè explicentur.

Atque hinc jam intelligimus, in stirpis vel bestiæ generatione, non magis, quàm in constructione domûs vel horologii, quæ iisdem perficitur principiis, novam substantiam produci; sed tantùm materiam, quæ est substantia, secundùm illa principia, cujusque rei constitutioni convenienter disponi.

Partium insensibilium conveniens adaptatio fit, ex.gr. in generatione sanguinis, lactis vel vaporis: sensibilem & insensibilem, in generatione stirpis vel animalis.

Hæc adaptatio cùm in momento fieri nequeat, generatio etiam in momento fieri non potest.

Quatenus in ea insensibiles partes adaptantur, vocatur temperamentum; quatenus sensibiles, conformatio.

Temperamentum ex aliorum sententiâ definiri potest, elementorum elementariumque qualitatum in mixto apta convenientia. Sed quoniam ad constitutionem eorum, quæ mixta dicuntur, non magis requiritur quatuor elementorum dictorum concursus, quàm ipsa, quæ dicuntur mixta, requiruntur ad constituenda hæc corpora, quæ elementa dici solent: nam ut ex terrâ, aquâ, aëre, & igne sunt mixta; ita ex mixtis fit vicissim ignis, aëris, aqua, terra. Cumque elementa dicta in mixtis non ma-

Y neant;

neant; in carne enim, ex. gr. nulla terra, nullus aër vel aqua observatur: neque ex horum mixtione proprietates mixtorum oriri, aut explicari possunt; ut appareat in colore, sono, sapore, luce, lumine, & corporum mixtorum occultis qualitatibus dictis, aliisque innumeris. Idcirco frustra se fatigare videntur ij, qui elementorum vulgo dictorum mixtioni, seu miscibilium (ut ajunt) alteratorum unioni, omnium rerum naturalium generaciones & proprietates adscribunt; atque ex eâ illarum temperamenta deducere conantur.

*Recta temperamenti definitio.*

Temperies autem rectè definitur, particularum insensibilium, secundum motum, & quietem, item situm, figuram, & magnitudinem; in partes sensibiles contextus, qui rebus naturalibus, & earum qualitatibus constituedis, est conveniens.

Nam à tali quinque istorum principiorum complexione, quibus hæc constat, omnes corporum naturalium, tam homogeneorum, quam heterogencorum, naturæ & qualitates, specificè, vel saltē generaliter, explicari intelligibiliter possunt; uti ex sequentibus, ut spero, innotescet.

*Id naturâ suâ est manifestum;*  
*licet nobis interdum sit occultum.*

Cumque illæ primæ jam commemoratæ qualitates, nihil in se contineant, quod non clarissimè possit intelligi; omnes etiam aliæ temperamenti qualitates, quippe quæ ex iis oriuntur, naturâ suâ sunt manifestæ, nullæ occultæ; quamvis forte de multis, quam ratione ab illis primis specificè constituantur, ignoremus.

*Quid manifesta qualitas.*

Atque hinc, ubi ex motu, situ, figurâ, quiete, & magnitudine partium, naturam rerum explicare possumus, attribuimus ipsis qualitates manifestas; ubi autem ex principiis jam commemoratis hoc specificè præstare non possumus, occultas qualitates ipsis adscribere solemus. Vnde constat, occultam qualitatem nihil aliud esse, quam motum,

*Quid occultæ.*

tum , & quietem , item situm , figuram , & magnitudinem partium , quæ aliquibus sunt incognita ; ut vel ex solo magnete & æstu maris patet , quæ quamvis per hæc principia satis clarè explicentur , tamen occultæ qualitatis nomen paßim apud plerosque inveniunt .

Si quis itaque præter hanc , aliquam aliam qualitatem occultam , à formâ substanciali , vel aliâ non intelligibili causâ ortam , cuius cognitionem humanum ingenium absolutè assequi non potest , statuat , ille entia multiplicat absque necessitate ; & aliis , arcana rerum investigare volentibus , viam , quæ ad veram earum cognitionem assequendam ducit , quantum potest , præcludit .

Qualitatum autem nomine intelligimus omnem insensibilium particularum dispositionem , à quâ res aliqua naturalis potest qualis denominari .

Inter illas , quæ præcipuum in rebus naturalibus explicandis usum habent , sunt calor , frigiditas , humiditas , & siccitas , tum actuales , tum potentiales ; quæ primæ ab aliis solent appellari : ac præterea crafsties , tenuitas , densitas , raritas , stabilitas , mollities , durities , fluiditas , aquositas , oleaginositas , visciditas , volatilitas , fixitas , flexibilitas , opacitas , perspicuitas , &c. item sapores , & odores , de quibus , ut de lumine , coloribus , & sonis , agemus in doctrinâ de sensibus ; item vires detergendi , incidendi , adstringendi , laxandi , aperiendi , obstruendi , purgandi , &c. de quibus in Medicinâ .

Calor actualis est motus particularum insensibilium varius : frigus autem actuale est earum quietes .

Ad calorem actualem requiritur motus varius , quo particulæ insensibiles variis determinationibus , aliæ ad dextram , aliæ ad sinistram ; aliæ sursum , aliæ deorsum ; aliæ antrorsum , aliæ retrorsum , inter se agitantur . Atque hinc patet , motum aquæ fluvialis vel venti , quo illa in

*Qualitates  
occulta  
vulgares  
omnium  
rerum in-  
vestigan-  
darum in-  
superandas  
inducunt  
obseurita-  
tes.*

*Qualita-  
tum defini-  
tio.*

*Præcipua  
earum spe-  
cies.*

*Actualis  
calor , &  
frigus actu-  
ale.*

*Caloris  
actualis  
explicatio.*

hanc vel illam partem feruntur, nec pulveris arenacei agitationem, quā ejus particulæ variè inter se conturbantur, non esse calorem: in istis enim non est agitatio varia; in hac verò non est motus varius partium insensibilium, quia singulæ particulæ arenæ sunt sensibles.

*Quomodo  
sentiantur  
frigus a-  
ctuale.*

Sentitur verò frigus actuale, vel per minoris caloris perceptionem, vel dum ex quiete partium quarundam corporis externarum, effluvia insensibilis transpirationis, ob poros frigore clausos, impediuntur; unde inordinatus quidam motus oritur, qui certam quandam sensationem producit, quam nos frigoris perceptionem appellamus.

*Calor &  
frigus su-  
muntur  
plerumque  
comparatè;  
raro abso-  
lutè.*

Rarò hæ qualitates absolutè sumuntur, sed scè semper comparatè; ut, cùm corporis alicujus contacti particulæ celerius moventur, quām particulæ manuum nostrarum, illud calidum judicamus; cum tardius, frigidum; & manum unam alterā calidiorem habentes, idem corpus unā manu calidum, alterā frigidum sentimus.

*Cur calor  
dicatur  
qualitas  
heterogenea  
separans;  
& homoge-  
neia con-  
jungens.*

Atque ex his intelligimus, cur vulgò, quamvis non satis bene, calor definiatur qualitas activa, homogenea congregans, & heterogenea segregans; ac frigus, qualitas homogenea & heterogenea conjungens. Hæc enim congregatio, ut & segregatio, vi motū & quietis perficitur; ut vel ex solo vanni vel palæ jactu, quo triticum ab adiustis paleis separatur; & ex earum quiete, qua triticum cum paleis vel conjungitur, vel coniunctum manet, satis clarè innotescit.

*Probatur ,  
quod calor  
nihil aliud  
sit, quam  
motus va-  
rius par-  
tium insen-  
sibilium ;*

Quod autem calor actualis nihil aliud sit, quām varia particularum insensibilium inter se agitatio, id manifestum est ex varia agitatione, eaque vehementiore, unde ille originem dicit. Dum enim lignum, in superficiem corporis alterius duri vehementius & diutiùs ultro citro- que

que movetur, calor in utroque excitatur; quia varius motus partium insensibilium motu isto in ipsis corporibus producitur. Idem patet ex radiis solaribus, terræ vel alterius corporis particulas verberantibus, easque varie agitantibus, & hoc modo calorem excitantibus. Idem etiam patet ex caloris effectis; nam dum corpus aliquod vehementius calens alterum calefacit, partes alterius corporis tantum vehementer varièque movet, ut ad oculum appareat in aqua, ab igne subiecto effervescente, & vapores emitte. Qui verò aliquid aliud in calore, praeter motum hunc, statuunt, illi entia multiplicant absque necessitate. Nam per hunc motum omnes causæ & effecta, inter quæ etiam est caloris sensatio, quæ nihil aliud est, quam istius motus jam descripti perceptio, intelligibiliter explicari possunt.

Frigus verò actuale esse partium insensibilium quietem, vel minorem motum, constat ex refrigeratione corporum effervescentium & carentium. Nam aqua ex.gr. frigida ubi defervescit, ad manifestam quietem partium pervenit; & ferrum candens, ubi nonnihil de suo calore remittit, liquores injectos non amplius ita vehementer à se repellit; imò, ubi plusculum est refrigeratum, aut calor ejus plusculum est remissus, relinquit liquores in superficie suâ quietos.

Calor potentialis est aptitudo ad incandescentem, vel ad calefacientem, orta ex particularum & pororum aliquuj corporis tali dispositione, ut subtilis materia illas vehementius movere, vel in poris ejus vehementius moveri, & particulas in iis contentas majore vi agitare possit. Sic calx viva vocatur potentia calida, etiam tum, cum ad tactum frigida appareat. Atque omnia corpora, in quorum particulis magnus motus facile excitatur; itemque omnia, quæ talem motum in aliorum corporum parti-

*Et quod  
frigus sit  
earum  
quies.*

*Calor po-  
tentialis.*

culis excitare apta sunt, calida appellantur; ut ex. gr. piper, zinziber, spiritus vini.

*Frigus potentiale.*

Contrà verò omnia corpora, quorum particulæ non facilè agitantur; itemque omnia, quæ agitationem particularum alterius corporis apta sunt impedire, potentiam frigida dici possunt; ut lactuca, acetosa, acetum.

*Quomodo idem corpus quorundam aliorum corporum particulæ aptum est vehementius agitare; atque è contra impedire, ne quorundam aliorum particulæ vehementius agitentur; horum respectu frigidum, istorum verò calidum dici potest. Ut apparat in pulvere nitroso, qui frigidus est, respectu nostri corporis; ratione verò carbonis vivi, calidissimus.*

*Actualis humiditas*

Humiditas actualis propriè tantum est stabilium corporum, cum particulæ aquæ, vel alterius liquoris sensibilis, eorum poris ita insunt, ut ipsis inhærent. Nam humor ab humo sive terrâ dicitur; quia illa, multis in locis, aquis perfusa, est humida, seu madida. Talis est in arbore, gramine, vel veste aquâ madente.

*& siccitas.*

Siccitas actualis est stabilium corporum, cum ipsorum pori nullis liquoris sensibilis particulis, sed solo aere vel subtili materia, repletur. Talis est in arena exsiccata.

*Humiditas, potentialis.*

Humiditas verò potentialis propriè tribuitur liquoribus crassiusculis, quia aliorum corporum poros ingressi, facilè illis inhærent. Talis est in aquâ, oleo, vino.

*Potentialis siccitas.*

Et siccitas potentialis propriè tribuitur liquoribus tenuissimis, ut ex. gr. aëri & subtili materiæ; quia aliorum corporum poros apti sunt pervadete, ita ut iis interim non adhærent, liquorisque sensibiles sèpe etiam ex iis expellant. Sed abusivè etiam humida potentiam dicuntur corpora stabilia, quæ quoctunque modo humefieri, vel alia humectare; & siccâ potentiam, quæ vel siccari, vel alia exsiccare apta sunt.

Cùm

Cùm verò aér humidus dicitur , hoc fit ratione particularum aquæ , in vaporem resolutæ , quæ per illum sunt sparsæ ; ut etiam ipsis sublatis dicitur siccus.

*Cur aér aliquando sit humidus.*

Et quod attinet ad essentiale humiditatem , quam plerique Philosophi aëris elemento dicto tribuunt , nullam ejus rei rationem agnoscimus , nisi quòd ita ipsis conveniens sit visum , ad duas , ex suis quatuor qualitatibus , singulis suorum quatuor elementorum affingendas.

*Cur essentialis humiditas aëri à non nullis describatur.*

Crassities & tenuitas respiciunt majorem vel minorem magnitudinem insensibilium particularum , ex quibus sensibilia corpora componuntur. Ita spiritus vini dicitur aquâ tenuior , quia particulis constat minoribus.

*Crassities & tenuitas.*

Densitas & raritas spectant poros sive intervalla , quæ sunt inter istas insensibiles particulas : ita ut corpus dicatur densum , inter cujus particulas pauca sunt intervalla ; ut marmor. Rarum verò , inter cujus particulas multum spacii intercedit ; ut spongia. Nec ulla alia raritas , vel densitas , intelligibilis dari potest.

*Densitas & raritas.*

Raritas vulgò dicitur tantum à calore oriri ; sed revera etiam à frigore originem dicit , ut appareat in glacie , quæ aquæ liquidæ ; & in metallis , quæ frigore constricta ipsis liquidis seu fusis innatant. Idem ex eo etiam constat , quòd aqua fervida in vas angusti cōlli tempore gelido infusa , primum ab aëris frigore aliquantum condensetur & subfidiat ; sed antequam congeletur , rursus attollatur & rafrescat.

*Raritas non tantum à calore , sed etiam à frigore oritur.*

Densitas à solo frigore oriri dicitur : sed oritur etiam à calore , ut appareat in liquefactione metallorum & glaciei , vi caloris factâ ; cùm illa corpora liquida , sint graviora seipsis constrictis : item in nivis , à calore liquefcientis , condensatione.

*Nec densitas à solo frigore , sed à calore etiam proficiscitur.*

Raritas autem , quæ in glacie major , quam in aqua , observatur , ex eo originem dicit , quod particulæ aquæ ; paulò

*Quomodo raritas à frigore in glacie producatur.*

paulò ante ipsarum congelationem , ob subtilis materia ex frigore imminutum motum , rigidæ evadentes , dum à subtili materiâ etiamnum inter se agitantur , tam arctè , ut flexiles aquæ partes , sibi mutuò , ob illam rigiditatem & curvas suas figuræ , conjungi non possint ; sed à subtili materiâ vehementer agitatæ , alias particulas à se magnâ vi abigant , atque ita majuscula spaciola , glaciei raritatem constituentia , circum se faciant.

*Quomodo  
rigida a-  
qua parti-  
culæ , dum  
congelan-  
tur , ab  
æthere pos-  
sint inter  
se moveri ,  
non flecti.  
Cur superfi-  
cies aqua-  
rum , qua  
in vasis ,  
congelan-  
tur , fiant  
gibbosæ ; &  
vasa , illas  
continen-  
tia , saxe  
disfrumpau-  
tur.*

Nec mirum est particulas aquæ jam rigentes , à subtili materiâ inter se agitari , non autem flecti ; minor enim vis requiritur in nonnullis corporibus ad illa loco movenda , major ad illa flectenda : ut appareat in baculo ferreo , in terrâ jacente , quod impulsu pedis facile de loco moveatur , difficillimè verò flectitur.

Atque hinc jam ratio reddi potest , cur ab aquâ & aliis aqueis liquoribus , qui in vasis fragilioribus congelantur , & glaciali crustâ in summâ superficie ab aëris frigidi contactu primum conteguntur , liquorum istorum summa superficies inter congelandum in gibbum extollatur , & vasa liquores istos continentia frangantur . Cum enim aquæ istæ ita undique duro , tum glaciei , tum vasorum , pariete sunt clausæ , hinc illarum rigescentes & rigidæ particulæ , jam satis arctè , ob earum rigiditatem , complicari nequeentes , agitantur vehementius ab æthere illas intercurrente in omnes dimensiones , eaque vehementius agitatæ impingunt magno impetu in crustam glacialem ipsas tegentem , eoque illam flectunt versus superiora , atque ita illam gibbosam faciunt ; in latera verò vasorum , liquores illos continentium , vehementius impingentes , si illa fragiliora fuerint , illa necessariò pressionis suæ vehementiâ frangunt & disrumpunt.

*Stabilitas.*

Stabilitas oritur ex quacumque particularum insensibili-

um

lium adhæsione; firmâ scilicet, ut in lapide; aut infirmâ, ut in cerâ molliore, & arena cumulo.

Durities est ab omnimodè firmâ ipsarum adhæsione. *Durities.*  
Quæ oriri videtur ex quietâ & immediatâ earum mutuâ contactione, qua nituntur manere in eo statu, in quo sunt; talis durities est in glacie: vel ex vinculis, quorum partes se mutuò immediate & quietè contingunt, eas cohibentibus; talis durities est in aëre, quò vesica vehementer est inflata & tensa.

Mollities oritur ex non omnimodè firmâ partium adhæsione: quæ sàpe ex eo originem dicit, quòd partes à se mutuò sint separatae, & aliud quid inter illas intercurrat; talis est in arena: vel quamvis se mutuò immediate contingent, quòd sàpe eorum corporum particulæ sint flexiles; talis est in molli cera: vel certè desinant in ramulos quosdam flexiles, qui sibi mutuò annexi eas leviter jungunt.

Fluiditas fit ex disjunctione & motu variò particula- *Fluiditas.*  
rum insensibilium. Talis est in aqua, vino, aëre.

Aquofitas designat partes illas fluidas esse lèves & oblongas ac earum nonnullas esse flexiles, nonnullas rigidas, easque inter se repere. *Aquofitas.*

Oleaginositas denotat, illas inter se repentes esse ramosas. *Oleaginositas.*

Viscositas significat, illas ægrè & lentè à se mutuò disjungi: quòd fit vel ob oleaginosarum vel complicatarum particularum crassitatem, vel ramusculorum multitudinem, facilem earum motum & disjunctionem impedientem. *Viscositas.*

Quòd autem in aqua particulæ sint disjunctæ, & variè inter se agitantur, ex eo apparet, quòd quælibet corpora liquida in aquam etiam leviculè conjecta, facilimè se in eam insinuent, per eamque se diffundant: & deinde, *Probatur  
aqua par-  
tes esse dis-  
junctas, &  
variè inter  
se agitari.*

quòd sal, in aquam conjectum, (quamvis illud aquâ sit gravius,) in ipsa dissolvatur, & per totam ejus substantiam diffusum, etiam in summam ejus superficiem efferatur; quæ, sine motu particularum insensibilium aquæ, nullo modo fieri possunt.

*Quodque  
aqua &  
olei parti-  
culæ inter  
se repant;*

Quod verò aquosæ & oleaginosæ particulæ inter se repant, patet ex eo, quòd aliis corporibus duris facile adhærent, à quibus alia post alias, si inter se volarent, celerimè discederent, & tactum citissimè effugerent; quemadmodum in aëre & vaporibus contingit.

*Et particu-  
la aquæ sint  
læves, olei  
verò ra-  
mosa.*

Lævitas particularum aquæ ex eo innotescit, quòd corpora aquâ madefacta, levissimo calore vel aëris agitatione exsiccentur: dum scilicet aquæ particulæ, omnibus uncinis orbatæ, vi motûs caloris vel venti, ex corporibus, in quibus hærent, facile excutiantur. Contrarium fit in oleo, quod in corpus stabile collapsum, propter suos ramulos, difficulter excutitur, & diutius ei inhæret.

*Cur aqua  
difficilis  
congeletur,  
quam o-  
leum &  
alia pin-  
guia.*

Et quia aqua habet particulas læves, idcirco difficulter congelatur, dum ejus particulæ, à subtili materiâ agitatæ, facile à se mutuò separantur. Contrà verò oleum, butyrum, & alia pingua, ob ramosas suas particulas, à levi frigore facile cohærent, & inter se complicatæ constringuntur.

*Probatur ,  
quod par-  
ticula a-  
qua sint  
oblonga;*

Particulas, aquam constituentes, esse oblongas, videtur probari posse ex aquæ gutta, de solido aliquo corpore dependente. Nam si illæ essent orbiculares, vel cubicæ, vel quadratæ & oblongâ figurâ præditæ, nulla ratione diu inter se cohærente possent. Quod jam facile fit, ob earum oblongam figuram & flexibilitatem partium, quâ inter se contextæ manentes, guttam à corpore aliquo dependentem constituunt.

*Et non-  
nullæ fle-  
xiles;*

Flexiles nonnullas esse aquæ partes, probat earum ab

ab aliis rigidis separatarum insipiditas , & poros anfractuosos arenarum transcendi facilitas.

Nonnullas verò earum esse rigidas , arguit earum à flexibilibus particulis aquæ separatarum salredo & punctio , porosque densarum arenarum anfractuosos transcendi difficultas.

Volatilitas est insensibilium particularum ad dissipationem à calore facilitas, orta non tam ex earum tenuitate & infirmâ cohæsione , quâm ab earum figurâ dissipationi aptâ. Talis est in vino , spiritu vini , aquâ.

Fixitas , contrà. Talis est in sale , aceto.

Quòd autem figura multum ad volatilitatem partium faciat , patet in velis navigiorum , & puerorum draconibus volantibus ex chartâ factis , quæ vitiatâ figurâ , naves non amplius provehunt , nec in altum volant.

Flexibilitas significat , particulas , salvâ earum cohæsione , situm posse mutare ; quod oriri videtur ex particularum tenuitate & paucitate : ut appareat in tenui ramento baculi , quod flexible est , cùm baculus crassus exsiccatus sit fragilis.

Fragilitas fit ex particularum insensibilium crassitie , paucis locis & in exiguis punctis se mutuò immediate contingentium , quò fit ut leviore motu à se mutuò separantur , & ita frangantur: ut appareat in vitro.

Quod si res , cuius partes salvâ cohæsione situm possunt mutare , in longum possit produci , ductilis vocatur: quod si ictu mallei partes in longum , latum , & profundum , salvâ cohæsione , novum situm possint acquirere , malleabilis dici solet. Tale est æs , aurum , ferrum.

Quod si res flexilis habet tales partes , quæ , dum flexuntur , poros angustiores nanciscantur , quâm ut subtilis materia liberè per eos possit transire ; exque particularē tam sint duræ , ut subtilis materia novos poros sibi ad

*Ae nonnulla  
la sint rigi-  
da.*

*Volatilitas.*

*Fixitas.*

*Quod figu-  
ra ad vola-  
tilitatem  
faciat.*

*Flexibili-  
tas.*

*Ductilis.  
Malleabi-  
litas.*

*Cur qua-  
dam flexa ,  
in pristi-  
num sta-  
tum sponte  
refiliant.*

transendum non possit patare, res flexilis in pristinum statum s̄epissimè magno impetu resilit, aliaque corpora vehementissimè propellit; dum materia subtilis poros, ex flexione angustatos, aperit, partesque nimium arctatas à se mutuò in illam partem, in quam facilior est flexio, magnâ vi repellit. Talis est arcus, ex ferro vel ligno fabricatus.

*Cur arcus  
plumbus  
post flexi-  
onem non  
resiliat.*

Arcus verò ex plumbo factus non resilit; quia plumbum habet partes flexiles tam molles, ut eo flexo subtilis materia novos in eo faciat poros, per quos cùm commodè transeat, nulla particularum plumbi inflexarum fit repulsio; nullusque earum resiliens.

*Cur arcus,  
si diu flexi  
serventur,  
perdant  
resiliendi  
vehemen-  
tiam.*

Arcus autem ligneus, atque etiam ferreus, si diu flexus servetur, perdit tandem resiliendi vehementiam: quia ligni & ferri flexi partes non sunt tam duræ, quin subtilis materia sibi paulatim in illis, per diutinam flexionis tive intentionis moram, novos possit facere poros; per quos cum satis commodè aut paulò commodius ea possit transire, hinc sit, ut arcus ille diu flexus, & postea libertati suæ per tensionis relaxationem restitutus, nullum aut exiguum spontaneæ resiliionis impetum habeat.

*Cur digi-  
tus madidus,  
super  
marginē  
scyphi aquā  
pleni vehe-  
mentius  
circumdu-  
ctus, ex eo  
faciat exi-  
lire guttas.*

Ab hoc spontaneo flexorum corporum resultu contingit, ut, quando digitus madefactus super summo scyphi vitrei aquâ repleti margine, cum duriusculâ pressione, aliquoties celeriusque circumducitur, aquæ superficies primum crispetur, & deinde exiguae & copiosæ guttulae ex eâ exiliant. Nam pressione illâ dñiti, ita celeriter circumducti, deprimuntur vicissim particulæ vitri duræ & flexiles, super quibus digitus ille madidus inter circumducendum existit, porique earum ita angustantur, ut subtili materiae, eos transire solitæ, per ipsos sufficiens non pateat transitus; subtilis verò materia, ubi digitus deinde ad alias vitri partes transfertur, depresso illas particulas,

ad

ad transitum liberiorem & copiosiorem sibi faciendum, rursus attollit. Atque ex hac alternata frequenterque acceleriter reiterata particularum vitri per digitum circumductum depressione, & per subtilem intercurrentem materiam sublatione, oritur totius vitrei scyphi, & liquoris eo contenti, tremor, & ex tremore primum superficie liquoris crispatio, & deinde copiosus guttularum, in aërem vicinum, utpote suâ fluiditate minus liquoris motui resistentem, erumpentium, sublultus.

Hinc etiam pannus & corium, si magnâ vi in longum extendantur, resilunt sponte, redeuntque ad priorem brevitatem: quia multi eorum pori, per tensionem illam ita angustati, ut subtilis materia satis commodè eos transire non possit, à subtilis materiae vehementi motu, simul atque extensio illa violenta cessat, rursus aperiuntur, & particulæ poros illos nimis angustatos circumstantes, à subili illâ materiâ ad priorem brevitatis situm, quam ante extensionem habebant, reducuntur.

Vesica, aëre inflato distenta, si vehementius comprimatur, hinc etiam sponte resurgit in priorem tumorem; sed potissimum, quia aëris vesicæ inclusi particulæ, à compressionis vehementi condensatae arctatæ & complicatae, à subili materia illas intercurrente, simulatque externa vesicæ pressio cessat, rursus, cum vesicâ aërem continente, extenduntur & dilatantur.

Opacitas ex eo originem dicit, quod pori alicujus corporis præclusi vel interrupti impedian, quod minus radii luminis undique ad lineas rectas, vel æquipollentes, pro actione luminis transferendâ necessarias, transfire queant.

Talis est in nive, terrâ, nube.

Pelluciditas consistit in eo, quod globuli ætherei ad actionem luminis ad lineas rectas transferendum, per alicujus corporis poros in omnes partes liberè

*Cur pannus & corium, si vehementius extendentur, sponte ad priorem redeant brevitatem.*

*Cur vesica inflata, si comprimatur, sponte ad priorem redeat tumorem.*

*Opacitas.*

*Pelluciditas.*

*Lenitas & acrimonia.* possint transire. Talis est in aëre, aquâ, glacie, vitro. Huc etiam pertinent lenitas & acrimonia; quarum illa oritur ex particulis obtusis, flexilibus & leviter motis, ut observare est in aqua, oleo, laete: hæc à partibus duris, scindentibus, & pungentibus, vehementer motis: Ut appareat in aceto, sale, pipere, aquâ fervidâ.

*Continuitas.* Neque hîc prætereunda continuitas & contiguitas. Continuitas corporis in eo consistit, quòd ejus partes, se mutuò immediatè contingentes, inter se quiescant. Atque ideo non potest continuum dissolvi, nisi tanto motu, qui quiete partium corporis continui sit major. Alioqui enim illæ per suam quietem, ex lege immutabilitatis naturæ, in statu cohæsionis immediatæ, sive continuítatis, permanere nituntur.

*Contiguitas.* Contiguitas corporum in eo est sita, quòd eorum extrema inter se quiescentia, mediante subtilissimâ aliquâ & fluidissimâ ac insensibiliter intercurrente materiâ, quam proximè se mutuò contingunt; vel quòd extremitatum corporum motorum etiam immediatus poslit esse contactus. Propter hunc contiguorum motum, vel subtilis materiæ ea intercurrentis agitationem, contingit, ut contigua faciliùs à se mutuò porrò separantur.

*Quod relata qualitates simili modo sint explicanda.* Atque ita omnes aliae qualitates sensibiles, ex solo motu, quiete, figurâ, situ, & magnitudine particularum insensibilium clarissimè possunt explicari; & talis qualitatum cognitio ad humanos usus facillimè converti potest.

*Et quia hoc ab aliis non est factum, inde qualitatum orta est obscuritas.* Sed quicunque ad insensibiles particulæ non attendentes, calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem pro primis qualitatibus assumferunt, atque per illas omnes corporum proprietates explicare sunt conati, multum obscuritatis in Philosophiam nobis induxit videtur; cùm hoc eâ ratione fieri non possit: præcipueque illi, qui istas qualitates semper absolute considerantes, quam-

quamvis plerumque ferè comparatè solùm sumi debeant; & potentiales ab actualibus non satis distinguentes, certos earum gradus singulis corporibus attribuerunt, dicentes hoc esse calidum in primo, siccum in tertio; illud humidum in quarto, frigidum in secundo gradu; & sic de cæteris: quorum decretis è in re non sine accurato examine est fidendum.

Temperies solet dividi in moderatam, quam ad pondus; & immoderatam, quam ad justitiam non satis bene appellant: nam temperies moderata cutis ex. gr. est etiam temperies ad justitiam, cum illa ejus naturæ optimè sit conveniens, quamvis nullius qualitatis ibi dicatur esse immoderatio.

Temperies moderata est, in qua qualitatum est mediocritas.

Temperies immoderata est, in qua qualiscunque qualitatis est excessus.

Illi, qui temperamentum moderatum in æqualitate quatuor qualitatum, quas primas vocant, consistere imaginantur, temperiem etiam omnem immoderatam ad illas reducunt, adeò ut sit vel calida, vel frigida, vel humida, vel sicca; vel etiam calida simul & humida, vel calida & sicca, vel frigida & humida, vel frigida & sicca. Quod non sufficere ex eo perspicuum est, quod mediocritas vel excessus multarum aliarum qualitatum in temperie esse possit, quodque facile contingere queat, ut, manentibus quatuor istis qualitatibus in eodem gradu, temperies corporis nihilominus immutetur; dum scilicet illud sit vel asperius, vel lævius, vel acrius, vel lenius, item rarius vel densius. Atque haec tenus de temperie.

Conformatio est dispositio, quâ sensibiles corporis naturalis partes ejus naturæ convenienter adaptantur.

Ea consistit in earum justâ quantitate, sive numero & magni-

*Tempera-  
menti diffe-  
rentia.*

*Temperies  
moderata :*

*Immod-  
erata.*

*He non  
consistunt  
in solo ca-  
lore, fri-  
gore, hu-  
miditate,  
siccitatem;  
sed in qui-  
busvis qua-  
litatibus.*

*Conforma-  
tio.*

magnitudine ; deinde in aptâ figuratione , secundùm cavitates & superficiem ; denique in constructione secundùm rectum situm & nexum. Atque hæc de generatione.

*Corruptio.* Corruptio est materiæ adaptatio in partes insensibiles , & interdum etiam sensibiles , secundùm situm , figuram , quantitatem , motum , & quietem , constitutioni rerum inconveniens.

*Cur unius generatio sit alterius corruptio ; & contra.* Quoniam autem conveniens uni adaptatio est alteri inconveniens , & contra ; ideo rectè unius generatio dicitur alterius corruptio ; & contra.

*& corruptio est prava conformatio , vel intemperies.*

*Putredo.* Inter intemperies excellit putrefactio sive putredo ; quæ est alteratio seu immutatio corporis naturalis lentè facta ; ut plurimum à partibus aqueis , aliisve aëri ambienti admistis , quæ , illius compositi poros permeantes , ejus particulas figurâ aut situ immutant , efficiuntque hoc pacto , ut qualitates ab iis , quas prius habebat , valde diversas acquirat , & quidem tales , ut ab iis natura nostra abhorreat. Hoc manifestum est in putredine carnis , & casei , aliorumque.

Huc etiam pertinent petrificatio , & exustio , aliæque similes rerum corruptelæ.

*Petrificatio.* Petrificatio fit , ubi in poros alicujus rei stabilis se insinuant particulæ quædam insensibiles lapideæ , iisque arctissimè uniuntur. Vel ubi poros alicujus corporis tenuissima corpuscula insinuata inter se tam arctè uniuntur & quiescent , ut lapideam naturam induant. Talis petrificatio fit , cùm in humano corpore calculus vesicæ vel renum ex alimentis nascitur.

## C A P V T VII.

*De Succis terrestribus , Argento vivo, Exhalationibus,  
& Meteoris.*

**Q** Vandoquidem autem infinita ferè sunt, quæ in hoc mundo ex vario motu, & quiete, item magnitudine, figura, & situ particularum formantur; infinitumque mens humana non capit: imò ex iis, quæ finita sunt, multa non assequitur; idcircò pleraque illa conabor explicare, quorum aliquam assequi notitiam humana potuit industria.

Corpora naturalia, quæ, præter jam commemorata, in Tellure generantur, aut fluxa sunt, aut stabilia.

Fluxa corpora sunt, quorum particulæ, non satis firmiter sibi mutuò connexæ, facile dissolvuntur. Talia sunt succi quidam terrestres, argentum vivum, exhalationes, & quæ, ex exhalationibus supra terram, in sublimiore aëre nata, meteora appellantur. *Corpora  
fluxa.*

Succi illi sunt liquores, in terræ penetralibus profundis, ex tenerioribus, sed crassiusculis tamen, Telluris superioris particulis, eò delapsis, & duriorum firmiterque sibi cohærentium terræ partium agitatione contusis & comminutis, ac inter se repentinibus conflati. *Succiter-  
refres.*

Illi sunt acres, vel oleaginosi.

Acres, quales sunt acidi & corrodentes, nascuntur ex particulis illis, sed solidioribus, quales sunt particulæ salis, quæ meatibus istis interceptæ, atque ibidem contundendo ex teretibus & rigidis planæ & flexiles redditæ; & deinde à calore inter se agitatæ, ac duris meatuum *Succi a-  
cres.*

A a paric-

*Oleaginosi.* Oleaginosi fiunt ex mollioribus particulis, quales sunt particulæ aquæ dulcis & similes , quæ ibidem ad tantam tenuitatem sunt comminutæ, ut motu primi elementi in multos minutissimos & maxime flexibiles ramoscuptæ , inter se , sibi mutuò incubentes , repant.


*Argentum vivum.* Argentum vivum est liquor valdè ponderosus & opacus , constans ex particulis crassis , teretibus , & lævibus , quæ quamvis ob gravitatem sibi mutuò incumbant, facile tamen à minutioribus globulis æthereis , & præcipue à primo elemento , angustissimos eorum poros percurrentibus , inter se agitantur.

*Tria Chymicorum principia.* Atque hæc tria pro tribus vulgatis Chymicorum principiis haberi possunt : sumendo succum acrem pro sale , succum oleaginosum pro sulphure , & argentum vivum , pro eorum Mercurio.

*Exhalationes.* Exhalationes sunt aquæ , terræ , vel alicujus terrestris succi particulæ , agitatione primi & secundi elementi expansæ & inter se volitantes.

*Vapores, fumi, spiritus.* Hæc , si ex aqua præcipue exhalent, vapores : si ex terra vel succis oleaginosis , fumi : si ex succis acribus & salibus volatilibus , spiritus appellantur.

*Varia exhalatio-  
num ex-  
pan-  
sio.* Quomodo exhalationes in spatium majus , quam quod liquores & alia corpora occupant , varie expandantur & inter se volitent , hic ex adjunctâ iconè facile colligitur , in qua latissimè eæ expanduntur , quæ circa



circa A & B in gyros sunt actæ ; minùs , quæ circa  
C D E F & G , magis vel minùs sunt complicatæ ,  
vel in longum extensæ , & rectâ in aliquam partem pro-  
pulsæ .

Quamvis exhalationes aëre multò sint graviores , ex Quomodo exhalatio-  
tamen agitatione elementi primi & secundi , terram per-  
currentis , radiisque solaribus terram verberantibus , è nes è terra  
terra ad altitudinem satis magnam attolluntur , codem attollan-  
modo ut pulvis arenæ , ambulationis vel percussionis vi  
agitatus , in aërem satis altè evehi solet . tur.

A vaporibus & fumis pinguibus , spiritibusque , qui Terra mo-  
profundissimis & spaciose cavernis copiosissimè in- tna :

clusi, ex aliquâ causâ, in uno vel pluribus distinctisque locis, vel simul, vel per vices, incenduntur, oritur terræ motus unus, vel pluribus vicibus reiteratus; qui, pro varietate suæ causæ, terram facit contremiscere, vel aperti, quo nonnunquam integræ urbes & regiones, vel eventuntur, vel absorbentur.

*Cur ardor quorundam montium tam diu duret.* Vix terræ motus, ex profundis cavernis sulphur, bitumen, aliæque materiæ ustiles, ad superiorem terræ superficiem, per vices sæpe attolluntur. Atque hinc incendia fiunt quorundam montium, per plurimos annos interdum ardentium, qualia observantur in monte Ætna, Vesuvio, Hæcla.

*Formatio salis in lamellas & cubos.* Dum vapores ex aquis salinis attolluntur, sæpe sal in superficie aquæ gignitur; quod est coacervatio particularum crassiorum aquæ, & ad motum ordinarium primi & secundi elementi inflexibilium, quæ ad superficiem aquæ sublatæ, quia sunt cylindricæ & satis parvæ, facilè illi innant, & paulatim, aliis accendentibus, in quadratam lamel-



lam P figurantur: quâ paulatim nonnihil subsidente, alia similis lamella super illa eodem modo gignitur; ex qua aliquoties multiplicata, tandem salis granum producitur, quod cubi figuram aliquomodo refert.

*Ventus.* A vaporibus, ex terrâ vel aquâ exhalantibus, sæpe oritur ventus; qui est vehemens aëris agitatio, ab exhalationibus sese dilatantibus, & in loca dilatationi suæ aptiora, seu ubi minora sunt obstacula, ruentibus, vel à nubibus subito delabentibus aëremque subjectum propellentibus orta.

*Vnde sint ventorum qualitates.* Ventus à locis, per quæ fertur, multum alterari solet, atque ideo, pro ratione regionis & plagæ unde venit, est calidus, frigidus, humidus, siccus, vel aliâ qualitate inde contractâ præditus.

Hic,

Hic, si vehementior fuerit , quamvis aëre , quem per-  
 currit , teste thermometro vitro , de quo antehac egi-  
 mus , non sit frigidior ; attamen majoris frigiditatis per-  
 ceptionem , quām aér tranquillus , in corpore nostro  
 excitat. Causam hujus rei in eo consistere existimo ,  
 quōd aér quietus , tantum exteriorem nostram cutim ,  
 quā interioribus nostris carnibus frigidior est , contin-  
 gat : Ventus verò , vehementius in corpus nostrum  
 aëtus , etiam in penetralia ejus adigatur ; cumque illa  
 cute nostrā sint calidiora , idcirco illa etiam majorem  
 frigiditatem ab ejus contactu percipiunt ; idque fere co-  
 dem modo , ut illi qui magis calent , majorem frigi-  
 diatem ex frigido aëre , quām ii , quibus est corpus frigi-  
 dius , percipere solent.

Ab iisdem oriuntur nubes & nebula , pluvia , nix , gran-  
 do , ros , pruina , manna , mel .

Nubes & Nebula sunt vapores , ab aëris frigore leviter  
 condensati , & in minimas guttulas , vel particulas oblon-  
 gas glaciales , quā ab aëre sustineri possunt , coacti vel ge-  
 lati ; luminisque transitum , innumeris suis distantioribus  
 superficiebus illud frequentissimè reflectendo & refrin-  
 gendo , impedientes .

Cùm enim in nube guttularum & glacialium par-  
 ticularum sint innumeræ superficies , & singulæ pro-  
 pter earum distantiam , qua à se mutuò sunt plusculum  
 diffitæ , aliquid luminis reflectant , vel ab oculis refrin-  
 gant , idcirco nubes , etiamsi ex meris aqueis constet  
 particulis , necessariò opaca evadit , quemadmodum idem  
 in vitro in pulverem contuso , & aquæ spumosæ bullulis ,  
 ob eandem superficierum multitudinem & distantiam ,  
 contingit .

Nubes & nebula tantum differunt loco : nam cùm  
 vapores , perspicuitatem perceptibiliter aëre mino-  
 rem

*Cur ven-  
 tus aëre  
 tranquillo  
 frigidior  
 sentiatur;  
 et si magis  
 illo non  
 frigeat.*

*Nubes &  
 Nebula.*

*Cur nubes  
 sint opaca.*

*Quomodo  
 nubes à  
 nebula  
 differat.*

rem acquirentes, ad terræ superficiem sese extendunt; nebula; si altius evectæ in aëre pendeant, nubes nominantur.

*Quomodo  
illa in aë-  
re susci-  
neantur.*

*Quomodo  
in mari  
spatio  
sæpe magna  
orientur  
procælla.*

*Cur nubes  
sepe con-  
trario fe-  
rantur  
motu.*

*Quomodo  
gignatur  
nubes ro-  
tunda, gla-  
cie tecta.*

*Pluvia.*

*Cur gutta  
pluviales  
sint rotun-  
da.*

Sustinentur nubes & nebula in aëre, vel ob exiguitatem, vel ob cohærentiam particularum, vel ob vapores copiosos ex terrâ sursum vel ad latus tendentes.

Subitus magnarum nubium descensus sæpe dat ingentes procællas, præsertim ubi mare est spacioſſimum: ibi enim ob copioſſimos ex mari perpetuò ascendentis vapores, maximæ & densissimæ subito à superveniente frigore gigni possunt nubes, quæ propter pondus suum delabentes, aëremque suo lapsu vehementiſſimè moventes, procællas illas gignunt.

Nubes ventorum sequuntur ductum. Si itaque in superiori aëris regione venti aliter ferantur, quam in inferiore, nubes eodem tempore contrariis moventur motibus.

Aliquando autem contingit, ut à ventis contrariis, inter se concurrentibus, multæ nubes inter se cogantur, atque ita magna gignatur nubes; quam si venti, ob spirandi lenitatem, non perrumpere vel diffingere, sed tantum circumire possint, nubes illa rotundatur; &, si ejus superficies in aquam soluta, & à frigore superveniente posteà congelata, glaciali crustâ contegatur, tum nascitur talis nubes, quæ à vaporibus copioſis, è terrâ exhalantibus, in sublimi sustentata, parheliorum, posteà explicandorum, imagines, sive plures Soles, interdum repræsentat.

Pluvia est vapor, in tantas guttas condensatus & coagmentatus, ut in aëre natare nequeunt, sua gravitate in aquam & terram decidant.

Formatur autem gutta, cùm materia subtilis particulas vaporum, quas ambit, non quidem extendere, & à se mu-


se mutuò disjicere ; attamen plicare , & consequenter cum vicinis conjungere , & in globulos accumulare vallet. Globuli autem isti guttarum , evadunt in superficie lœves & rotundi , quia particulæ aëris , quæ illos ambiunt , aliter , quâm particulæ globulorum , mōventur : item quia materia subtilis , quæ in globulis continetur , aliter mōvetur , quâm quæ foris in aëre , difficiliorem motum ipsi exhibente , existit , eodem ferè modo ut aqua profluens , ubi ejus cursus rectus ab aliquo impeditur obstaculo , in circulos figuratur. Itaque ad guttas è vaporibus formandas requiruntur duo ; nempè frigus & sufficiens vaporum vicinitas.

Guttulæ pluviales jam formatæ , si à ventis , in illas Quomodo  
gignantur  
lamella vehementius impingentibus , complanentur , & à frigore superveniente postea congelentur , fiunt lamellæ glaciales , in medio quâm in extremis crassiores.

Nix est nubes è glacialibus particulis constans , quæ Nix. à superveniente calore condensata , & in partes disrupta , partiumque multarum , ex lapsu vel ob ventos coeuntium , unione , in floccos albos congregata , in terram descendit.

Hi flocci , antequam terram attingunt , varias in aë- Quomodo  
gignatur  
nix pilosa ,  
liliacea ,  
rosea , &  
stellata. re agitationes , ac caloris & frigoris vicissitudines , & hinc diversas flexiones & positiones possunt subire , atque inde varias figuræ , ut hexagoni , stellulæ , liliæ ; rosæ , aliasque contrahere .

Dum enim glaciales illæ flocculorum particulæ à calore densatae , & deinde à frigore rursus gelatae , in aëre circum centrum suum rotantur , tum illæ à glacialibus quibusdam & extensis particulis , illas contingentibus , tanquam pilis in orbem vestiuntur , & producitur nix pilosa M Z. Si his radiis alii transversi ad latus addantur , nascitur nix liliis ornata R. Si radii isti nivales , postea à calo-




calore flexi & extremitatibus suis conjuncti , rursus congelentur , oritur nix rosea Q. Si singulis parvis guttis aliae sex guttulæ , iis æquales , ex motu in aëre superiore circumponantur , dumque ex congelantur ; singulis earum singuli adnascantur pili vel denticuli , fit nix stellata O.

*Quomodo  
janua  
cellarum  
& fe-  
nestra vi-  
treæ hiber-  
no tempore  
variis ima-  
ginibus ni-  
vosis in-  
crustentur.*

*Ex his in-  
notescit  
stirpium &  
animalium  
generatio  
& confor-  
matio.*

Ne quis verò hæc ita dici miretur , inspiciantur , si placet , quotidiè in locis frigidioribus , tempore gelido , cellarum penuariarum januæ asseritiæ , clavis ferreis in quibusdam partibus transfixæ ; & observabuntur in superficie earum , per vorticolum aëris , vapores è cellis in earum ingressu ad januas aliosque vicinos asperes impellantis , varium motum , paulatim nasci , non tantum crustam nivosam , sed januas illas etiam admirandis florum , foliorum , caulinum , lamellarum , aliarumque stirpium partium figuris sensim ornari , quales ego domi meæ sàpè observatas , hîc in addita imagine A B C D ex. gr. , ostendo , ut inde non tantum jam explicata figuratio nivis , sed etiam stupenda haec tenus stirpium & animalium conformatio & generatio , per particularum motum & figuras posteà explicandæ aliquam lucem accipient . Similes nivosæ imagines sive figuræ in interiore fenestrarum vitrearum superficie ,



ficie , ex simili causâ , hiberno tempore , cum aër est gelidus , sæpe gignuntur .

Albedo nivis oritur ex certa ejus particularum positio-  
ne ; ut ex vitro vel glacie , albedinem per solam partium  
contusionem acquirente , videtur esse manifestum .

*Vnde fit  
albedo ni-  
vis.*

Nivis flocci , antequam terram propriùs accedant , si à calore in guttas condensentur , pluviam exhibent : si verò

B b

am-

*Grando.*

amplius à calore densati , vel in guttas per frigus postea superveniens coacti , congelentur , grandinem constituant : si vapores prope terram à nocturno frigore in guttas condensentur , in terram incidentes rorem exhibit : si verò hi prope terram à nocturno frigore congelentur & in terram decadant , fiunt pruina.

*Ros.*

*Pruina.* amplius à calore densati , vel in guttas per frigus postea superveniens coacti , congelentur , grandinem constituant : si vapores prope terram à nocturno frigore in guttas condensentur , in terram incidentes rorem exhibit : si verò hi prope terram à nocturno frigore congelentur & in terram decadant , fiunt pruina.

*Pruina.**Manna**mel.**Cur ea cer-**tis corpori-**bis adha-**reant.**Meteora**ignita;*

Sunt etiam fumi mellei & aliorum saporum ac naturæ , qui è terra à calore attolluntur . Hi certis corporibus ob figuræ suas adhærentes , manna , mel , & alia similia lignunt.

Atque hæc sunt meteora aquæ , præter quæ etiam in sublimi generantur ignita ; quæ sunt fumi , violentâ aëris agitatione à vaporibus , quia longius , ob majorem suam partium mobilitatem , in nubes possunt propelli , separati & accensi.

Ignitum meteorum est vel simplicius ; vel magis mixtum.

*Simplicia.*

Simplex meteorum ignitum est , cuius fumus est simplicior & purior . Talia sunt splendor nocturnus , scintilla volans , stella cadens , ignis fatuus .

*Splendor**nocturnus.*

Splendor nocturnus , est fumus continuus , rarissimus , ac tenuis , in summo aëre accensus .

*Scintilla**volans.*

Scintilla volans est fumus , in plures partes dispersus , singulis seorsum inflammatis .

*Stella ca-**dens.*

Stella cadens est fumus mediocriter compactus , versus inferiora in longum diffusus , qui in superiori parte flammatum concipit , eamque secundum longitudinem dimitit , eodem modo ut fumus , à candelâ recens extinctâ in flammatum alterius candelæ ascendens , incenditur ; & per longitudinem furni descendens , tandem ad candelam extinctam pervenit .

*Ignis fa-*

tuus.

Ignis fatuus est fumus , prope terram vel in navibus incensus , candelæ instar flammantis oblongior .


Hic

Hic ventis agitatus decliviora loca , propter crassitatem  
suarum partium , petit.

Si ille unus fuerit , vocatur Helena , & infelix nautis Quando  
putatur : sin geminus , Castoris & Pollucis nomine ap- vocetur  
pellatur . Sæpe etiam est magis multiplex . Castor &  
Pollux .

Meteora ignita magis mixta sunt , quorum fumus , ob admixtionem partium nitrosoarum & sulphurearum , magis est heterogeneus . Meteora  
ignita com-  
posita .

Eiusmodi ignitum meteorum est fulmen : quod est fu- fulmen.  
mus nitrosus , sulphureus , nubibus superioribus A , magno impetu in inferiores B delabentibus , & extremitatibus suis C & D , propter aërem pressum , ibi ob brevitatem viæ , facilius egredientem , versus inferiores B concur-



rentibus , interceptus & conclusus , qui agitatione vehe-  
menti à vaporibus separatus , & subito , propter maximam

B b 2 suarum

fuarum partium volatilitatem & raritatem, instar pulveris pyri incensus, magno fragore ex earum cavitate E, per hiatum G vel F, erumpit.

*E quâ parte nubium fulmen erumpat. Et cur turres montes & celsas arbores feriant.*

Eruptio fulminis ex eâ nubium parte potissimum fit ; quæ cæteris est debilior, vel ob majorem occurrentis corporis duri vel acuminati, ut ex. gr. turris H vel F, vel aliquius arboris, vel montis, vel scopuli resistentiam, in quem nubes illæ feruntur, facilius diffringitur ; tumque in illa occurrentia corpora vim suam sœpe quam vehementissime exercet.

Hujus adjuncta sunt duo ; tonitru & fulgur.

*Tonitru.*

Tonitru est sonus, à nubibus in se mutuò impetuose delabentibus, itemque à fumo in iis incenso nubemque diffumpente, natus.

*Fulgur.*

Fulgur est flamma, à sumis accensis, è nube erumpentibus, orta.

*Cur tonitru, quod fulgure est prius, postea tamen audiatur.*

Tonitru est prius fulgure, quia lapsus & diffractione nubium est sumorum accensione prior.

Hoc quamvis tonitru sit posterius, prius tamen apparet ; eo quod visus fiat motu globulorum æthereorum, radios constituentium ; qui cum sint solidi, non confidunt : auditus verò fit motu aëris, cuius particulæ ramosæ & flexiles in se flectuntur ; unde hic visu est tardior.

*Diversitas fulminum.*

Fulmen, pro ratione tenuitatis vel crassitiei sui fumi, est vel subtilius, vel crassius : itemque penetrans, discutens, diffringens, vel urens.

*Quomodo fiat lapis cum fulmine ejestus.*

Cum fulmine nonnunquam lapis solidissimus, ex fuliginosis, glutinosis & terrestribus ejus partibus, conglutinatur ; qui unâ ejactus durissima etiam confringit corpora.

## C A P V T . VIII.

## De Parheliis , Parafelene , Halone , &amp; Iride.


**I**N nubibus porrò , & pluviis , ac lamellis glacialibus , diversimodè à Sole vel Luna illustratis , variæ efforman- tur imagines ; quales sunt parhelia , halones , irides , &c.

Parhelia sunt imagines Solis , in oppositâ nube nivo- *Parhelia.*  
sâ , rotundâ , & glacie tectâ , à radiis Solis , in crustâ gla-  
ciali refractis vel reflexis , expressâ .

Parhelia sâpe duo , & interdum plura conspiciuntur : ita ex. gr. si fuerit nubes ma-  
gna rotunda , nivosa , glacie  
tecta D E F G C I , & Sol , sa-  
tis altè ad meridiem sublatus ,  
radios suos ex A in illam mit-  
tat ; atque oculus spectatoris  
sit sub K : primùm hic appa-  
rebit circulus albus ex radiis ,  
è toto nubis nivosæ circuitu  
leviter reflexis . Et deinde ap-  
parebunt Soles sex , quorum  
primus & præcipuus videbi-  
tur in E , per radios Solis di-  
rectos ; secundus & tertius in  
D & F , per radios refractos ;  
quartus ex C , per radios directè reflexos ; quintus & sex-  
tus in G & I , per radios ad angulos æquales repercu-  
fos , conspiciuntur .

Si autem nubes illa non fuerit integra , sed alicubi fuerit aperta , vel oculus spectatoris circa B vel C situs , ut talis & tam copiosa refractio & reflexio radiorum ad


*Quomodo  
sex parhe-  
lia ;*



ipsum pervenire non possit, pauciores Solis imagines, & circuli segmentum, tantum poterunt videri.

*Parafelene.* Idolon simile si appareat sub Lunâ, parafelene vocatur.

*Halo.* Halones sunt circuli versicolores, præcipue circum Solem vel Lunam A B C, in congerie stellarum vel



lamellarum glacialium, in medio quām in extremo paucō crassiorum G E F, è radiis luminarium, suprà congeriem illam existentium, ad oculum spectatoris D refractis, generati.


*Quod halo  
fiat ex*

*Quod halones fiant ex refractione radiorum, in stellulam lumine re- lis vel lamellis glacialibus, non autem in pluviæ guttis fracto in lamellis factâ, inde patet: quod halones semper citra ullam fiant glacialibus.* plu-

pluviam, nec ulla alia talis refractionis suppetere videatur causa.

Ex his, quæ de parheliis & halone jam diximus, facile intelligitur meteorum hoc G K L V M N I F , anno 1629,

*Explicatio  
parheli-  
rum &  
halonum,  
qua anno  
1629 Ro-  
ma sunt  
vista.*




die 29 Martii, hora 2 & 3 pomeridiana, Romæ, secundūm lineam verticalem A E B , visum. Sunt enim in eo duo halones G K N I , & D E F , Solem C circumcingentes , sed unā parte circa D & F , propter stellulas glaciales ibi deficientes , aperti : adeſtque præterea circulus albus K L V M N E , cui insunt quinque parhelia si- ve Solis imagines K L M N C . Præcipua Solis imago ibi est in C : imago Solis , in N apparens , est caudata, quia   
glacies

glacies nubis, cā parte aspera vel timosā, ibi caudæ imaginem offert.

Iris.

Iris est arcus rubedine, flavedine, virore, aliisque coloribus varius, qui excitatur in pluviae guttis à Sole illustratis, cujus radii, in guttis illis V X Y R S T G refr-



cti, sub angulo D E M 42, vel K E M 52 graduum & paulò minori, ad oculum spectatoris E reflectuntur, quoglobuli ætherei, radios istos constituentes, variam processus & circumvolutionis proportionem acquirunt omnium,

omniumque istorum colorum perceptionem adspiciens  
tibus exhibent.

Iris aliquando videtur una, aliquando gemina, qua-  
rum una alteram cingit.

*Vnde una,  
vel gemina  
iris.*

Cùm gemina conspicitur iris, interior videtur per ra-  
dios, ad angulum 42 graduum, exterior per radios, ad  
angulum 52 graduum, refractos.

Quod iris excitetur in pluviae guttis, constat ex eo, *Ratio pro-*  
quòd ea nunquam in cælo sine pluvia oriatur; & deinde, *ductionis*  
quod iridis imago semper excitetur, ubi aqua jactu vel  
alio vehementiori motu in copiosas guttas in aëre diffin-  
gitur, radiique Solis iis excepti, & debitè refracti & re-  
flexi, ad spectatoris oculos perveniunt.

Requiri autem in ea refractionem sub angulo præter-  
propter 42 vel 52 graduum, patet ex vitro rotundo  
aquâ repleto B I C H D G K, guttam hic repræsentan-  
te, quod iridis colores, per refractionem & reflexionem  
radiorum Solis, ex A & F venientium, in illo situ, sub  
angulo K E M & D E M, spectatori in E, & extra il-  
lum nunquam, eos offert.

Atque ex his intelligimus, si quis retrocedat, vel ad  
aliquot paſſus procedat, aliam atque aliam iridem neces-  
fariò conspici: dum scilicet in aliis guttis illæ, sub justo  
refractionis angulo, repræsentantur, qui in prioribus gut-  
tis per processum auctus, vel retrocessum imminutus, ean-  
dem iridem amplius videri non patitur.

Quomodo verò radii refracti vel reflexi, varios colo-  
res producere queant, infra in doctrinâ de visu demon-  
strabitur: atque inde nubium colores quoque innoce-  
scunt.

*Quod ad  
iridis exhibi-  
tionem  
requiratur  
refrac-  
tio  
luminis 42  
vel 52 gra-  
duum.*

*In processu  
& recessu  
spectatoris  
alia atque  
alia conspi-  
citur iris.*

*Quomodo  
ex refle-  
xione &  
refractione  
luminis  
variis pro-  
ducantur  
colores  
docebuntur  
in doctrinâ  
de visu.*

## C A P V T I X.

*De Fossilibus.**Corpora  
stabilia.*

**A**TQUE HÆC DE CORPORIBUS FLUXIS DICTA SINT.  
Corpora magis stabilia sunt, quorum particulæ, firmius connexæ, difficilius dissolvuntur. Suntque vitæ expertia, vel viva.

*Arena.*

Vitæ expertia sunt vel superficialia, vel fossilia.

Superficialia sunt varia terrarum genera: ut arena, argilla, marga, &c.

Arena est congeries multorum minutissimorum lapillorum, ex majorum lapillorum in minutissima fragmen-  
ta comminutione, vel ex terrestrium partium firmâ u-  
nione, vel ex earum cum acribus succis concretione,  
producta.

*Argilla.*

Argilla est terra pinguis, quæ constat ex terræ partibus,  
quibus ramosæ quædam particulæ, ex exhalationum &  
spirituum coniunctione natæ, sunt conjunctæ.

*Marga.*

Hæc, si spissior vel densior fuerit, marga dicitur.

Fossilia sunt, quæ effodiuntur è terræ penetralibus.  
Suntque vel molliora, vel duriora.

*Terra pre-  
tiosa.*

Molliora sunt, terræ preciosæ; ut terra Lemnia, bolus  
Armenus, & similes, quæ super terram arabilem & vul-  
garem peculiares virès habent.

Duriora fossilia sunt succi concreti, metalla, corpora  
quædam metallica, lapides.

*Succus con-  
cretus.*

Succus concretus est corpus fossile, quod ex succis  
acribus vel oleaginosis, crassiori materiae terreæ admix-  
tis, concrevit, & aquæ vel oleo impositum facile dis-  
solvitur.

Succi acres cum materiâ metallicâ concrecentes, vi-  
triolum; cum lapideâ, alumen, & alia talia acria, qualia  
sunt

sunt sandaracha , auripigmentum , ærugo , ferrugo : succi verò acres & oleaginosi metallicis quibusdam partibus admisti , sulphur : & succi oleaginosi aliis terrestribus partibus adhærentes , bitumen , & alia omnia pinguia sive oleaginea , quæ è terris effodiuntur , constituunt.

Ad succos concretos etiam referri possunt omnium salum fossilium genera, ut nitrum, sal armoniacum, sal gemmæ , &c. quorum omnium natura in eo consistit , quod constent particulis oblongis & duris : quod ex eo est manifestum , quod ea omnia sint acria , & instar aciculatum pungant.

Metallum est corpus fossile durum , quod malleo duci & igne fundi potest , & postquam à fusione refrigeratum fuerit , pristinam formam ac naturam recuperat.

Cùm metalla omnium corporum terrestrium sint solidissima , atque idcò ex conjunctione partium terræ superioris , quæ moliores sunt , produci non possint , idcircò verosimile videtur , omnia metalla in tam profundis terræ penetralibus , ad quæ humanus labor , propter occurrentes aquas , pervenire non possit , esse abscondita ; eorum verò nonnullas partes ab acribus quibusdam succis cò delatis , corredi , & ab aliis disjungi , quæ deinde , partibus oleaginosis , in terrâ existentibus , involutæ , facile ab argento vivo , calore rarefacto , ac vi spirituum & exhalationum ex interiore terra in exteriorem rapiuntur , & pro diversis suis figuris & magnitudinibus , diversa metalla constituunt. Cùm autem hæ nondum satis innouerint , idcircò natura metallorum haec tenus satis exactè describi non potuit.

Radios autem Solis multùm ad evetionem metallorum , ex terræ penetralibus facere , docet experientia , quæ testatur metalla in montium orientalibus & occidentalibus partibus , quæ magis à Solis radiis verberantur , co-

*Metalla  
esse in ter-  
ræ pen-  
tralibus.*

*Quomodo  
illa ad su-  
periorem  
terram  
perveniant.*

*Cur metal-  
lorum co-  
gnitio ha-  
c tenus sic  
imperfecta.*

*Quod ra-  
diis Solis  
multum ad  
metallo-  
rum eve-  
tationem fa-  
ciant.*

piosa invehit; nulla verò vel pauca in septentrionalibus, vel australibus, propterea quod hæ à radiis solaribus non ita incalescant.

*Metallo-  
rum spe-  
cieis.* Metallum est preciosius, ut aurum & argentum: vel vi-  
lius, ut æs, stannum, ferrum, plumbum.

*Aurum pu-  
rum nullis  
ignibus vel  
aquis for-  
tibus essen-  
tialiter mu-  
tari potest.* Aurum po-  
tabile sem-  
per reduci  
potest.  
*Ratio pra-  
cipitationis  
metallo-  
rum per  
calcem tar-  
tari.* Aurum si purum & sincerum fuerit, ejus partes tam  
firmæ & solidæ sunt consistentiæ, ut nullis ignibus vel a-  
quis fortibus unquam absumatur, vel essentialiter immu-  
tetur; sed semper in pristinum statum restitui possit.

Vanum itaque est, quod multi de auro potabili, quod  
reduci non possit, fabulantur.

Mercurius, & omnia metalla in aquis fortibus soluta,  
in iisque, propter parvitatem dissolutarum particularum,  
& vehementem aquarum istarum motum, volitantia, ad-  
miniculo salis vel calcis tartari injectæ, sub specie pulve-  
ris ad fundum præcipitantur; quia sal vel calx tartari ha-  
bet particulas ita conformatas, ut vi ebullitionis, quam  
excitat, præcipuos spiritus ex aqua forti expellat; & de-  
inde, ut metallorum particulis & aliis salibus, in aquâ  
forti existentibus, facilè adhæreat, & multas inter se con-  
jungat, quo illæ graviores factæ, & minus fortiter motæ,  
quam ut à liquore isto possint sustineri, necessariò ad  
fundum subsidunt.

*Cur argen-  
tum in a-  
qua forti  
dissolutum  
ari injecto  
adhæreat.*

*Ferrum ex  
affriktione  
vitrioli*

*non muta-  
tur in æs.*

*Cur fer-  
rum pre-  
cateris cor-*

Argentum, aquâ forti dissolutum, lamellis æneis in  
eam injectis, & æs, quod est in vitriolo, ferramentis  
eo perfictis adhærere solet; quia æris pori sunt tales, ut  
iis argenti dissoluti particulæ, & ferri meatus ita sunt adaptati, ut æris partes, quæ sunt in vitriolo, iis facilè se in-  
sinuent & adhærescant. Nequaquam itaque ferrum ex vi-  
trioli affriktione in æs commutatur.

Ferrum, quia natum est ex crassis, ramosis & justè so-  
lidis particulis, quæ in interiore terræ regione, à striata  
materiâ primi elementi, illam percurrente, tales poros  
& mea-

& meatus fibrillasque in illis ita conformatas sunt ade-  
ptæ , ut ipsa à diversis terra polis diversa veniens , vehe-  
mentius per illos possit moveri , fibrillasque in meatibus  
ferri existentes aliter atque aliter disponere queat , utque  
illæ particulæ in superiorem terram delatae nonnihil qui-  
dem sint immutatae , non tamen omnino vitiatae : hinc il-  
lud à magnete & aliis corporibus magneticis , per quæ &  
ex quibus striata illa materia vehementius fertur , diversi-  
modè , ope istius materiæ , poros ferri plures aperientis ,  
vel fibrillas meatuum aliter atque aliter disponentis , pot-  
est dirigi & moveri , viresque in illis majores vel minores  
magneticæ , item aliæ atque aliæ in eo possunt excitari . In  
reliquis autem metallis aliisque superioris terræ partibus ,  
cùm particulæ sint magis vel minus solidæ , materia stria-  
ta ea quidem transire , non autem in iis tam admirandas ,  
ut in ferro , producere potest actiones .

Corpora metallica sunt ejusmodi corpora , quæ metal-  
lorum instar fusa , suam à fusione naturam servant , &  
cum aliis quibusdam metallis in unam massam fusione  
jungi possunt , ut antimonium , bismutum .

Lapis est corpus fossile , insigniter durum , quod mal-  
leo friari , non autem ab aquâ vel oleo subigi aut dissol-  
vi , nisi longissimo temporis traetu , potest ; ab igne ve-  
rò vehementiori dissolutum , in calcem vel vitrum con-  
vertitur .

Lapides generantur , cùm vapores , exhalationes , vel  
spiritus , meatibus terræ intercepti , arctiusque & firmius  
cohærentes , sufficientem duritatem contrahunt .

Lapides alii sunt diaphani , alii opaci .

Diaphani fiunt , cùm vapores , exhalationes , vel spi-  
ritus , in rimis vel cavitatibus terræ in succos primùm col-  
lecti , maximè lubricis & fluidis illorum particulis deinde  
abeuntibus , paulatim sibi mutuò ita adhærescant , ut

globuli ætherei, ad luminis actionem transferendam, un-  
dique per eorum poros possint transfire.

Lapides diaphani, sunt vel preciosi, ut adamas, rubi-  
nus, & aliæ plurimæ gemmæ: vel viles, ut ii qui fluores  
appellantur, quia ignis calore, ut glacies vi Solis, lique-  
scunt & fluunt.

*Quomodo  
opaci.*

Lapides opaci fiunt, cum vapores, exhalationes, vel  
spiritus, in angustis terræ meatibus intercepti, hærent,  
terræque particulis ita permiscentur, ut multis in locis  
pori, ad lumen transferendum, non sint pervii.

Opacus, vel est vario colore præditus, ac in extimâ  
superficie per se pulchrè nitet, ut unio, agathes: vel  
politus tantum splendet, ut variæ marmorum species:  
vel vilior est, nec colore, nec splendore commendabilis,  
ut faxa, quæ ædificiorum materiam suppeditant.

## C A P V T X.

### *De Magnete.*


*Magnes.*

**I**NTER omnes lapides, tam opacos, quam alios, viribus  
præcellit magnes; quæ ut rectè intelligantur, ante o-  
mnia partium ejus constitutio, unde ex profluunt, expli-  
canda venit.

*Ejus dispo-  
sitio ad o-  
perationes  
suas pera-  
gendas.*

Is itaque constat plurimis particulis ramosis & crassis,  
nec tamen, ad transitum impediendum, nimis solidis;  
quæ ab interiore terrâ, maximam partem magneticâ, in  
superiore evectæ, dum cum reliquâ ejus materiâ misce-  
bantur, à geminâ & diversimodè contortâ materiâ stria-  
tâ, terram à septentrione in austrum, & ab austro in se-  
ptentrionem circa ejus polos perpetuâ ingrediente, &c,  
post vorticem in superiore terrâ factum, eam rufus trans-  
eunte, de qua antehac egimus, ita fuerunt dispositæ, ut  
ea utrimque per totam magnetis substantiam, parallelos  
quidem

quidem præterpropter, sed diversos tamen meatus, diversasque fibrillas tenuissimas in iis eminentes, & diversimodè inclinatas, atque ad figuram & transitum suum aptissimè conformatas, diutinâque morâ bene confirmatas, perpetuò inveniens, celerrimè per ejus substantiam feratur: ipsum verò per poros circa A vel B egressa, quia



per aërem, aquam & reliquam Tellurem satis commodè moveri non potest, resilit, vorticemque utrumque in contrarium, ab australi parte, A, per C & D, versus borea-

borealem B , & ex boreali parte B , per C & D , versus australem A , circum illum ad certam distantiam faciat , & corpora magnetica I K L M N , intra sphæram activitatis magneticæ occurrentia , diversimodè afficiat , in eumque redeat , & ex eo deinde cum vortice rursus egreditur ; atque ita perpetuo ingressu & egressu circulum circum eum & in eo faciat .

*Qua sint  
corpora  
magnetica.*

Magnetica corpora sunt , quæ naturam magnetis , vel ferri habentia , striatae materiæ liberiorem transiitum præbent , nonnullasque actiones , magneti convenientes , edunt . Talia sunt magnes , ferrum , argilla , minera ferri , lateres fistiles cocti , &c.

*sphæra a-  
ctivitatis  
magnetica.*

Sphæra activitatis magneticæ est circuitus ille , intra quem striata materia , vorticem faciens , magnetica corpora afficere potest .

Partes in magnete , præcipue in globo , maximè observandæ , sunt poli , axis , & æquator .

*Polus ma-  
gneti;*

Polus est medium punctum partis magnetis A vel B , in qua sunt orificia meatuum , per quæ striata materia perpetuò ingreditur & egreditur . Estque australis , & borealis .


*Australis :*

Australis polus est in eâ parte , per quam particulae striatae , venientes ab australi cœli parte E , ingrediuntur .

*Borealis .*

Borealis est in ea parte magnetis , in qua sunt orificia meatuum , quæ striatae materiæ , à boreali cœli parte F venienti , ingressum præbent .

*Quonodo  
bi poli por-  
rò fint de-  
signandi.*



Facilioris autem intelligentiae causâ , post hac australem magnetis partem , designabimus per inscripti versorii crucem A ; borealem vero , per versorii cuspidem B .

Partes

*Cur partes  
magnetis,  
polis vici-  
niiores, for-  
tiores emit-  
tant exspi-  
rations  
magneti-  
cas.*

*Axis ma-  
gnetis.*

*Aequator  
magnetis.*


*Tres sunt  
magneticæ  
operationes.*

Partes magnetis, quò viciniores sunt polis, tantò fortiores emittunt exspirationes; quia illæ per longiores sunt propulsæ meatus magneticos: quò verò illæ à polis sunt remotiores, tantò imbecilliores exspirant exhalationes; idque ob contrarias causas.

Axis magnetis est linea A B, in medio magnete recta, ab uno polo ad alterum ducta.

Aequator magnetis est linea C D, in magnete media; quæ, perpendiculariter per axem A B ducta, ipsum in duas partes æquales dividit.

Operationes magneticæ tres sunt; directio, coniunctio, & excitatio.



Directio est operatio magnetica, qua corpus magnetum A, vi exspirationis C C vel D D, è corpore alio magentico movente B exhalantis, & certo modo fluentis, vorticemque facientis, versus polos ejus dirigitur.

In hac directione polus australis corporis movendi A, dirigitur ad polum borealem moventis B, & borealis ad australem: ut hic in additâ imagine appareret.


Atque hoc verum est, non tantum in integris magneti-

*Directio  
magnetica.*

*Cur polus  
corporis  
magneticæ  
borealis  
converta-  
tur ad po-  
lum alte-*


D d bus

*rius magnetis australis; & contra.*




tuò separatis ; cùm illa tum integrorum magnetum rationem habeant.

Hujus rei ratio in eo consistit , quòd exspiratio , ex au-



stralí parte A magnetici moyentis i , exhalans , cùm antea

antea per borealem magnetis partem sit ingressa, particulas suas ita habeat intortas, ut non possit ingredi, nisi per partem borealem B magnetici movendi 2; & contra ex boreali C egrediens, cum ea antea per australem magnetis partem sit ingressa, particulas suas ita habeat inflexas, ut ea non possit intrare, nisi per australem D: atque hinc po-



li boreales C C, in figurâ 3 4, rejiciunt se mutuò, quando sunt conjuncti, & in situm convenientem D B C A, figuræ prioris 1 2, se mutuò constituunt. Idem faciunt australes D D, quandocunque illi conjunguntur. Nam exhalatio magnetica impingens in magnetici movendi poros, quos ingredi non potest, eos suo impulsu à se avertit, alterosque ad se appellit.


Directio magnetica, est simplex, vel composita.

Simplex est, cum corpus magneticum movendum simpliciter à corpore magentico movente, versus aliquem *Directio magnetica simplex;*  
polum dirigitur.

Eaque est vel recta, vel inclinata.


Recta fit in polis A B, & æquatore C D magnetici *Recta.*

D d 2 moven.



*Inclinata.* moventis. Inclinata fit extra illas lineas: ut ex. gr. in E F G H I K L M N O.

*Vnde oriantur directio recta in polis* fit, oritur à magneticarum expirationum uno influxu æquali & recto A A', in unam polis.



partem B B', & altero inclinato æqualique influxu C C', in alteram magnetici movendi partem D D', fluentium.

Recta

Vnde oria-  
tur directio  
recta in a-  
quatore.

Recta autem , quæ fit in æquatore , proficiscitur ab inclinato & æquali magnetarum exspirationum A B influxu , in utramque magnetici movendi partem C D sese ferentium.

Directio inclinata fit ab inæquali & inclinato magnetarum exspiratio- num A B , in utramque partem magnetici movendi circa ejus polum , influxu .


Inclinatio autem fit maximè in illam partem , à qua venit exspiratio , quæ minimum iter facit : qualis hīc est exhalatio A , quæ breviorem circuitus viam percurrit quam exspiratio B , atque ideo hac in movendo est fortior .

Ex hac rectâ & inclinatâ corporis magnetici , circum magneticum movens , intra sphærā activitatis , circumlati , directione , oritur quædam magnetici corporis movendi circulatio ; quæ ad oculum videri potest , cum pixis magnetica circum magnetem in orbem circumfertur .


Ope directionis hujus simplicis cognosci volunt gradus

D d 3

Quomodo  
ope dire-  
rectionis  
latitu-




Vnde oria-  
tur directio  
inclinata.



Et cur ea  
modo in  
hanc par-  
tem fiat , &  
modo in  
aliā.  
Circulatio  
magnetica.

*simplicis  
quidam  
velint co-  
gnosci gra-  
duis latitu-  
dinis Tel-  
luris.*

latitudinis Telluris, utpote maximi magnetis; cum in diversis Telluris partibus diversa fiat corporis magnetici movendi A vel B recte adaptati versus Tellurem dire-




ctio: recta scilicet in polis & æquatore; inclinata verò extra illos, qualis h̄c in figurâ A & B designatur.

*Direc̄io  
composita,  
qua sit à  
duabus vi-  
ribus ma-  
gneticis.*

Composita directio est, cum à composita vi magnetica cum movendum dirigitur.

Quæ fit vel à duabus viribus magneticis, vel à vi magnetica & gravitate simul.



*Direc̄io  
composita, à  
viribus ma-  
gneticis solis  
fit, cum ma-  
gneticum mo-  
vendum X, à  
variis magne-  
ticis moventi-  
bus, exempli-  
grat. Y, Z,  
non exacte  
versus hujus  
vel*

vel istius moventis polos; sed medio quodam modo dirigitur.


Talis apparet, ubi nautæ cum versorio in Oceano accedunt ad littora Africæ & Brasiliæ: vel ubi cum versorio propriùs accedimus ad montem, vel aliud corpus magneticum, quo acus magnetica nonnihil à polis Telluris declinat.

Hæc directio à Gilberto variatio magnetica appellatur.

Talis etiam apparet, ubi lamina ferrea D C D, ma-

Vnde oritur varia-  
tio directio-  
nis magne-  
tica circa  
diversa lit-  
tora &  
montes.

Directionis  
variatio,  
qua sit ab  
interpositâ  
laminâ  
ferri.




ghetis A B, polo B adhibita, facit ut cuspis E acus magneticae E F, non dirigatur ad polum magnetis B; sed inclinet versus extremitatem laminæ ferreæ D, per quam exspiratio ex polo lapidis veniens, ita dirigitur, quia per totam laminæ longitudinem ex C in D faciliorum inventit viam, quam per parvam ejus crassitatem C: quod postea magis innotescet.

Directio composita à vi magnetica & vi gravitatis fit, cum à magnetico corpore aliud corpus magneticum horizonti, etiam extra æquatorem Telluris, ob gravitatem ejus, parallelum, unâ eaque certâ parte versus septentri-  
nem, alterâ versus austrum, dirigatur.

Directio  
composita,  
qua sit à  
vi magne-  
tica & à  
vi gravi-  
tatis.


Talis



Talis apparet in versorio A B, quo nautæ communiter utuntur. Hæc etiam observatur in acu extenui filo pendente, ubi magnes paulò ab ipso remotius ipsi admovetur. Atque hæc de directione.

*Coniunctio  
magneticæ.  
Et unde  
ea fit.*

Coniunctio magneticorum corporum fit, cum corpus magneticum ab exhalatione magneticâ, egrediente e magnete quod movet, bene directum, ad corpus magneticum movens appellatur, vi exspirationis magneticæ unius A, quæ intermedium aërem, inter utrumque corpus magneticum B & C existentem, abigit, atque ejus



abadi ope corpora magneticæ, quantum potest compellit; & alterius D & E, quæ vorticem ex F in G per circuitum D & E faciens, post magneticum appellendum circa C & G ingreditur, illudque versus magneticum movens B appellit.


*Quando  
hic fiat  
magneti  
navendi  
circulatio.*

In hac coniunctione, dum fit directio, si magneticum movendum non bene fuerit situm, fit sæpe integræ magne-

magnetici movendi circulatio: uti ex ante dictis patet.

Quo autem magnetica corpora, per hanc conjunctio-  
nem unita, in pluribus partibus magneticis mundis seu  
puris, se mutuo quasi immediate contingunt, tanto fa-  
cilius disjiciunt illa aërem intermedium, firmiusque inter  
se cohærent. Cur mag-  
netes arma-  
tus non ar-  
mato sit  
fortior.

Atque hinc contingit, ut magnes ferro armatus A,  
pondus multò majus B & C sustineat, quam idem non



armatus. Armatura enim magnetis ferrea D E, quā alia  
ferramenta, quasi immediate armaturae ferreæ adhibita, su-  
stinentur, habet partes magneticas ab immundicie ter-  
restri & heterogenea depuratas: atque ideo copiosiores  
& densiores ibi sunt pori, per quos exhalatio magneti-

E c ca

ca densius transiens , vehementius aërem , intercurrere conantem , disspellit ; atque ita etiam magneticum corpus majus B vel C sibi fortius adhærere facit.

*Occlusio,  
quâ ver-  
ram ma-  
gnetica-  
rum ope-  
rationum  
causam  
primò in-  
veni.*

*Excitatio  
magnetica.*

*Quomodo  
causat.*

*Cur fer-  
rum oblon-  
gum non  
excitum ,  
diversis  
partibus  
Terra ad-  
motum ,  
varios ac-  
quirat po-  
los.*

Atque ex his pater , verum esse illud Platonis , apud Galenum nostrum in Timæo dicentis , magnetem non per attractionem , sed circumulsionem agere , quod , ut dicam quod res est , mihi jam ante multos annos occasionem , veram magnetarum operationum causam investigandi & proponendi , primum dedit.


Restat excitatio magnetica , quæ est operatio , quâ major , vel nova , vel alia vis magnetica directionis & conjunctionis , in corpore magnetico , magneti satis probè adhibito , pro diverso suæ adhibitionis modo , excitatur.

Quod fit , dum exspiratio certa magnetica , vehementius in poros alterius magnetici satis propinquè adhibiti , ingrediens , plures ibi poros aperit , & fibrillas in poris istis eminentes , vel aptius , vel recenter , certo modo , ad certam illam magneticam exspirationem vel aliter , vel melius recipiendum , disponit : eo ferè modo , quo plumæ pilique animalium , manu prementis , nunc in unam , nunc in aliam partem inclinando , diversimodè disponuntur.

Hujusmodi excitatio appetet , dum ferrum non excitum , sive magneti nunquam antea adhibitum , magneti vel terræ , certo modo intra sphæram ejus activitatis , adhibetur : item cum lateres fistiles , cancelli ferrei , aliaque , per longum aliquod tempus situm australē vel borealem habuerunt : Item ubi culter vel baculum ferreum nunquam excitum , modò unā , modò alterā cuspidē , versus terram inclinatur . Ut hīc in cultro toto ferreo non excito A D , modò in inferiore B , modò in superiore parte C , eodem suo manubrii extremo D , perpendiculariter versorio E adhibito , & aliam atque aliam versorii partem ,

pro

pro diversitate admotionis perpendicularis, alliciente,  
apparet.



In his enim omnibus , vel recens , vel melior , vel alia ,  
per magneticorum corporum adhibitionem , vis magne-  
tica , ut operationes eorum docent , excitatur .

Excitatur autem in corpore magnetico alia atque alia  
vis , pro ratione partis magnetis , cui illud adhibetur ; quia  
alia exspiratio ex una parte , quam ex alia egreditur , uti  
antehac docuimus .


Ferrum autem oblongum , quōmodocunque magneti  
adhibetur , semper vis in eo excitatur secundūm ejus lon-  
gitudinem , etiam tum cum ferri oblongi media pars , al-  
terutri ex polis adhibetur ; quia exhalatio magnetica per  
magnam ferri longitudinem facilius , quām per aērem , ex  
parva ferri latitudine vel profunditate egressa , moveri  
potest . Striata enim materia in stabili ferro poros ad trans-

*Cur diversa vires in ferro per diversas magnetis partes contactas excitantur.*

*Cur ferrum oblongum , magneti quo vis modo adhibitum , semper polos habeat in longitudinis extremitatis.*


P H I L O S O P H I A  
eundum commodiores , quâm in fluido aëre invenit ;  
quod ex antecedentibus est manifestum.

Et ferrum quidem oblongum extremo suo adhibitum  
alterutri extremitati magnetis , circa polos secundum si-



tum A B & C D, contrarium magnetis polo , qui contactus est , adipiscitur polum , ita ut in A excitetur polus borealis , in D australis : quia exspiratio ex aliquo polo magnetis egrediens , non potest ingredi nisi contrarium polum , atque ideo etiam alium polum ibi excitare non potest ; quod ex dictis jam patet .

Ferrum verò E F æquatori magnetis adhibitum , eâ parte , quâ polum aliquem spectat , contrarium isti polo acquirit polum ; & quidem parte F septentrionalem ; parte verò E , australem .



Cum autem ferrum oblongum , vel lamella ferrea GH vel IK , in medio à polo alterutro magnetis contingitur , tum excitatur à contactu isto polus unus in medio ferro , alter in ejus extremitis ; & quidem in extremitis

tremis poli sunt similes polo magnetis contacto; in medio verò ab illo sunt diversi. Ita ut ferrum G H in extremis habeat polos septentrionales, & australem in medio: ferrum verò I K acquirat polum septentrionalem in medio, & australes in partibus extremis.

Ex hac excitatione, per contactum ferri in magnete factâ, nihil quicquam de viribus magnetis contacti decedit, quia nihil de ejus substantiâ & constitutione per illum contactum imminuitur; eum excitatio tantum fiat à striata materiâ vehementius per magnetem transeunte, & nihil quicquam ipsi adimente.

Atque ex his, quæ de magnete diximus, facile, citra ullam ulteriorem explicationem, intelligitur, quomodo succinum vel vitrum usque ad incandescentiam in manicâ ex. gr. ultro citroque frictum, & chartæ vel paleæ ad justam distantiam adhibitum, paleam vel chartam, per exhalationem quandam ex iis ita calentibus & rarefactis copius exeuntem, & vorticem in contrarium facientem, ad se allicitat.

Atque hæc de corporibus vitæ expertibus haec tenus dimisimus.

Dum magnes per contactum varias in ferro excitat vires, nihil de viribus suis perdit.  
Ex his partent vires succini & vitri calefacti, paleam ad se allicitis.

PHILOSOPHIÆ  
NATURALIS  
LIBER QVARTVS.

De iis, quæ in Tellure continentur viva, ratione carentia.

C A P V T . I.

*De Corporibus vivis.*

*Corpora  
viva.*



ORPORA viva sunt , quorum partes ita sunt temperatæ & conformatæ, ut corporeæ eorum substantia , quæ perpetuò dissipatur , per succum præparatum & in interiora impulsu m , secundùm temperiem & partium conformatiōnem , conservetur.

*Anima eo-  
rum vege-  
tativa.*  
Hæc partium dispositio est istorum corporum anima vegetativa : est enim principium , quo corpora viva actiones suas vitales perficiunt.

*Calor na-  
tivus flui-  
pis.*  
Eaque potissimum in calore nativo consistit ; qui est ignis tantùm calidus , in corporibus vivis à primâ eorum productione genitus , cuius ope succus alimentarius , ad eorum conservationem , præcipuè præparatur , & per totum corpus distribuitur , eique agglutinatur.

Atque hinc, pro hujus varietate, corpora vivam utationes potissimum subeunt.

*Succus flui-  
pis potest  
dici ejus  
anima.*  
Ipse autem ille præparatus succus , quia est immediatum istius conservationis instrumentum , quodammodo etiam anima vegetativa dici potest. Succi verò istius apta , ad

ad corpus conservandum , distributio , vita est dicenda ; *Vita.*  
 & privatio istius distributionis , mors. *Mors.*

Corpora viva certis temporibus tales acquirunt constitutionem , quâ succos suos ita disponunt , ut per eos sui simile possint procreare.

Itaque actiones corporis vivi duas sunt : alitura , & procreatio.

Alitura est actio corporis vivi , quâ perpetuus caloris *Alitura.* substantiæque corporeæ defluxus , ope succi alimentarii , præparati & in partes alendas impulsi , continuò restauratur.

Huic inservit coctio , quæ est adaptatio particularum *Coctio.* infensibilium , ex quibus alimenta constant , ut ea temporem & conformatioinem , corpori vivo idoneam , acquirant.

Itaque hîc nulla intercedit substancialis transmutatio : *In coctione nulla est mutatio substancialis.* cum substantia alimentorum , quæ est ipsa materia , hîc & ubique semper eadem maneat ; sed accidentia essentialia , quibus , ex. gr. cibus à chylo , & chylus à sanguine differunt , in coctione tantum immutentur.

Atque hinc intelligimus non esse dicendum , alimento in substanciali chyli , ossis , vel carnis , sed in eorum essentiam converti : nisi substantiâ pro substanciali sive materiæ consistentiâ , vel modo subsistendi , sumatur. Quomodo autem accidentia possint esse alicui rei essentia , supra docuimus.

Alitura , quatenus calorem & spiritus restaurat , vivificatio : quatenus reliquam substanciali corporis partem restituit , nutritio dicitur.

Nutritio vel est dissipacioni æqualis , & absolutè nutritio appellatur ; vel est inæqualis : estque auctio , quâ plus restituitur , quam fuit dissipatum ; vel diminutio , quâ minus.

Atque

*Altura  
diversa  
ratio.*

Atque hæc alituræ diversitas, vel à diversa caloris, vel alimenti, vel corporis alendi constitutione oritur, uti in animalium doctrinâ latius explicabitur.

*Procreatio.*

Progeneratio est actio corporis vivi, quâ ex semine sui simile procreat.

*Formatio.*

Huic inservit formatio, quâ semen in membra, & partes corporis vivi, mutatur & figuratur.

*Quomodo  
ea fiat ex  
semine.*

Hæc peragitur per solum calorem & figuram magnitudinemque particularum semenis, citra ullam aliam vim plasmaticam, vel ullum corporeum intellectum, hanc dirigentem.

*Formatio  
illa non est  
fortuita;  
sed fit ex  
certis &  
necessariis  
legibus  
motus.*

Neque casus vel fortuna hîc in conformatione & reliquâ generatione locum ullum invenit: nam non fortuitò, sed pro diversitate caloris, vel particularum semenis, vel ejus quod semenis vicem gerit, necessariò varia & diversa corpora viva, ex legibus certis motus, producuntur; quamvis illis, qui hunc concursum causarum, generationem illam necessariam perficientium, ignorant, omnia fortuitò evenire videantur. Atque hoc in omnium stirpium & animalium generatione, postea explicandâ, semper repetitum volo.

*Et licet fiat  
per acci-  
dens; fit  
tamen et-  
iam per se.*

Nec est, quod quisquam tales generationem per accidentis fieri dicat, & non per se. Nam etiamsi illa per accidentia saepius jam proposita fiat; fit tamen etiam per se, hoc est propriis generantium viribus, cum accidentia illa ipsis sint propria, licet aliunde sape sint profecta.

## C A P V T II.

### *De Stirpibus.*

*Stirps.*

Corpora viva sunt stirpes & animalia.

Stirps est corpus vivum solâ animâ vegetativâ præditum.

Stirpes nascuntur ex semine, vel sine semine.

Semen

Semen stirpium videtur esse quidam earum surculus, *Semen stir-*  
*qui germen vulgo dicitur, succo quodam incrassato, & pium quid*  
*folliculo exteriore tectus.*

Atque hoc ad oculum patet in productione semenis rapi in sua siliqua, in qua nascuntur quatuor vel plures vesiculae perspicuae, in quarum singularum cavitate conspicitur parvus ramusculus, sive surculus foliosus, liquore primum diaphano, & deinde magis magisque crassescente, circumfusus. Talis surculus videtur etiam in nucleis cerasorum, prunorum, glandium, olearum, dactylorum, aliorumque similium.

Ex hoc in terram conjecto quedam partes, ab alimentario succo in illud impulso, abeunt in radicem, quae per terram dispergitur; aliæ è terrâ germinantes excrescent in stipitem, ramos, folia, aliasque partes.

Sine semine nascuntur stirpes, cum particulæ insensibiles terrestres in terræ superficie, vel crusta ejus superiore, perpetuò à subtili materia agitatæ, tales acquirunt fitus, figuræ, & motus, quæ rudimento stirpis convenient; ex quo reliquæ deinde partes producuntur, dum succus alimentarius, in illud impulsus, partes ipsas extendit, & certo modo figurat.

Cum autem infinitis penè modis, pro terræ & motus seu caloris diversitate, possit fieri particularum istatum compositio & conformatio, hinc plurimæ herbarum species in diversis terræ locis sponte nascuntur.

Porrò ad stirpis vitam requiritur, ut succus alimentarius, à Sole & reliquâ materiâ subtili, per poros radicis in stirpem propellatur, ibique præparetur, & in longum latum & profundum diffundatur, in quo ejus nutritio & auctio consistunt.

Causa vero, quod in arborem vivam, etiam altissimam, & quidem in extremas ejus foliorum fibras, copiosum à

*Ejus de-*  
*monstratio.*

*Quomodo*  
*ex eo na-*  
*santur*  
*stirpes.*

*Spontanea*  
*stirpium*  
*generatio.*

*Cur in di-*  
*versis ter-*  
*ris diversæ*  
*spontaneæ*  
*generentur*  
*stirpes.*

*Altura*  
*stirpium.*

*Quomodo*  
*alimentum*  
*in summas*  
*stirpium*

vivarum  
partes  
deferatur.

Sole & reliquâ materiâ subtili propellatur alimentum ; nullus verò aut quam paucissimus succus attollatur in herbam emortuam , etiam satis humilem , hæc est : quod in arbore viva tales sint partium pori , ut succus , in radicem impulsus , ibi à subtili materiâ , in poris existente , vehementius agitetur: cumque ille copiosius ex terrâ perpetuò eò delatus , ob fibrillarum & pororum certam conformatiōnem , eā , quâ venit , viâ redire non possit , cogitur ille ulterius ascendere : isque ibi rursus tales poros , in quibus subtilis materia vehementius agitatur , inveniens , attollitur ulterius , ita ut tandem ad extremas foliorum fibrillas perducatur . Cumque tales pori in stirpe emorta non sint , non est mirandum nullum succum alimentarium in eam impelli .

*Cur hoc  
non fiat  
in stirpe  
mortua.*

*Quomodo  
varie stir-  
pes ex ea-  
dem nutri-  
antur ter-  
ra ; idque  
citram atra-  
ctionem.*

*Vita earum  
& Mors.*

*Partes.*

*Cortex &  
folia etiam  
sunt stirpi-  
um partes.*

Cum autem particulæ alimentariæ , per terram disperse , sint diversæ , & pori radicum sint variæ ; hinc aliud alimentum in has , aliud in illas impellitur stirpes , ibique aliter atque aliter , pro pororum configuratione , adaptatur . Atque hinc pater , nullam attractionem in alitura vel generatione stirpium esse fingendam .

Diuturnitas vitæ stirpium , sicut animantium , in partium temperie & apta conformatiōne consistit ; quarum defectu & depravatione stirpes senescunt & exsiccantur , tandemque emoriuntur .

Partes principales stirpis sunt similares , vel dissimilares .

Similares sunt liquidæ , ut succi & lacrymæ ; vel solidæ , ut caro & fibræ .

Dissimilares , sunt perennes , vel anniversariae .

Perennes in multis sunt radix , caulis , caudex , medulla , ramus .

Anniversariae sunt surculi , flores , fructus , semina .

Partes minùs principales dicantur , cortex & folia ; quæ pro stirpium excrementis à nonnullis habentur : verū haud

haud satis verè : quia , æquè atque alia , stirpium sunt partes ; cùm ea stirpes etiam constituant , in earumque usum sint comparata.

Folia multarum stirpium perennium , in locis frigidioribus sub finem autumni decidunt : quia tales in iis sunt pori , qui à frigore superveniente clausi , sufficiens alimen-  
tum per earum radices vel folia intrare non patientur , quo illa necessariò tūm emarcescunt , ac tandem decidunt. Illæ autem stirpes , quæ solidiorem habent substan-  
tiā , succosque calidiores , & poros per quos subtilis ma-  
teria fortius potest moveri , in iis perseverant viva folia  
etiam mediâ hyeme.

*Cur multis  
rum stir-  
pium folia  
sub hyemem  
decidant;  
& quarun-  
dam perse-  
verent.*

Flores stirpium sunt , pro multitudine pororum , è qui-  
bus foliola florum egrediuntur , vel simplices , vel mul-  
tiplices.

Cùm autem in fœcundo solo , halitus in herbam multò  
copiosiores , quàm in macro & sterili , immittantur ; hinc  
semina in fœcundo solo sata , dant sæpè herbas flore pleno  
seu multiplici ornatas , dum copiosiores isti halitus sibi plu-  
res poros in eorum pediculis & calicibus parant.

*Cur in fœ-  
cundo solo  
flores sape  
fiant mul-  
tiplices sive  
pleni.*

Propagatio stirpium fit vel semine in terram conjecto , Propagatio  
vel radice in terram depressa , vel surculo aut ramo terræ  
in fixo , vel gemmâ aut surculo alteri arbori inserto. Nam  
in omnibus istis est talis partium dispositio , quâ similis  
stirps ex iis possit produci.

*stirpium.*

Ratione soli plantæ sunt terrestres , vel aquatiles.

*Stirpium  
differentia.*

Terrestres sunt hortenses , vel silvestres.

Aquatiles sunt lacustres , fluviatiles , vel marinæ.

Ratione adiunctorum , aliæ sunt fructiferæ , aliæ steri-  
les , aliæ floriferæ , aliæ floribus carent.

Ratione virium , aliæ sunt calidæ , aliæ frigidæ , aliæ a-  
liis virtutibus , tūm alimentariis , tūm medicamentosis ,  
præditæ.

*Quomodo  
herbe frigi-  
dissima  
queant vi-  
vere; &  
tamen ho-  
minem ne-  
care.*

Mirantur nonnulli herbas quasdam frigidissimas & ve-  
nenatas, quales sunt cicuta, papaver, solanum lethale, na-  
pellus, aliasque similes, posse vivere; cum suo frigore,  
aliisque noxiis qualitatibus hominis vitam extinguant. Sed  
cessabit illa admiratio, si recordemur, quædam huic esse  
frigida & noxia, illi vero, ob aliam pororum & partium  
dispositionem, esse calida & utilia, ut antehac in qua-  
litatum doctrina fuit demonstratum.

Denique stirpes universæ vel caudice, vel caule sunt  
præditæ.

Caudice quæ nascuntur, & plerumque illum habent  
vel simplicem & crassiorem, ut arbores; vel multiplices  
& teneriorem, ut frutices.

Quæ caule folioso proveniunt, herbæ appellantur.

*Origo differ-  
entia stir-  
pium.*

Portò omnium harum partium & specierum differen-  
tiæ, in diversis stirpium generibus, eorumque coloribus,  
saporibus, odoribus, figuris, aliisque earum adjunctis,  
sunt diversæ. Eaque diversitas, quamvis ferè sit innumera,  
omnis tamen ex innumera pororum & particularum in-  
sensibilium, in terra, seminibus, vel stirpibus existen-  
tiuum, conjunctionis & figuraionis diversitate, originem  
ducit. Et cum ea particularum & pororum diversitas non  
dum specificè sit cognita, idcirco haec tenus non specifica  
& exacta, sed tantum generalis quædam & minus accu-  
rata stirpium doctrina potuit tradi.

*Cur tradi-  
tio nostra  
stirpium  
tantum sit  
generalis  
& minus  
accurata.*

Vlteriores stirpium descriptiones qui desiderat, Botani-  
cos consulat.

*Spiritus, è  
stirpibus e-  
ductus &  
incensus.  
cur linteum  
eo imbu-  
tum ali-  
quando  
exurat; ali-*

Sed hic silentio non videtur prætereundum, ex multa-  
rum stirpium floribus & fructibus, ut rosis, pomis, pyris,  
& præsertim ex uvis, succum exprimi, qui justè purga-  
tus, fermentatus, & ignis calore per alembicum distil-  
latus, spiritum inflammabilem exhibit, quo si linteum im-  
buantur, isque ab omni phlegmate, seu partibus aquosis  
distillando

distillando fuerit depuratus , talem flammam, ab admoto  
flammante igne , concipit , ut linteum in cineres exurat. quando re-  
linquat in-  
tegrum.

Si verò spiritus ille stillatius , quo linteum est imbutum ,  
multas aquosas partes à distillatione in se contineat, flam-  
mam quidem concipiet , sed linteum incombustum re-  
linquet. Hujus rei hæc est ratio , quòd aquosæ istius sti-  
llatitii & incensi spiritus partes , sese in poros linteai im-  
buti insinuantes , impediunt , quo minus ignis ad inte-  
riores linteai poros possit penetrare , ibique ignem ex-  
citare. Vbi verò spiritus ille distillatus ab omni aquo-  
sitate est depuratus , & in linteo incenditur , tūm in-  
venit ejus ignis poros filamentorum linteai inflamma-  
bilium satis apertos , in iisque vehementi suo motu i-  
gnem novum excitat , qui linteum tandem in cineres  
convertit.

Est autem spiritus ille stillatius inflammabilis , quia Cur ille spi-  
ritus non  
sit oleagi-  
nosus.  
constat particulis parvis & ramosis , in quarum intersti-  
tiis multa materia subtilis primi generis existens , eas da-  
tâ occasione facile inflammari facit. Attamen oleagino-  
sus non est , quia ejus particularum ramuli minores sunt ,  
quam ut oleum , quod ob crassiores suos ramulos est te-  
nacius , constituere possint. Atque hæc de stirpe.

## C A P V T I I I .

*De Animalibus , eorumque corporis Partibus ,  
& Temperie.*

**A**NIMAL autem est corpus , quod , præter vitam , sen- Quid ani-  
mal.  
su & motu est præditum.

Vita animalis , seu ejus vivendi facultas , in eo consistit , Vita ani-  
malium.  
quòd quædam in eo sit pars , igne , tantùm calido , instru-  
cta , quæ cor dicitur , in quam alimentarius succus per ve-  
nas influens incalescit , & in partes alendas per arterias

impellitur , ac deinde, ut rursus incalefacat, per continuas venas ad cor perpetuò refluit.

*Eorum sensus & motus.*

Facultas sentiendi & movendi , quæ anima sensitiva vulgò dicitur , est partium animalis in spiritus , nervos, & alia sensoria , item fibras, valvulas , musculos & artus talis attemperatio & conformatio , qua animal ab objectis, tūm internis , ut fame, siti, & affectibus ; tūm externis , ut coloribus , sonis , & saporibus; variis motibus affici, totoque corpore se de loco in locum mouere potest.

*Motus sensitivus & locomotivus si in animalibus sine ulla cognitione.*

Hic motus sensitivus & loco-motivus fit in animalibus, eodem modo, ut automata agitantur & moventur; si ne ulla scilicet cognitione, vel appetitu propriè dicto. Atque hoc in homine , actiones sensitivas & motivas simplices , citra cognitionem seu cogitationem , perficiente , est manifestum : In bestiis verò nulla est ratio , ut postea magis patebit, cur non semper eodem modo omnes perficiantur.

*Cur sanguis anima bestiarum in Sacris literis dicatur.*

Quoniam autem sanguis in corde calefactus & in spiritus conversus , in perfectioribus animalibus est proximum actionum animalium organum, ideo ille aliquo modo pro eorum anima vegetativa & sensitiva ponи potest. Atque hinc legitur in Sacris literis , quod bestiarum sanguis sit anima earum.

*Animalia, qua vicissim reviviscunt.*

In quibusdam animalibus, ut ranis, muscis, scorpiis, serpentibus , & aliis similibus , propter superveniens autunmale vel hyemale frigus , reciprocus succorum alimentariorum motus , spirituumque generatio ad tempus fatis longum sufflaminantur; superflite interea reliquā temperie & partium conformatioне , in animalibus requisitā : & , ob redeuntem calorem vernum vel aestivum, eadem postea restituuntur : idcirco emoriuntur ista animalia certis quibusdam temporibus , eaque vicissim postea reviviscunt.

Essen-

Essentialis animalium , ut omnium aliorum corporum vivorum , partium dispositio , quā actiones suas perficiunt , non consistit in individuo puncto ; sed magnam habet latitudinem : atque ideo ea est duplex ; sanitas , & morbus.

*Essentialis  
animalium  
constitutio  
magnam  
habet lati-  
tudinem.*

*Anima-  
lum Sani-  
tas.  
Morbus.*

Sanitas est dispositio partium corporis animalis , actionibus recte perficiendis apta.

Morbus est illarum partium talis dispositio , quā illæ ad actiones rectè perficiendas non satis sunt idoneæ.

Pars corporis animalis , est substantia corporea , illud , *Partes cor-* cum reliquis substantiis corporeis , complens , actionibus- que perficiendis comparata.

Estque vel insensibilis , vel sensibilis.

Insensibiles in variis partibus sunt variæ . Aliæ enim par- *Insensibiles.* ticulæ insensibiles sunt in osse , aliæ in carne , aliæ in cute , aliæ in membranis ; & ita deinceps.

Ex sensibilibus aliæ sunt stabiles , aliæ fluidæ.

Stabiles , quæ etiam solidæ vulgo appellantur , sunt , *Stabiles.* quarum particulæ sibi mutuò satis firmiter sunt annexæ , et si non semper eundem situm figuramque servent ; ut patet in pulmone & intestinis , quæ solidæ partes dicuntur , etiamsi potius alienis , quam suis terminis continentur.

Harum variæ differentiæ à variis principiis solent desumi , quæ etsi non magni sint momenti , nolumus tamen à vulgari & trita via discedere , ubique illam absque magno veritatis dispendio sequi licet.

Primò , à principiis generationis aliæ dicuntur spermaticæ , aliæ sanguineæ , aliæ mediæ.

Spermaticæ sunt , quæ in sua formatione plus seminis *Spermati-* creduntur accepisse , quam sanguinis . Tales putantur esse <sup>ca.</sup> os , cartilago , ligamentum , fibra , membrana , nervus , vena , arteria , tendo , & medulla cerebri.

*Sangui-*

*Sanguineæ.*

Sanguineæ sunt, in quibus formandis dominatus dicitur sanguis supra semen. Tales esse creduntur carnes muscularum & parenchymatum, ut cordis, hepatis, lienis, nec non adeps.

*Cur spermatica non restituuntur in adultis per similem substantiam; cum tamen hoc fiat in pueris.*

Spermaticæ in adultis neque perditæ regenerantur neque solutionem continui passæ per similem substantiam; uniuntur. Ita os, in viro fractum, unitur per callum; & cutis incisa conglutinatur in illo per cicatricem. Contrarium fit in partibus sanguineis, & in pueris.

Hujus rei causam multi existimant consistere in vi conformatrice, in adultis nimis debili, & in pueris satis fortis. Alii verò absentiam longam à principiis generationis in adultis; & quæ sunt hujus generis alia, istius rei causam esse statuunt. Verum hæ causæ mihi neutiquam placent; quare ad partium puerilium mollitatem & humiditatem, adulorum verò duritiem & siccitatem, similesque alias qualitates, ejus causam satius referendam existimo.

*Cur haereditate frigida dicantur.*

Spermaticæ partes sanguineis etiam frigidiores existimantur; quia facilius à frigore lœduntur, nec tantas actiones caloris per se præbent.

*Media.*

Mediae partes sunt, quæ in neutram partem inclinantes, nihilo plus seminis quam sanguinis habent. Talis dicitur esse cutis.

*Omnis partes ratione originis sunt spermatica; ratione perfectionis sunt sanguinea.*

Monendum autem est, omnes partes, quia, ex semine in utero, primum rudi modo delineantur, & deinde ab affluxu sanguinis perficiuntur, & ad justam magnitudinem perveniunt, atque eo perpetuò aluntur, diverso respectu & spermaticas & sanguineas posse dici: Tumque earum naturam, non ex principiis generationis & conservacionis, sed ex observatione qualitatum esse aestimandam.

Secundò, à compositione partes aliæ dicuntur similares, aliæ dissimilares.

Simila-

Similares sunt, quarum substantia est eadem, & ubi-  
que sibi similis. Tales apud medicos hæ undecim nume-  
rantur: Os, cartilago, ligamentum, membrana, tendo,  
fibra, vena, arteria, nervus, cutis, caro. Quibus addi  
possunt adeps, pili, ungues: cum sint partes, utpote to-  
tum compleentes, similaremque naturam habeant. Simi-  
laris autem harum partium essentia, non exacto, sed per-  
functorio judicio, est aestimanda: venæ enim & arteriæ ac  
nervi ex fibris & membranis sunt coagmentata.

*Adeps, pili  
& ungues,  
etiam sunt  
partes, &  
quidem si-  
milares.*

Dissimilares partes sunt, quæ in dissimiles particulas  
possunt dividiri. Ut manus, pes; quæ dividuntur in cutim,  
carnem, ossa, venas, arterias, nervos.

*Dissimila-  
res.*

Tertio, à figuratione aliæ sunt organicæ, aliæ inorga-  
nicæ.

Organicæ sunt, quæ, ad sui constitutionem, actiones-  
que perficiendas, certam & determinatam sensibilemque  
conformationem requirunt: Ut vena, nervus, arteria,  
musculus, brachium, crus, &c.

*Organicas.*

Inorganicæ, contra. ut os, cartilago, caro simplex.

*Inorganica.*

Quarto, à dignitate aliæ partes dicuntur principes,  
aliæ ministræ.

Principes partes sunt, à quibus actiones animalium  
potissimum & præcipue peraguntur.

*Partes  
principes.*

Medici communiter quatuor partes constituunt prin-  
cipes: Cerebrum, quia sensationum omnium est princi-  
pium, & immediatum organum mentis. Cor, quia est  
fons caloris vivifici, à quo omnes actiones animalis depen-  
dent. Hepar, quia in eo præcipue dicitur fieri sanguifi-  
catio, quamvis sanguinem cordi revera tantum præparet.  
Testes, quia seminis generatio ipsis attribuitur: sed per-  
peram. nullum enim semen perfectum in testibus anima-  
lium, etiam quam maximè libidinosorum, unquam in-  
venitur; & multi testantur caballos, tauros, aliaque ani-

*Quod vul-  
go statuan-  
tur.*

Gg malia

malia robustiora , quibus testes sunt exsecuti , semen prolificum emittere , imò per multos annos sibi simile procreare , nisi unà cum testibus vasa spermatica sint ablata . Existimamus autem semen perfici in vesiculis & glandulis vesicæ sphincteri adjacentibus , quæ prostatae dicuntur , quia in his frequentissimè , nunquam verò in aliis partibus , perfectum semen observatur .

*Quod à nobis fluantur.*

Nos ergo tres partes principes numeramus : cor , quia alituræ ; & cerebrum , quia sensus & motus , & in homine etiam cogitationis , potissimum est principium : quibus addendæ sunt partes genitales , cum illæ potissimum illam edant actionem , quâ animalium genus propagatur & conservatur .

*Partes ministræ.*

Omnes aliæ partes , quia his auxilio suo inserviunt , ministrae dicuntur .

*Ventres.*

Denique partes solidæ , ratione regionum corporis , in ventres & artus dividii solent .

Ventres sunt magnæ cavitates , in quibus princeps aliquod viscus continetur . Tales sunt tres : Caput , in quo continentur cerebrum , cum oculis , naribus , auribus , ore , aliisque multis . Thorax , in quo invenitur cor , cum pulmonibus , asperâ arteriâ , & cesophago . Abdomen , seu imus venter , qui , diaphragmate à thorace discriminatus , ventriculum cùm annexis intestinis & mesenterio , item hepar , lienem , renes , vesicam , partesque genitales , continet .

*Artus.*

Artus sunt membra ventribus adnata , & articulis distincta . Iisque sunt duo : Brachia , quæ in homine constant humero , cubito , & manu ; Crura , quæ dividuntur in femur , tibiam , & pedem .

*Fluida par-*  
*tes.*

Atque hæc de parte stabili . Pars fluida est , cuius particulae , non satis firmiter sibi mutuo annexæ , facile disjunguntur .

*Estque*

Estque sanguis, & spiritus. Imò & humor oocularis, saltem aqueus & vitreus: nam forte crystallinus meritò inter partes solidas numeratur. Nec non lac, semen, &c. Quæcunque enim in humano corpore ita continentur, ut præter naturam sit, si absint, quemadmodum lac in puerperis, semen in viris, meritò ejus partes dicuntur.

Sanguis est succus ille rubicundus, venis, corde, & arteriis <sup>sanguis.</sup> naturaliter contentus, qui constat farragine omnis generis partium alimentarium, quæ venas potuerunt ingredi; estque nutritionis & vivificationis materia, magnumque corporis stabilimentum.

Hic communiter dividitur in partem pituitosam, serofam, biliosam, melancholicam, & temperatam; quæ ultima strictiore ratione sanguis merus dicitur.

Spiritus est pars fluida, constans subtilissimo sanguinis <sup>spiritus:</sup> halitu; estque præcipuum in functionibus ferè omnibus instrumentum. Nam sine spiritibus benè constitutis nullæ actiones rectè peraguntur.

Primò hic dicitur insitus, vel influens.

Spiritus insitus est, qui, postquam in partem aliquam <sup>insitus.</sup> est immissus, ei aliquamdiu inhæret.

Hunc à prima nativitate ad ultimam senectutem partibus non inhærere, comprobat fluxa corporis animalium constitutio, quæ perpetuò dissipata, restorationemque desiderans, spirituosas partes tam diu retineri non permittit.

Spiritus influens est, qui in partem, ad insiti rediente. <sup>Influens.</sup> grationem, recens immittitur.

Secundò spiritus aliis dicitur naturalis seu vegetatus, aliis animalis.

Naturalis est, qui in corde cum sanguine arterioso natus, vivificationi, nutritioni, & generationi famulatur. <sup>Naturalis.</sup>

Animalis spiritus est, qui, ex carotidum arteriarum & <sup>Animalis.</sup> plexus

plexus choroidis poris in ventriculos cerebri à corde propulsus , & ibidem exhalans, actionibus animalibus, postea explicandis , ministrat. De his postea latius.

Atque hæc de corporis animalium partibus, pro insituto nostro , jam dicta sint.

*Sanitas in  
quibus  
consistat.*

Sanitatis partes duæ sunt: bona temperies, & apta partium conformatio ; quæ ex dictis patent. Iis autem hic est addendum , quod temperies, præter alias suas differentias antehac explicatas , in animalibus alia sit permanens, alia fugiens , quæ ab aliis dicuntur temperies vivi & mixti: sed male . nam temperamentum vivi est etiam mixti dicendum ; cum omne temperamentum ex mixtione dicatur oriri : & deinde , temperamentum mixti dictum , in vivo etiam est vivi; quoniam in vivo omnia sunt viva.

*Temperies  
permanens.*

Temperies permanens est , quæ , ex partium stabilium constitutione potissimum dependens , post mortem aliquamdiu potest perdurare.

*Humiditas  
& siccitas  
hic esti-  
mantur, ut  
sunt atque;  
calor &  
frigus , ut  
sunt poten-  
tia.*

Humiditas & siccitas , quæ in hac temperie considerantur , quatenus humorum particulæ , poris solidarum partium impactæ , iis ita inhærent , ut pro fluidis non habentur , eæ hic æstimantur prout actu insunt , & tactu percipiuntur. Calor verò & frigus hic æstimantur , prout insunt potentia , earumque judex est imaginationis & judicii nostri ratio. neque enim , secundum hanc temperiem permanentem , manus frigida differre putatur à calida. Atque ideo partes in corpore animalis , calidæ vel frigidæ dicuntur , pro ut magis vel minus incalescere sunt aptæ : humidæ verò & siccæ , pro ratione humiditatis vel siccitatis , quam tactus in iis percipit.

*Temperies  
fugiens.*

Temperies fugiens est , quæ ex fluidis partibus potissimum dependens , in vivis perpetuò fugit & restituitur ; in mortuis verò , ob defectum restitutionis , mox extinguitur.

Hæc

Hæc itaque ad omnes humores & spiritus, corpore vivo contentos, se potissimum extendit. Neque enim sanguis in animalis mortui corpore frigescens eandem retinet temperiem, quam habuit in vivo. Et potest aliquis, ad humores pituitos valde per temperiem permanentem dispositus, ex esu calidorum & dulcium multum sanguinis biliosi in venis & arteriis coacervasse, in quo casu secundum temperiem permanentem erit pituitosus, secundum fugientem biliosus.

*Huc ad spiritus & humores potissimum pertinet. Aliquis potest temperie permanente esse pituitosus, & fugiente biliosus.*

## C A P V T I V .

*De Calore nativo animalium.*

**S**ed in hac temperie fugiente spectatur præcipue calor *Calor nativus.*  
ille, qui vulgo nativus appellatur; qui in corde accensus, & per omnes vivi animalis interiores partes diffusus, nunquam in mortuo reperitur. Hujus enim, tanquam primi motoris ope, omnia in corpore animalis potissimum peraguntur.

Hujus caloris essentiam plurimi non satis intelligentes, calidum quoddam innatum, vel spiritum quendam primum, vel humidum quoddam radicale imaginati sunt, cuius naturam & conservationem nunquam satis distinctè explicuerunt; quamvis ea, si rem benè inspiciamus, haud difficilis esse videatur.

Cùm enim advertimus non omnem ignem inflammam erumpere, sed in iis ferè omnibus, quæ fermentantur & sponte incalescunt, sentiri quendam ignem sineflammam, qui à vulgari non nisi ratione intensionis differt; ut patet in fœno humido & multis aliis, in quibus ille ita interdum intenditur, ut flammarum emittat; tum nihil magis obvium est, quam ut existimemus calorem illum tam etiam esse ignem non lucidum, in corde animalis à *Quomodo ille excitetur.*

primo vitæ initio accensum, qui sanguine alitur, & in cuius solâ extinctione mors consistit.

Quomodo  
distribu-  
atur, &  
conserve-  
tur.

Cur ille  
natus  
dicatur.

Potest hic  
dici & cœ-  
lestis, &  
elementa-  
ris.

Quomodo  
calor ad-  
miranda  
prefaset.

Cur calor  
natus di-  
catur spi-  
ritus pri-  
migenius,  
& humi-  
dum primi-  
genium.

Ac cum sanguinis circulationem, posteâ explicandam, sciamus, facile percipimus, qua ratione magna ejus copia singulis pulsibus in corde accensa, & per arterias in omnia membra dispersa, ac per venas ad cor rediens, corpus animalis continuò calefaciat, caloremque ejus conservet & reparet.

Atque ut hinc etiam ea, quæ ab aliis dicta sunt, expliceremus; putandum est illos hunc calorem, calidum nativum, vel humidum innatum dixisse, non quod illud ipsum individuum calidum, quod in animali recens nato vel alio quovis juniore est, in seniore & decrepito inveniatur; sed quia à nativitate ad mortem usque, simile humidum in locum dissipati continuò restituitur.

Et siue dixerint calorem nativum esse elementarem, siue cœlestem, facilè ipsis assentimur; quia nullam inter utrumque agnoscamus differentiam; sed unius ejusdemque naturæ esse putamus calorem, qui foget, qui generat, & qui urit; quamvis intensionis gradibus multum differat. Vterque autem admirandas edit actiones, quando ejus efficacia aptis instrumentis bene regitur. Idque in chymicis, culinariisque operationibus, nec non in generationibus horum ope faciendis, vel promovendis, aliisque multis, est manifestum.

Quatenus autem hic calor nativus ope spirituum, qui sunt in sanguine, jam inde à primâ generatione partibus communicatur, dici potest spiritus primigenius. Et quatenus id etiam sit ope partium sanguinis & præcipue oleaginosarum, quæ pro humidis vulgo habentur, vocari potuit humidum primigenium. Et quia hic calor præcipue communicatur per sanguinis partes, tum spirituolas, quæ maximè sunt mobiles, & facillime quasvis corporis partes suâ subti-

subtilitate penetrant; tum oleaginosas, quæ cohæsione suâ impediunt, quo minus spiritus possint dissipari, & in portis suis materiam ætheream ita disponunt, ut fortius agat, quod nisi fieret, calor brevissime extingueretur: hinc non malè dicit Fernelius, calidum innatum esse humidum primigenium, spiritu & calore insito perfusum; & alii, quod illud sit substantia quædam nostri corporis primigenia, pinguis & oleosa, calore naturali perfusa.

Sed omnium optimè hoc definitur ignis non lucidus, in sanguine in cor influente continuò accensus, & per totum corpus cum eodem sanguine distributus. Hoc enim omnium optimè naturam ejus declarat.

Hic calor nativus non semper in eodem statu permanet, sed ætatis decursu primum augetur, deinde consistit, ac tandem imminuitur. Nam initio vitæ, cùm partes solidæ adhuc valde sunt molles, non adeò fluidarum partium motui obſistunt, quām in mediâ ætate, nec idcirco tantâ vi fluidæ agitantur. Ac præterea inter fluidas plures sunt aquæ quām oleagineæ, quæ idcircò, ut ex ante-dictis patet, alendo igni minus sunt aptæ. In senectute verò partes rursus aquæ permultæ, pauciores verò oleagineæ in sanguine reperiuntur: quia partes solidæ, per quas succus ciborum colatur, ut sanguis fiat, sensim evadunt duriores, & eorum pori minus fiunt anfractuosi, quām par est ad bene temperatum sanguinem generandum.

Præterea calor nativus in animalibus perfectionibus, & præsertim in homine valido, melius hyeme & vere, quām æstate vel autumno, ad actiones suas peragendas se habet. Hyeme enim & vere corpora sunt densiora, quo spirituum & humidi oleaginosi effluvia copiosa impediuntur; & ob externum frigus, nimius calor in iis haud facilè gigni potest. Atque hinc in validis hyeme & vere coctiones nostræ, quæ moderatum desiderant calorem, optimè perficiuntur;

*Optima ca-  
loris nativi  
definitio.*

*Eius mu-  
tationes  
per ætates.*

*Per anni  
tempeſta-  
tes.*

*Cur ille  
validior  
ſit in qui-  
busdam  
hyeme &  
vere;*

*Et in aliis  
estate &  
autumno.*

tur; minùs æstate & autumno: quamvis tum temporis maximus sit calor, quippe qui ad coctiones nostras tunc sit immoderatior. In frigidioribus tamen hominibus, & aliis animalibus, calor nativus, vere adulto, æstate, & in principio autumni melius; hyeme verò pejus est constitutus. Ibi enim ille à calore externo augetur, hic verò à frigore magis debilitatur.

*Differentia  
eius.*

*Calor in-  
situs &  
influen-  
re sunt  
idem.*

Calor nativus, quatenus in partes ad reparationem dissipati propellitur & influit, influens: quatenus verò in eas est propulsus, iisque inhæret, insitus dicitur. Estque revera unus & idem; neque posterior à priori magis differt, quām unus idemque homo, qui ædes ingreditur, & qui eas est ingressus.

Est præterea temperies animalium alia nativa, alia adscititia. Nativa est, quæ ex semine & sanguine materno in primo ortu est progenerata. Adscititia est, quæ post primum ortum seu nativitatem, per alterationem & mutationem corporis, ab internis externisve causis & accidentibus oritur. De his plura in doctrina de Homine.

## C A P V T V.

*De Alitura illorum.*

*Aktiones  
animalium  
vegetati-  
ve.*

**A**ctiones animalium aliæ sunt vegetativæ, aliæ sensitivæ & motivæ.

*Alitura fit  
potissimum  
per sanguini-  
nem arte-  
riosum in  
partes im-  
pulsum ;  
non vero  
attrahum.*

Et quantum ad vegetativas, seu alitura & generatio nem, attinet: alitura in animalibus perfectioribus fit præcipue ope sanguinis arteriosi, à corde in partes alendas, impulsi. Hepar enim, licet etiam suo alatur sanguine, non alit tamen reliquum corpus; quia nullam alimenti in partes impellendi vim habet: nec partes alendæ quicquam possunt attrahere ab hepate, per vim magneticam vel aliam

aliam quamlibet , qualis dicitur esse fuga vacui , similitudo substantiæ , calor , dolor ; quandoquidem ab his causis , partim fictis , partim inefficacibus , nulla attractio fieri potest : nec partes alendæ habent intellectum alimentum conveniens ab inconveniente discernendi.

Alitura in animali vivo est perpetua ; cùm in eâ vita ejus consistat : unde sequitur , nullum animal naturaliter , absque ullo alimento , vivere posse. Cui rei etiam ipsa adstipulatur ratio. Cùm enim in animalibus substantiæ corporeæ , & eorum quæ ipsam sustentant , ut sanguinis & spirituum , propter eorum teneritudinem , & caloris vitalis , etiam blandissimi , vim dissipandi , perpetua fiat dissipatio ; necessariò in locum substantiæ dissipatae perpetuò aliquid debet succedere : quòd certè fieri nequit , nisi alimentum per vices assumatur.

Neque hanc sententiam evertunt lampades , quæ in sepulcris Tulliolæ & Olybii , aliorumque , per aliquot secula ope olei incombustilis arsisse , & patrum nostrorum memoriâ ardentes dicuntur inventæ. Nam oleum istud incombustile videtur esse merum figmentum ; cùm pugnet cum naturâ ardoris , fomitem ejus non comburi. Sed lucernæ istæ , si unquam fuerint repertæ , videntur suisse corpora sine ullo perceptibili calore lucida , quæ instar cicindularum , ligni putridi , & squamarum piscium , aliorumque similium , in tenebris splendebant ; propterea quod , apertis monumentis , ac admisso lumine diurno & aëre moto , lumen earum dispersisse dicatur. Clauso autem rursus monumento , lucernæ istæ non amplius apparuerunt ; quia talis earum erat constitutio , ut ab admisso aëre , eoque vehementiùs moto , corrumperentur.

Et , si miraculum hîc non admittatur , nihil quicquam Exempla  
obsunt eorum , qui

*feruntur  
perpetuū  
multisque  
annis jeju-  
nasse, non  
sunt indu-  
bitata & si-  
dei.*

obsunt exempla eorum, qui à nonnullis, ob adscriptam ipsis perpetuam inediā, celebrantur. Nam Eva Fliegen Meursensis inter eos etiam commemoratur; cuius fallacia, diù quidem callidissimè tecta, sed tandem anno 1628 per ejus observatricem moribundam clarissimè detecta, omnia aliorum, perpetuā inediā celebrium, exempla facit suspecta; cùm naturali rationi, antea commemoratae, aduersentur: neque ullum sit argumentum, cur non & hi æquè atque illa, inediā perpetuam simulaverint; sed custodum diligentiam tantum felicius fellerint.

## C A P V T V I.

*De Famine & Siti.*

*Actiones  
alitura in-  
servientes.  
Ad illas  
non perti-  
net attrac-  
tio.*

**A**LITURÆ IN ANIMALIBUS INSERVIUNT APPETITUS ALIMENTARIUS, COCTIO, DISTRIBUTIO, SEPARATIO, EXCRETIO.

Vulgò dicunt ALITURÆ INSERVIRE, ATTRACTIONEM, RETENTIONEM, COCTIONEM, EXCRETIONEM: QUOD DISPLICET; QUIA, UT ANTEHAC DIXIMUS, PARTES NIHIL NORUNT NEC POSSUNT ATTRAHERE; & DEINDE RETENTIO EST REJICIENDA, PRÄTER ALIAS CAUSAS, ETIAM IDEO, QUIAILLA NIHIL ALIUD EST, QUAM MODERATA DISTRIBUTIO: NAM DE ALIMENTIS ASSUMTIS SEMPER ALIQUID DISTRIBUTUR. NEQUE HÄRENT IN VENTRICULO ALIMENTA, DONEC OMNIA PERFECTÈ SUNT COCTA: QUOD DOCET CITAILLA REFOLLATIO, QUAM EX FAME LANGUIDI, MOX, POST ALIMENTA ASSUMTA, REFOLLANTUR.

*Appetitus  
alimenta-  
rius.*

APPETITUS ALIMENTARIUS EST PHANTASIÆ QUÆDAM CONSTITUTIO, EX MOTU NERVI SEXTÆ CONJUGATIONIS, OB DEFECTUM ALIMENTI, INORDINATIÙS IN VENTRICULO MOTI, ORTA; PER QUAM IMPELLIMUR, OB SPIRITUS ANIMALES, INDE CERTO MODO MOTOS, AD MOTUS MEMBRORUM, ALIMENTO PROSEGUENDO IDONEOS.

Alimen-

Alimentum autem est corpus, animalis naturæ ita si-  
mile & conveniens, ut à calore ejus subigi, & in naturam  
ejus converti possit. Alimen-  
tum.

Estque esculentum, quod cibus; vel potulentum, quod Cibus &  
potus.  
potus nuncupatur. Talia sunt carnes animalium, herbae, potus.  
fructus, semina, lac, vinum, &c.

Appetitus ille est sitis, vel fames.

Sitis est appetitus potus, ex molestâ faucium & oeso-  
phagi ariditate, ob humiditatem ex iis expulsam, natus;  
quo phantasia potum imaginatur in auxilium. Sitis.

Fames est appetitus cibi, ortus ex morsu inaniti ventri-  
culi, ab acribus & calidis quibusdam succis, ex arteriis in  
ventriculum continuò impulsis, qui post expulsionem  
chyli, non invenientes quod corrodant, ventriculum pun-  
gunt, quo nervus sextæ conjugationis certo modo in eo  
motus, imaginationem cibi sumendi excitat, in mortuis  
istius remedium. Fames fit  
à succo  
acri & fer-  
mentaceo  
à corde in  
ventricu-  
lum pro-  
pulsio-

Prout autem isti succi peculiarem rationem ad hunc  
vel illum cibum disolvendum habent, ita hujus vel istius  
cibi sumendi appetitus movent. quod in multis virgi-  
nibus & mulieribus, picâ laborantibus, passim animad-  
verritur. Unde va-  
riorum ci-  
borum sit  
appetitus.

Fames itaque non fit à succo quodam acido, ex liene  
per venas in ventriculum regurgitante: nam ligatura vasis  
brevis venosi, inter ventriculum & lienem in vivo anima-  
li facta, suâ intumescentiâ, intra ventriculum & ligatu-  
ram conspicuâ, indicat è ventriculo semper aliquid ad lie-  
nem, non verò ex liene quicquam ad ventriculum per ve-  
nas deferri. Fames non  
est à succo  
acido, à  
liene ve-  
niente;

Neque fames ex eo originem dicit, quod venæ par-  
væ, per partium solidarum tractionem inanitæ, alimen-  
tum ab aliis venis, & hæ deinceps ab hepate trahant;  
quod denique, nutrimentum ex ventriculo, sentiendi

facultate prædicto , fugens , famis molestiam excitet . Nam hujusmodi sententia nititur debili tractionis fundamento ; & præterea ex hac nulla fames in plethoricae esse posset , quandoquidem illi plus sanguinis alimentarii in venis habent , quām corporis nutritio desiderat .

*Neque à  
reliquiis  
fermenta-  
ceis in ven-  
triculo à  
coctione re-  
littis.*

Neque etiam fames ex reliquiis fermentaceis oriri potest , quæ , post elapsum è ventriculo cibum , in eo remanere dicuntur . Cum enim totus cibus in ventriculo fermentetur ; si itaque à fermento illo esset fames , illa esset maxima , cum ventriculus cibo fermentato est plenus ; cum ille , majore sua quantitate , tum majorem vim ventriculum vellicandi haberet .

## C A P V T VII.


### *De Coctione primâ & secundâ ; sive Chyloſi & Chymosi.*

*Cœtio.*

P Ost appetiti alimenti sumptionem , opus est coctione , seu particularum insensibilium , alimenta constituentia , ad alendum præparatione . Quæ duplex est , alia communis ; quæ fit in omnibus totius corporis viis , per quas particulæ alimenti transeuntes immutantur , & ad alitaram præparantur ; alia certis visceribus propria , eaque est præcipua : Quæ rursus triplex :

*Prima ,  
Secunda ,  
Tertia.*

Prima , quæ fit in ventriculo A , & intestinis B ; secunda , quæ in liene D , & mesenterio , atque etiam in hepatæ C , folliculo fellis K instructo ; tertia , quæ in corde E . Quorum illa infra diaphragma F , in abdomine ; & hoc , cum pulmonibus G G , & asperâ arteriâ I , atque œsophago H , nec non venâ cavâ L , & arteriâ magnâ ascenden-



ascendente M , supra diaphragma, in thorace, isto situ, in cane ex. gr. h̄c exhibito , naturaliter continentur.

In ventriculo A & intestinis B fit coctio , cum ali-  
menta ore masticata , & per membranaceum œsophagi  
H , à fauibus per medium thoracem & diaphragma F  
ad ventriculum usque pertingentis , tubum , eò degluti-  
ta, ibique sponte , instar fœni humidi in horreo reclusi ,  
incalescentia , vi caloris, præcipue à corde E iis commu-  
nicati , & humoris calidi & actis , ab arteriis gastricis &  
mesentericis per ventriculi & intestinalorum tunicas sparsis ,  
eò impulsi , & cum alimentis mixti , dissolvuntur , & in  
chylum , seu pultaceam albantemque quandam ma-  
teriam , ibi paulatim convertuntur , eo fere modo , ut  
cibos in olla à fervidis liquoribus , poros eorum pene-  
trantibus , dissolvi , emoliri , aliterque immutari vi-  
demus.

*Qua in  
ventriculo,  
& intesti-  
nis fiat  
coctio.*

*Quod ea  
perficiatur  
adjuvante  
succo acri  
fermenta-  
ceo , ab  
arteriis  
coeliacis  
in ventri-  
culum im-  
pulso.*

Vnde hoc  
conset.

Succum illum calidum & acrem ad hanc coctionem concurrere, constat ex fame, quam ab eo in ventriculum pulso eumque vellicante proficisci diximus; isque, suâ incidendi, calefaciendi & fermentandi vi, coctioni promovendæ est aptissimus.

Dum coctio  
in ventri-  
culo fit, te-  
nuiores  
chylia partes  
transiunt  
in venas  
gastricas  
& vas ve-  
nosum bre-  
ve; &  
crassiores  
in intesti-  
na paula-  
tim propel-  
luntur.

Alimenta  
alia citius,  
alia tar-  
dius conco-  
quuntur.  
Cur diver-  
sa anima-  
lia diversa  
concoquant  
alimenta.

Alimenta deglutita dum in ventriculo concoquuntur, transmittunt tenuiores suas partes, jam satis attenuatas, in venarum gastricarum, vasis venosi brevis, aliarumque per ventriculi tunicas diffusarum poros. Crassiores verò eorum partes deponuntur paulatim & particulatim, ex ventriculo ob pressionem diaphragmatis aliarumque vicinarum partium, nec non ob influxum spirituum, in fibras ejus, isti usitè destinatas, influentium, per pylorum seu inferius ejus orificium, in intestina B, per eaque diffusa coquuntur ulterius.

Coctio illa alimentorum, pro eorum diversitate, alia est celerior, alia tardior. Quæ enim duriora sunt, tardius; quæ teneriora, celerius concoquuntur & distribuuntur.

Et quoniam in diversis animalium speciebus & individuis hic succus est varius, variaque ventriculi in iis, secundùm poros & res alias, temperiem & conformatiōnem ejus spectantes, dispositio, quibus fiunt variis circum alimentorum assūtorum particulas pori, in quibus subtilis materia vel magis vel minus vehementer, vel aliter agitata, ibique aliud atque aliud ignem constituens, particulas istas varie in variis animalibus dissolvit & immutat; hinc fit, ut quædam animalia crudas herbas, carnes, aliaque alimenta satis dura; alia non nisi cocta, eaque tenella tantum possint concoquere, ac diversimodè alterare & mutare.

Varietas,  
ventri-  
corum qua-  
est in va-

Quædam animalia singulos, ut homo, porcus, canis, leo; quædam tres, ut pleraque ayes; quædam quatuor habent

habent ventriculos , ut oves , capræ , boves , qui etiam cibos deglutitos & in os regurgitantes ruminant ; dum cibus assumentus , in ipsorum primo ventriculo , talem acquirit qualitatem , qua ille , ventriculum ad expulsionem per superiora stimulando , in os regeritur , ibique rursus masticatus denuò deglutitur . Aves verò pleraque hoc habent sibi peculiare , quod cibum , in prolobo seu primo ventriculo nonnihil concoctum , pro arbitrio suo possint sibi in os regerere , eoque regesto , vice lactis , pullos suos tenellos alere .

In liene A peragitur coctio , cum pars chyli è ventriculo B , per vas breve venosum C , ejusque ramos , in illum propulsa , ibique cum sanguine , ex arteriis copiosissimis per lienem diffusis in venas ejus transeunte , mista , à calore ejus subigitur ; quæ deinde per ductum splenicum D , cum sanguine ex vena hæmorrhoidalí E in ductum illum interdum ascensente , in venam portæ F , & ex illa porrò in hepar G , ulterius ibidem , cum alio sanguine & chylo in illud ascensente , coquenda , confluit : ut in vivo animali ligatis his vasis docet autopsia .

Vbi enim in vivo animali inter ventriculum & lienem ligatur vas breve venosum , fit vasus istius intumescentia inter ligaturam & ventriculum ; inter ligaturam verò & lienem fit detumescentia : quod indicat per venam illam aliquid à ventriculo ad lienem ferri , & nihil à liene profluere ad ventriculum . Sic etiam si ligatura injiciatur in ductum splenicum , ad oculum patet vas illud intumescente inter ligaturam & lienem ; detumescere verò inter ligaturam & hepar : unde clarè probatur , hepar sanguinem accipere à liene ; nequaquam verò lienem quicquam recipere ab hepate .

In mesenterio fit coctio , dum chylus , per poros intestinorum in mesenterii venas mesaraicas K , & latas

*riis anima-  
libus.  
Ruminatio-*

*Quæ in  
Liene fi-  
at coctio.*


*Vide fig.  
seq. pagin.*

*Quomodo  
alimenta  
in liene  
cocta ad  
hepar  
transeant.*

*Vnde hoc  
conflet.*

*Quæ in me-  
senterio.  
fit coctio.*

*lateas*



& eas L, propulsus, ibidem in rudem chymum conver-  
titur.

Et chymus quidem ex venis mesaraicis, cum sanguine arterioso ex arteriis mesaraicis in illas transeunte mixtus, progreditur in ductum mesentericum M, mox inde, per venam portæ F, in hepar G transiturus.

Chymus verò, in venis lacteis existens, propellitur in magnum chymi receptaculum M & E, inter renem sifistrum P & locum dextri renis D, sub venâ cavâ & arteriâ magnâ, infra diaphragma, intra duplicaturam peritonæi, situm; atque inde per latenter ductum chymiferum ex abdomen sub ventriculo & hepate per diaphragma, in thoracis capacitatem, ramo 3, 4, sub pulmonibus & corde N, in venas subclavias 5, atque inde in venam cavam ascendentem 6, versus cor, cum sanguine in eâ existente, transiens, devehitur in dextrum cordis ventriculum, ibique in sanguinem transmutatur.


In Hepate G fit coctio, cum chylus, primum per infinitos ventriculi B & intestinorum H poros, in venas ventriculi gastricas I, ac mesenterii mesaraicas K, per mesenterium variè dissiperas; & ex his in venam portæ F, ac ex ea deinde in cavum hepatis G, supra renem P positi, non aliqua vi attractrice, quâ sanguis per attractionem ad hepar deferatur, ut pote quæ sit imaginaria; sed solâ fluiditate, & pressione vicinarum partium, ut diaphragmatis, musculorum abdominis, aliarumque, adjuvante sanguinis in corde rarefactione & pressione, sanguinem ex gastricis, mesaraicis, & reliquis imi ventris arteriis, versus hepar, per venas iphis continuas, easque in mesenterio & ventriculo comitantes, & jam commemoratas, nec non per partem venæ cavæ M propellente, delatus, reliquoque sanguini eò confluenti, in radicibus venæ portæ & cavæ, per hepa-

*Quomodo  
chymus ex  
venis me-  
saraicis  
transeat  
ad hepar.*

*Quomodo  
chymus ve-  
narum la-  
ctearum  
in magnum  
chymi rece-  
ptaculum;  
atque inde  
per ductum  
chymiferum  
in thora-  
cem & ve-  
nas subcla-  
vias; inde-  
que in ve-  
nam ca-  
vam, ac  
tandem in  
Cor trans-  
eat.*

*Qus in  
Hepate fiat  
coctio.*

*Quod ali-  
menta ad  
hepar ve-  
niant pul-  
sione, non  
attractio-  
ne, per  
certas ve-  
nas facta.*



tis parenchyma G disseminatis , mistus , ibi in hepatis potis , peculiari modo dispositis , fermentatur , & ut chymicorum more loquar , digeritur , ac in perfectum chymum rubrum abit .

Alimenta autem per illas venas jam enarratas ad hepar G ferri , etiam ex ligaturâ ipsis in vivo animali injectâ , & intumescentiâ in illis inter ligaturam & intestina , detumescentiâ verò inter hepar & ligaturam observatâ , clarè innotescit .

Nec ulla vasorum vel hepatis attractio ex eo probatur , quòd , venâ aliquâ lacteâ vel mesaraïcâ duobus locis ligata , & deinde illâ solâ ligaturâ , quæ hepati est vicinior , solutâ , semper , dum partes adhuc calent , aliquis chymus & sanguis ad hepar moveatur ; quia hoc tantum fit à contractione istorum vasorum spontaneâ , qualis apparet in vesicâ inflatâ , eâque postea apertâ , aliisque corporibus præter modum tensis & libertati suæ postea relictis , & sponte resilientibus ac se se contrahentibus : & præterea huc multum facit humoris , in vasis ligatis contenti , fluiditas .

Nec mirum est chylum , sive partes ejus tenuiores , ventriculo B & intestinis H contentas , ad hepar G , aliaque jam commemorata viscera & vasa facilius ferri , quam per podicem excerni : quia pylorus , sicut & podex , est tantum unus meatus ; & deinde intestina multis mæandris , sursum , deorsum , ante , pone , ad dextram & sinistram , per abdomen variè conglomerantur : unde eorum , quæ in his continentur , vel nullus , vel exiguum potest esse descensus , nisi ventriculi & intestinorum fibris per certa quædam intervalla irritatis , & ab influxu spirituum animalium contractis , ea paulatim & certis temporibus versus podicem deturbentur . Cum interea chyli tenuioribus & fluidioribus partibus , quæ ibi perpetuò à calore magis

*Vnde hoc  
conferet.*

*Objectionis  
solutio.*

*Cur chylus  
ad hepar  
potius ,  
quam alio  
abeat.*

magisque attenuantur , agitantur , & à vicinis partibus , jam enumeratis , fortissimè premuntur , ingressus , per infinitos ventriculi & intestinorum poros , in vas breve venosum , item in venas tam gastricas & mesaraicas , quām lacteas pateat , in easque magnâ vi impellantur , quas illæ ingressæ , cumque sanguine mixtæ , deinde vi agitationis & pulsionis , ad lienem , hepar , & cor necessariò deferuntur ; quia alia via , quā ferantur , non datur.

*Vnde probetur ventriculi & intestino-rum fortis pressio.*

Quantopere autem ventriculus & intestina , eorumque contenta , à vicinis partibus perpetuò premantur , clarissimè ob oculos ponunt paulò latiora vulnera , in abdominis cavitatem penetrantia , ex quibus sæpe ipsa intestina , invitit ægris & chirurgis , magnâ vi , tota ferè foras erumpunt.

*Chylus non tantum la-cteas ve-nas , sed etiam alias ingreditur.*

Existimo verò chylum ingredi venas , non tantum lacteas , sed etiam gastricas , vas breve venosum , & mesaraicas ; primò , quia nulla ratio suadet , cur in illarum , quām harum poros magis sese insinuet ; & deinde , quòd præ fame languentes , ab alimentis sumitis mox refocillentur , cum tamen pylorus in superiore humani ventriculi parte situs , illa non ita celeriter in intestina possit transmittere , nec ulla vena lactea ad ventriculum pertingat : neque ulla præter venas sit via , quæ chylum ad hepar vel cor deducat . Arteriæ enim sanguinem à corde abducunt , nullum ad illud adducunt : ut arteriæ ligatae & intra ligaturam & cor intumescentes , ultra ligaturam verò detumescentes , clare docent . Ad hæc rudimentum fœtus , ipseque fœtus etiam perfectior , nutritur primùm , cum caro hepatis vel placenta uterina ipsi venæ nondum est adnata , solâ venâ umbilicali , per succum alimentarium uteri cavitate contentum diffusâ ; & deinde alimentum à placentâ uterinâ & hepate adnato per venam umbilicalem accipit , cumque ad hepar & cor defert . Simile

quid

quid in pulli in ovo generatione observatur. Atque hinc patet alimentum cordi fœtūs primū per solas venas , & deinde per venas hepatis parenchymate vestitas , suppeditari : atque ideo ( quia par hic est ratio ) ut venæ umbilicalis rami contingunt succum alimentarium , eumque ad hepar & inde ad cor devehunt ; ita alimentum , etiam in natis & adultis , per ventriculi & intestinorum venas , illud contingentes , eodem ferri merito statuendum censeo.

Atque ita etiam constat , nullam venarum lacteum mediatam vel immediatam in hepar insertionem , quâ chymus ulterius perficiendus in illud viscus ex venis lacteis deferatur , requiri , hominemque ex ventriculo & intestinis alimentum satis copiosè in hepar posse transmittere , quamvis nullis venis lacteis forsan sit donatus . Venæ enim ventriculi & intestinorum , jam commemoratae , isti muneri abundè sufficiunt .

Succum autem albicantem , venis lacteis contentum , non chylum , sed chymum appello . Chylus enim tantum in ventriculo & intestinis dignitur & existit : isque , eas partes egrediens , mox in chymum album in venarum lactearum , & in rubrum in venarum gastricarum & mesaraicarum poris , commutatur ; quemadmodum succus alimentarius ex luteo & albumine ovi in venam pulli umbilicalem , etiam ante suum in cor ingressum , hepatisque productionem , transiens , in succum rubrum convertitur .

Atque ita jam commoda ratio , ex iis , quæ jam diximus , reddi potest , cur venæ lacteæ albo succo , & mesaraicæ rubro , repleantur . Si tamen hoc non arrideat , dicendum est , quod venæ lacteæ , ubi succo alimentario ab intestinis suppeditato sunt plenæ , semper albcent ; quod extremitates ipsarum cum nullis arteriis sint continuatae , ac ideo nullum sanguinem ab illis in cavitates suas reci-

*Atque ideo  
non opus  
est , ut ulla  
vena lactea  
hepati me-  
diatè vel  
immedia-  
tè , ad ali-  
menti ab  
intestinis  
suppedita-  
tionem , in-  
serantur.  
Succus ali-  
mentarius ,  
ab intesti-  
nis venis  
lacteis &  
mesaraicis  
suppedita-  
tu , chy-  
mus , non  
chylus , est  
dicendus.  
Cur vena  
lactea pra-  
aliis albi-  
cent.*

piant; cum contrarium fiat in venis gastricis & mesentericis aliisque: in quibus albicans chylus, à ventriculo & intestinis sensim & particulatim subministratus, ob copiosum sanguinem à continuis arteriis in illas perpetuò propulsum, mox ita ruborem contrahit, ut vinum album, in cyathum rubelli conjectum, statim rubidine tingitur.

*Cur illæ  
mox dispa-  
reant.*

Venæ lacteæ, ubi, aperto vivi animalis abdomine, relinquuntur ab omni ligatura liberæ, citissimè omni albicante succo destituuntur: quod multi mirantur, & varias ejus rei causas reddunt. Mihi hæc unica esse videtur; quod, propter apertum abdomen, ex intestinis, jam non amplius, uti solebant, pressis, nullus novus albicans succus in eas, præsertim ubi intestina jam plusculum sunt refrigerata, impellatur; & is, qui in iis existit, spontaneâ ipsarum contractione, quæ præ reliquis vasis, quia illæ succum illum, non semper, sed sæpe post longissima tantum intervalla habent, in iis excellit, in alia vasa totus propulsetur, ipsæque arctissimè claudantur.

*Ascensus  
chymi, per  
ductum  
chymife-  
rum in ve-  
nas subcla-  
vias, non  
fit tractio-  
ne; sed pul-  
sione.*

Nec est, quod quisquam ex hoc chymi, à mesenterio per venas lacteas, & ductus chymiferos, ad venas subclavias ascensu, ullam chymi attractionem, solitariam, vel pulsione conjunctam, colligat. Illa enim hic planè est impossibilis: quia trahens rei attrahendæ non est affixum, atque ideo nullum motū impetum ei imprimere potest. Sola autem pulsio à partium succos alimentarios continentium calore, & succorum illorum effervescentiâ, item à spontaneâ partium chymum continentium & eo distentarum contractione, & vicinarum pressione, nec non ab ætheris in succis alimentariis existentis agitatione, facta, qualem antehac in aliis etiam proposuimus, hic est statuenda, eamque satis validam esse, ascensus ille chymi, per nullam aliam causam explicablem, satis evidenter demonstrat.

Multum

Multum autem juvatur ascensus chymi, per ductum chymiferum ad venas subclavias tendentis, à valvulis, quæ, in venis lacteis & ductu chymifero inventæ, talem situm habent, ut, quicquid illa est ingressum, redire per viam, per quam intravit, nequaquam possit.

*Isque ju-  
vatur à  
valvulis,  
in venis  
lacteis &  
ductu chy-  
mifero  
inventis.*

## C A P V T VIII.

*De Coctione tertia; sive Hamatosi.*

**A**TQUE HÆC DE PRIMÂ & SECUNDÂ COCTIONE. TERTIA COCTIONE, QUÆ EST VERA SANGUIFICATIO, FIT IN CORDE N, CUM CHYmus PARTIM IN HEPATE G JAM PERFECTUS, & IBIDEM CUM RELIQUO SANGUINE AD ILLUD TENDENTE MIXTUS; PARTIM PER DUCTUM CHYMIFERUM 3 4 IN VENAM SUBCLAVIAM 5, & Vid fig.  
pag. 250. INDE IN VENAM CAVAM ASCENDENTEM DELATUS, COR PER VENAM CAVAM; TUM ASCENDENTEM 6, TUM DESCENDENTEM 0, INGREDITUR, ILLUDQUE INGRESSUS IN RUBICUNDUM PERFECTUM-QUE SANGUINEM, PER RAREFACTIONEM PULSIFICAM, À CORDIS CALORE IN ILLA EXCITATAM, COMMUTATUR; & DEINDE, ADJUVANTE SPIRITUUM ANIMALIUM, EX NERVO SEXTÆ CONJUGATIONIS IN FIBRAS CORDIS INFLUENTIUM, PRESSIONE, PER ARTERIAS IN TOTUM CORPUS DIFFUNDITUR, & INDE PER VENAS CONTINUAS TANDEM AD COR REPELLITUR.

VT ALBEDINEM NIVIS, & STIRPIUM, EARUMQUE PARTIUM COLORES, ANTEHAC EX SOLA PARTICULARUM POSITIONE ORIRI DIXIMUS: ITA EXISTIMO SANGUINEM RUBORE, EX SOLA PARTICULARUM POSITIONE, QUAM INTER COQUENDUM IN HEPATE & CORDE & ALIBI ADIPISCITUR, ETIAM TINGI. NIL ENIM RUBEDO CORDIS VEL HEPATIS, AD ILLAM RUBEDINEM SANGUINI COMMUNICANDUM, FACIT; CUMILLA SANGUINI NIHIL DE SUBSTANTIA SUA RUBRA TRIBUANT, NEC ALIÀ RATIONE INTELLIGIBILI ID EFFICERE QUEANT.

*Quæ in  
Corde fiat  
coctione.*



*Vid fig.  
pag. 250.*

*Vnde ori-  
tur rubedo  
sanguinis.*

Sangui-


*Quotuplex  
fit illa co-  
ditio cordis.  
Constitutio  
partium  
cordis.*

Sanguificatio cordis alia est prior , alia posterior.



Quæ ut rectè intelligantur , præmonendum est , Cor F F habere duos ventriculos ; dextrum G G , & sinistrum H H , discriminatos intermedio & crasto ac denso pariete I I : item quatuor vasa ; venam cavam cum suâ auriculâ dextrâ A B , venam arteriosam D , arteriam venosam cum auriculâ sinistrâ E ; & arteriam magnam sive aortam C .

Et quantum ad dextrum ventriculum attinet , ille ha-



bet duo vasa ; venam cavam , & venam arteriosam . Vena cava A B , quæ defert sanguinem per bina sua orificia D E , in dextrum cordis ventriculum , instructa est auriculâ dextrâ F , & tribus valvulis tricuspidibus K L M , foris



foris intro spectantibus, & regressum illapsi sanguinis impeditibus.


Vena arteriosa , vel potius arteria pulmonaria CD, quæ sanguinem ex dextro ventriculo per pulmones in arteriam venosam propellit, munita est tribus valvulis semilunaribus E , F , G , intus foras spectantibus , & sanguinis in pulmonibus existentis redditum à dextro ventriculo avertentibus.

Ast in sinistro ventriculo est arteria venosa & arteria magna. Arteria venosa , vel potius vena pulmonaria H , per quam fluit sanguis è pulmonibus in sinistrum cordis ventriculum, munita est auricula sinistra L , & duabus valvulis foris intro vergentibus, mitralibus dictis , I , K , quibus regressus sanguinis in pulmones impeditur. Arteria magna sive aorta A , quæ sanguinem è corde in totum corpus diffundit , tres habet valvulas semilunares B , C , D , sanguinem è corde egressum ab eo excludentes.

Prior sanguificatio fit in dextro cordis , jam descripti ,  
K k & ner-

*Sanguificatio cordis prior.*





& nervis *a b d e g* instructi, ventriculo *A*, ex sanguine è vena cava, tum ascendentे *N*, tum descendente *X*, in illum influente; qui deinde ex illo, per venam arteriosam *K*, in pulmones *Y Z*, & porrò in ramos arteriæ venosæ *H G*, propellitur.

*Posterior.* Posterior fit in finistro cordis thalamo è sanguine, qui ex dextro ventriculo per venam arteriosam, in arteriam venosam *H G* & auriculam sinistram *F* antea propulsus, ex hac in finistrum cordis ventriculum instillatur, & inde in aortam *O*, tum ascendentem *R*, tum descendentem *P*, magnâ vi, jam satis alteratus, tandem erumpit.

Vtrius-

Vtriusque hæc est historia. Quandoquidem vena cava, <sup>Vtriusque</sup>  
*Historia.*  
 dextro cordis lateri adhærens, & arteria venosa, quæ si-  
 nistro cordis lateri inseritur, sunt vasa valde lata, &, ob  
 circulationem sanguinis mox explicandam, semper ma-  
 gnâ copiâ sanguinis, in illas impulsi, abundant, hinc ne-  
 cessariò, ubi cordis ventriculi sanguine non sunt distenti,  
 & cor jam detumuit, duæ satis magnæ guttæ, una ex ve-  
 nâ cavâ in dextrum sinum, atque altera ex arteriâ venosâ  
 in sinistrum ventriculum eodem tempore influit: quæ,  
 propter suam ad dilatandum aptitudinem, cordisque ca-  
 lorem & reliquias sanguinis ibi ardentes, mox eodem mo-  
 mento in utroque ventriculo accenduntur & dilatantur;  
 quo valvulae, per quas magnæ illæ guttæ sunt ingressæ,  
 clauduntur, & cor, tum propter hanc sanguinis dilata-  
 tionem, tum propter spiritus eodem momento in fibras  
 cordis dilatatorias influentes, celerrimè secundum ejus  
 latitudinem distenditur. Sed quoniam ob angustiam si-  
 num, ex spirituum illo influxu sese validè & multum  
 arctantium, sanguis, magis magisque rarescens & pressus,  
 illuc hætere non potest; idcirco eodem penè momen-  
 to, in dextro ventriculo tres valvulas venæ arteriosæ, intus  
 foras spectantes, aperit; & porrò pressus & à calore agi-  
 tatus per venam arteriosam erumpit, eamque cum omni-  
 bus suis rāmis distendendo, sanguinemque contentum  
 propellendo, pulsare facit: In sinistro vero ventriculo tres  
 valvulas arteriæ magnæ, intus foras spectantes, tum et-  
 iam pandit, per easque in arteriam magnam sese effundit,  
 eamque dilatat, & proximum sanguinem prioribus pulsi-  
 bus calefactum & expulsum, in reliquias totius corporis  
 arterias propellit, easque eo distendit & vibrat. Quoniam  
 autem expulso è cordis ventriculis sanguine, spiritus ex  
 dilatatoriis illis cordis fibris, in alteras determinati, re-  
 fluunt, & sanguis in arteriis refrigeratur, arteriæque in

dilatatione quasdam partes, per poros suos tum magis patentes, foras emittunt: hinc postea cor & arteriae detumescunt & subsidunt. Quo contingit, ut denuo duabus aliis guttis, è vena cava & arteria venosa fluentibus, detur in cor ingressus: quibus rursus dilatatis & propulsis, nova fit cordis & arteriarum dilatatio & subsidentia. Cumque hic sanguinis motus sit perpetuus, hinc sequitur illos alternatos cordis pulsus, quamdiu animal vivit, etiam esse perennes.

Vbi autem cordis valvulae foris intro spectantes, propter sanguinem in cordis ventriculis dilatum clausæ, & versus vasa adhaerentia cum impetu sublatæ, ulteriorem in ipsos influxum impediunt, sanguis in latis venæ cavæ & arteriæ venosæ ostiis sive orificiis circa cordis ventriculos non tantum sistitur, sed etiam impetuose attollitur, & propterea pars ejus in auriculas, sinibus cordis adjacentes, copiosius impulsa, eas replet; quæ deinde subsidente corde, in ventriculos, una cum reliquo in ostiis hærente sanguine, effluit; unde auriculæ postea evacuantur.

*Cur motus  
cordis &  
auricula-  
rum sunt  
contrarii.*

Sunt autem cordis & auricularum motus in dilatando & subsidendo contrarii; quia cum cor depletur, haec implentur: ubi vero haec deplentur, cor impletur: & præterea, quia cum spiritus ingrediuntur in cordis fibras dilatatorias, tum fluunt illi in auricularum prolongatorias; & cum fluunt illi in cordis fibras prolongatorias, tum fluunt spiritus in auricularum dilatatorias.

*Causæ mo-  
tus cordis  
& arteria-  
rum pro-  
xime &  
remota.*

Itaque admirandus ille cordis arteriarumque motus, præter spirituum animalium infibras cordis influxum, sanguinisque in corde existentis rarefactionem, quæ ejus causæ sunt proximæ, à quatuor remotioribus perficitur causis: primo à sanguinis cor ingredientis ad rarefendum aptitudine; secundo à cordis calore; tertio à parte sanguinis, quæ post singulos pulsus ardens, aut tanquam fermentum,

tum, in corde remanet; quartò à cordis vasorumque ejus conformatione. Nec alia vis pulsifica hīc est statuenda.

Spirituum in cordis fibras influxus patet ex cordis, à spiritibus, in animi pathematis, perturbatione: nec non ex cordis, non tantum exsecuti, sed etiam frustillatim dissecuti, palpitatione, utpote quæ à nulla sanguinis fatis validā rarefactione tum proficiscatur. Influunt autem isti spiritus alternatim eodem modo in cordis integri vel exsecuti & dissecuti fibras, ut in caudis vivarum lacertatum amputatis, & in animalibus in somno respirantibus, spiritus modò in has, modò in illas fibras & musculos influere observantur. Potissimum verò spiritus in cordis fibras influentes probat, fortis illa ventriculorum ejus arctatio, quæ digito iis profundè inserto, manifestè in ejus diastrole, sive intumescentiâ, ubi sanguis è vulnere exsilit, in iis sentitur. Rarefactio sanguinis, in corde existentis, colligitur ex sanguinis dilatabilitate & cordis calore. Sanguinis dilatabilitas manifesta est, primò ex spirituosis, oleaginosis, & fermentaceis partibus alimentorum, unde ea originem suam dicit; & deinde ex variis præparationibus & coctionibus, quas in ore, ventriculo, liene, mesenterio, hepate, aliisque partibus sustinet. Calor cordis, praterquam quod tactu in multis animalibus sit perceptibilis, etiam ex eo innotescit, quod illud universum corpus, per sanguinem à se calefactum, & identidem continuoque partibus suppeditatum, ita calefaciat, ut ne vehementior quidem ignis ipsum tanto tamque convenienti & æquali calore, per omnia membra, perfundere possit. Fermentosas sanguinis reliquias in corde remanere constat ex eo, quod cor, propter soliditatem & duritatem suæ substancialę, totum in diastrole sive ejus intumescentia secundum ventriculorum cavitates constringi non possit. Conformatio cordis & vasorum, motui

*Vnde oriantur pulsus varietas.*

Prout autem hæ causæ variantur; variatur etiam pulsus. Nam si illæ ordinatæ, æquales, fortes fuerint, pulsus sunt ordinati, æquales, & fortes: si inordinatæ, inæquales, debiles, pulsus etiam inordinati, inæquales, & debiles evadunt.

*Causis pulsus jam distinctis non adversatur parvus quorundam animalium cordis calor.*

*Vsus & necessitas non sunt inter causas motus cordis numeranda.*

Nec quicquam difficultatis hîc parit parva cordis quorundam animalium, ut anguillarum, carpionum, & similiū, caliditas: quia sanguis illorum ita est temperatus, ut etiam exiguis ille calor ad justam ejus in corde dilatationem excitandam sufficiat; quemadmodum mustum & cerevisiam, multaque alia, citra vehementiorem calorem, rarefcere & intumescere videmus.

Sunt, qui necessitatem & utilitatem generandorum in corde spirituum inter causas motus cordis & arteriarum numerant. Sed male. Cum enim nec cor, nec arteriæ hujusmodi necessitatis & utilitatis sint conscientiae; neque etiam propter eas aliquid agere sunt dicenda.

## C A P V T I X.

### *De cordis & arteriarum pulsu.*

**V**TRIQUE CORDIS SANGUIFICATIONI COMES EST PULSUSS; MINISTRA VERÒ SANGUINIS CIRCULATIO.

*Pulsus Cordis & arteriarum.*

Pulsus est motus, quo cor & arteriæ à rarefciente & protruso per vices sanguine, & cor etiam à spiritibus in fibras ejus influentibus, alternatim intumescunt & sub-sidunt.

Ejus partes duæ sunt: intumescientia, quæ diastole, & subsidentia, quæ systole vulgo dicitur.

*Diastole, sive intumescientia cordis.*

Intumescientia, sive diastole, est pars pulsus, qua cor, tum à spiritibus in fibras ejus dilatatorias influentibus

tum

tum à sanguine , ex vena cava in dextrum ventriculum,& ex arteria venosa in sinistrum in systole illapso, ibidemque jam rarescente ; arteriæ verò à sanguine in corde rarefacto & presso , atque inde in illas erumpente , reliquumque arteriarum sanguinem propellente , & illum ac tunicas earum concutiente ac vibrante , eodem momento , secundùm latitudinem & profunditatem , dilatantur & intumescunt.

Atque hæc arteriarum diastole ipsis manibus est palpabilis. Cordis verò diastole, quæ eodem tempore contingit , oculis , in aperto vivi animalis , & præcipue jam fastigentis , pectore , videri potest. Eodem enim tempore , quo arteria digitum admotum verberat , mucro ad basin accedit , & latera ejus collapsa , quæ costas dextras & sinistras respiciunt , versus mediastinum cordis parietem , eriguntur ; & latus sternum spectans totum ac præcipue ad basin attollitur ; atque ita cor ad oculum intumescit , tenditur , pectus ferit , & , quem sentimus , pulsum facit. Et , si tum temporis cor & arteriæ vulnerentur , ex tumido corde & dilatatis arteriis sanguis eodem tempore exsiliere conspicitur.

Neque hæc pulsus pars ex eo pro systole cordis est habenda , quod abscisso vivi cordis mucrone , ventriculi ejus hîc arctari sentiantur & conspiciantur. Nam diastole cordis , non ex ventriculorum dilatatione , sed ex ipso cordis tumore , qui etiam arctatis ventriculis contingere potest , est aestimanda. Dum enim ex spirituum , in fibras cordis dilatatorias fluentium , copiâ & sanguinis rarefactione mucro ascendet ad basin , & latera collapsa eriguntur , caro seu parenchyma cordis , secundùm latitudinem & profunditatem , ita intumescit , ut illa intumescentia non tantum foris sit conspicua , sed etiam intus in ejus cavitatibus , ab illo parenchymatis tumore angustatis , visu & tactu sit perceptibilis.

*Ejus pro-  
batio.*

*Cur hæc  
pars pulsus  
non sit sy-  
stole dicen-  
da.*

*Systole*

Systole, sive  
subsiden-  
tia cordis.

Subsidentia, sive Systole, est pars pulsus, qua cor, tum propter spiritus in fibras ejus prolongatorias influentes, tum ob maximam sanguinis rarefacti ex eo expulsam partem, detumescit; & simul arteriae, ob sanguinis in eas impulsu refrigerationem, & aliquantam ejus, per poros, in diastole magis dilatatos, evacuationem, concidunt & subsidunt.

Ejus pro-  
batio.

Arteriarum systole, per earum impulsus cessationem, digitis percipitur. Cordis vero systole, in aperto vivi animalis, & praesertim jam fatiscentis, thorace, eodem tempore visu cognoscitur & manibus palpatur. Nam quo tempore arteriae impulsus cessare sentitur, eodem momento videmus latus cordis, sternum spectans, concidere, ibique maximè, ubi orificio aortæ respondet; dextrum vero & sinistrum latus, versus dextras sinistrasque costas, collabescit; mucro recedit à basi, totumque cor, teste sensu tactus, laxum, flaccidum & molle evadit. Vulnerato autem corde & arteriis, nihil sanguinis tum temporis ex iis egreditur; & vulnera eorum concidunt.

Cor nihil  
sanguinis  
attrahit.

Atque ex hac flaccescentia & laxitate cordis, tum temporis perceptibili, clare patet, nihil sanguinis à corde per attractionem, ut vocant, in ejus cavitates tunc moveri. Omnia enim quæ suâ expansione aliquid attrahere, propter fugam vacui, vulgo dicuntur, illa, tempore istius attractionis dictæ, non flaccescunt, nec sunt flaccida; sed cum tunc expandantur, idcirco necessariò tenduntur & indurantur, imo sëpè jam tum sunt dura & tensa, ut in aëris in thoracem vel follem inspiratione; & lactis vel fumi tabacarii, per os vel fistulam, suctione; & aquarum, per siphonem suctoriū, sublatione; multisque aliis, cuiilibet experiri est obvium. Contra vero ubi cor, ut diximus, in systole est flaccidum, tum sanguis, in dia stole cordis per arterias & iis continuas venas ad cor pulsus,

sus, facillimè & sine ullo obstaculo, vi impetus sibi in diastole cordis impressi, in cavitates ejus laxatas tempore subsidentiae influere potest.


## C A P V T X.

*De sanguinis Circulatione.*

**S**Anguis circulatio, quam sanguificationi cordis, jam explicatæ, ministrare diximus, est motus, quo sanguis <sup>Sanguinis circulatio.</sup> è corde per universi corporis arterias propellitur in venas, quæ arteriis ubique sunt continuæ, & è venis porrò repellitur in cor.

Cum enim Cor E ab una parte habeat arteriam magnam M, ab altera venam cavam L, quarum propagi-

*Ejus modus, & ratio.*



nes & rami per totum corpus dispersi, & in capillaria vasa atte-

attenuati, sine ulla interruptione inter se continuantur; quod clarè arguit sanguinis ascensus per venas plurimas conspicuus, qui per carnes extra vasa transire nequit, ut pote necessariò ibidem coagulandus; nec usquam alium, quam per venas transitum invenire potest: Cumque omnes venæ & arteriæ sint sanguine plenæ. Itaque sanguinis aliquantâ parte, vi fervoris & pressionis, è cordis thalamis in arterias satis validè propulsâ, necessariò tantundem in continuas totius corporis venas, & consequenter versus cordis ventriculos repellitur.

*Cur ab impulsu sanguine pulsant arterie; non autem venæ.*

Dum autem sanguis, validâ illâ rarefactionis & pressionis, jam antea descriptæ, vi, ex corde in arterias & hinc in venas propellitur, omnes corporis universi arteriæ uno momento pulsant & vibrantur, quia sanguis à capite arteriarum latoe, & majore ob cordis viciniam impetu, pellitur in sanguinem, arteriis se paulatim magis magisque angustantibus contentum: venæ verò non pulsant, quia sanguis ex arteriis capillaribus & minoribus in venas, se paulatim magis magisque dilatantes, & minore ob cordis distantiam impetu, se insinuans, sanguinem venosum quidem potest propellere, ipsas verò venarum tunicas sensibiliter nequit vibrare.

*Cur aneurismata pulsant, quamvis arteriæ sint latiora.*

*Nec Cor, nec quidvis aliud, potest atrahere, quod ipsi non est affixum.*

Potissima autem ex his vibrationis arteriarum causis est validus ille impetus, qui sanguini arterioso à vicino corde satis validè est impressus, eique copiosè inhæret. Atque id è contingit, ut aneurismata ab impulso in illa arterioso sanguine plerumque satis vehementer pulsant; quamvis illorum cavitas arteriarum cavitatem ingenti latitudine sæpe superet.

Cùm verò hic motus cordis & sanguinis eo contenti tantus sit, ut ille sanguinem totius corporis per arterias & venas propellere, & per totum corpus diffundere, atque ad cor repellere possit, isque quam maxime sit intelligibilis

telligibilis & sufficiens , nulla ratio suadet , ut cordi ullam vim attractricem magneticam , alituræ causâ institutam , vel aliam non intelligibilem , & superfluam attribuamus ; præsertim cum nulla attractio detur , nisi attrahens rei trahendæ alligatum vel aliâ ratione affixum fuerit : nam trahens alioqui nullum satis validum , ut antehac diximus , motum corpori attrahendo imprimere potest , idque in equis , manibus , uncinis , hamis , harpagonibus , vinculis , aliisque innumeris tractoriis instrumentis , etiam validissimis , nihil tamen citra affexionem trahentibus , est evidentissimum .

Neque his attractiones vulgares magneticæ , electricæ , alimentariae , similitudinariae , sympatheticæ , vacui - fugitoriae , vel aliæ similes , ob veram pulsionis causam in iis ignoratam efficitæ ; & multis rebus male attributæ , hic quicquam obsunt : Cum in omnibus istis motibus nulla sit attractio , sed sola pulsio eos revera efficiat ; uti antehac jam in plurimis demonstravimus , & porro datâ occasione demonstaturi sumus .

Propulsionem illam sanguinis , à corde , per totum corpus eum propellente , factam , juvat spontanea vasorum sanguine repletorum contractio , quâ subtili materiâ in eorum angustatos fibrarum poros vehementius impingente , ea sponte contrahuntur , & res contentæ in iis ulterius ita propelluntur ; ut è vesica suillâ , aëre inflato plenâ , ubi os inflantis à fistulâ urethræ insertâ amovetur , maxima inclusi aëris pars , per talem spontaneam contractionem , ex ea mox expellitur .

Hæc spontanea vasorum contractio est causa , quod nonnulli moribundi , jam cessante sanguinis circulatione , aliquamdiu vivant , & tandem morientes venam cavam , omni penè sanguine destitutam , anatomicis , cadavera eorum forte aperientibus , exhibeant . Dum enim sanguis il-

*Objectio-  
num solu-  
tio.*

*Propulsi-  
onem cordie  
juvat spon-  
tanea va-  
sorum con-  
tractio.*

*Quomodo  
moribundi  
aliquam-  
diu possint  
vivere sine  
sanguinis  
circulatio-  
ne.*

lorum, citius in venis minoribus & à corde remotioribus, quām in majoribus & cordi vicinioribus, refrigeratur & incrassatur, motus consuetus sanguinis, ex arteriis in venas transeuntis, sistitur. Verūm vena cava sanguinem calidum & fluidum etiamnum continens, sponteāque istā contractione sese contrahens, suppeditat cordi aliquamdiu fomitem vitalem; quo exhausto, emoriuntur ægri, omni penè sanguine in venâ cavâ destituti.

*Vitalitas circulationis sanguinis.*

Sanguinis circulatio ex eo dicta est, quòd tota sanguinis moles, quæ satis fluida est, nec obstacula invenit, circulum quendam, ex arteriis in venas, & ex venis per cor in arterias transeundo, singulis diebus compluries conficiat, qui sanguificationi & vivificationi quam maximè est necessarius. Cùm enim coctio sanguinis in corde non sit longa ejus, tanquam carnium, quæ in olla decoquuntur, maceratio; sed tantùm celeris quædam ejus partium, per vices cor transeuntium, rarefactio & attenuatio, quæ ob conformatiōnem nostri corporis aliter fieri non potest: idcirco sanguis non uno perficitur per cor transitu, sed plurimis coquitur reciprocationibus, in quibus modò hæ, modò illæ particulæ corpori alendo evadunt aptæ. Et quoniam corporis nostri constitutio est talis, ut sanguis in partes propulsus ibidem refrigeretur, & diutius ibi commorans ineptus ad alendum evadat, ideoque perpetuus ejus ad cor, utpote omnis caloris fontem, debet esse per circulationem reditus: cum cor, etiamsi instat ferri candens caleret, illum aliter calefacere non posset.

*Crassa sanguinis partes ali- quando non circu- lantur.*

Dum autem sanguis per vasa circulatur, sæpè in venis varicosis, hæmorrhoidalibus, aliisque crassum sanguinem continentibus, contingit, ut, crassioribus sanguinis partibus ibi manentibus, solæ tenuiores per crassorum interstitia in alia transeant vasa; quemadmodum profluente fossarum aquæ, per juncos & fordes, in iis hærentes ibi que

que manentes , s̄epissimè inde in alios rivos satis commode transire cernuntur. Et quamvis motus ille circulationis sit magnus , attamen non est tantus , ut , si sanguinis partes in diversis locis valde sint dissimiles , ex in venarum angustiis eo exacte inter se misceantur ; atque hinc s̄aþe usuvenit ; ut in unâ eademque sanguinis per phlebotomiam evacuatione , sanguis primò floridus , postea nigricans , & denique rursus floridus , è vena incisa emitatur.


*Motus circulationis non potest sanguinem ubique facere homogeneum.*

Sanguinis circulationem indubitatam facit ingens illa *Sanguinis circulationis præcipua rationes sunt* copia , quæ ex corde in arterias perpetuò effunditur. Cum enim è corde canis non valde magni , ubi arteria magna prope cor ipsi vivo est recisa , interdum semuncia , s̄aþe dragmæ tres , nonnunquam duæ , interdum una , uno pulsu subsultim egrediatur ; non est dubitandum , quin è corde hominis fani & validi , utpote fortiore & calidiore , si non plus , saltem tantudem singulis cordis pulsibus in arterias se effundat . Verum ut res tanto sit credibilior , ex isto experimento hīc præsupponemus singulos pulsus tantum unum sanguinis scrupulum , vel viginti granorum pondus , arteriis suppeditare . Vnde sequitur , cùm , in homine mediæ ætatis & temperamenti moderationis , unâ horâ fiant pulsus plus minus ter milie , unius horæ spatio decem , & duabus horis viginti libras sanguinis , seu 5760 scrupulos , ad minimum è corde in arterias propelli . Cumque tanta sanguinis copia in universo nostro corpore non contineatur , ac proinde nec alimenta assumta , nec venæ solæ tantam ejus quantitatem cordi possint exhibere . Necessarium itaque est sanguinem ex corde in arterias , & ex arteriis in venas , & inde rursus per cor in arterias , perpetuò circulari .

*Magna illa sanguinis copia , ex corde in arterias perpetuò transiens.*

Eadem patet ex valvulis A , B , quæ nunc unæ , quales A , nunc geminæ , quales B , in venis artuum , jugulari-

*Valvularum in venis existentium situs.*



bus, mesaraicis, emulgentibus, venâ azygo, pectoralibus, ductu splenico, & multis aliis, existentes, talem situm habent, ut sanguini, à partibus ad cor facilem; nullum vero à corde ad partes tendenti, transitum præbeant. Contingit quidem nonnunquam, ut una vel altera valvula haud exactè omnem meatum claudat: pleræque tamen, suâ flexibilitate se ad cavitatem & figuram venarum exactè accommodantes, hoc agunt accuratissimè. Nam ipsis oculis est perspicuum, eas ne flatum quidem, nedum sanguinem ultra eas tendentem, transmittere.

3.  
*Venarum  
ligatarum,  
& compref-  
sarum,  
ultra vin-  
cillum in-  
jectum,  
intumes-  
centia.*

Eandem firmissimè etiam probat intumescentia, quæ in venis jugularibus, cruralibus, mesaraicis, spermaticis, omenti, ventriculi, venâ portâ, venâ cavâ, aliisque innumeris, in vivo animali ligatis, ac ultra ligaturam, in parte à corde remotoire, intumescentibus, & cis ligaturam in parte cordi vicinore detumescentibus, conspicitur. Ex eo enim est manifestum, (cum ultra illas ligaturas nullum sit cor

sit cor vel hepar , quod sanguinem illum eo per venas impellere possit,) sanguinem à corde per arterias in venas iis continuas perpetuò, quantum potest, propelli; eumque, obstaculo ligaturæ injectæ retentum , intumescentiam ibi eodem modo efficere , ut aqua in fluvio , ab injecto aggere retenta , ea parte unde provenit, in magnum tumorem attolli solet. Idemque propter eandem causam, confirmat quotidiana chirurgorum experientia ; qui vinculo , ad phlebotomiam instituendam , parti alicui injecto , eoque moderatè , sine arteriarum subjectarum nimiâ arctatione, adstricto , animadvertisunt, non cis, sed ultra vinculum venas intumescere , atque illis ibidem incisis , sanguinem maximo cum impetu effluere : & sanguine jam effluente, si digitus , ultra vulnusculum, in venâ factum, collocatus, eam comprimat , sanguinis effluxum mox sufflaminari ; si verò digitus , intra vulnus & ligaturam positus , cavitatem venæ exactè claudat, sanguinis effluxum nihil immuni , sed potius augeri. Hæc enim , cùm nec à dolore, nec à calore , nec ab aliâ simili causâ fieri possint : sequitur illa à sanguine , ex arteriis per circulationem in continuam venam ad ligaturam usque propalso , & ex vulnere erumpente , tantum oriri.

## C A P V T XI.

*De Respiratione.*

**P**osteriori sanguificationi , quam in sinistro cordis ventriculo perfici antea diximus , inservit respiratio : quæ est thoracis alterna dilatatio & contractio , qua aër per asperam arteriam modò in pulmones, ad sanguinem , qui in venis eorum existit , refrigerandum , impellitur ; modo ex iisdem , cum fuliginibus & vaporibus , ejicitur.

Nisi enim sanguis , per venam arteriosam è dextro cor- *Ejus usus.*  
dis


dis ventriculo egressus , ab aere inspirato refrigeretur , & antequam sinistrum cordis thalamum ingrediatur , rursus condensetur , non potest ignem , qui in sinistro ventriculo ardet , novo fomite nutritre & conservare . Atque ideo in æstuario nimis calido , & alibi , ubi aer nimis fervet , animi deliquium patimur . Neque hoc mirandum ; nam non quilibet ignis à quovis etiam calidiore foveatur fomite ; quod in calce viva , & fæno novo horreis inclusio , est manifestum : illa enim aquâ communi perfusa vehementius incalscunt , oleo vero vel spiritu vini humectata , calorem suum perdunt .

*Usus ejus  
probatio.*

Hic verus respirationis usus primum ex eo est clarus , quod animalia , quibus tantum unus est cordis sinus , etiam pulmonibus careant : & deinde , quod fetus in utero exsistens , ubi illo respirationis usu destituitur , duobus peculia-


ribus , præter communes , instructus sit meatibus .

Vnum enim habet meatum F , qui instar canaliculi est , per quem pars sanguinis , in dextro cordis sinu rarefacti , ex illo in aortam B C D transmittitur , parte alterâ in pulmones per venam arteriosam E in pulmo-  
nes



te alterâ in pulmones per venam arteriosam E in pulmo-  
nes

nes G abeunte : & alterum 4, ob figuram oviformem,  
foramen ovale dictum, valvulâque 5, in sinistrum cordis



ventriculum 7 spectante, munitum, pér quem pars sanguinis, in sinistro cordis sinu rarefaciendi, è venâ cavâ 1. 3. 2 ; prope venæ coronariæ orificium 3 , in sinistrum illum thalamum 7 defluit ; & parti alteri sanguinis, per arteriam venosam , è pulmonibus & dextro cordis ventriculo 6 venienti, admiscetur. Huc accedit, quod anates, buteonés, castores, anseres, olores, aliaque hujusmodi animalia aquatica , quæ , capite sub aquis versantia , non respirant, eandem , quam uterini aliorum animalium fœtus , cordis vasorumque ejus per totam vitam habeant & servent conformatiōnem. Inde enim clarè patet respirationem sanguini in dextro ventriculo rarefacto, & , ante-

M m

quam

quam in sinistrum ventriculum transeat, in pulmonibus condensando, & ita secundæ ejus rarefactioni, in sinistro ventriculo faciendæ, tantum inservire: & ubi animalia illa respirare non possunt, sanguinem aliâ viâ incidentem refrigerio respirationis nihil indigere.

Respirationis partes duæ sunt: inspiratio & exspiratio.

*Inspiratio.*

Inspiratio est pars respirationis, in qua thorax, vi muscularum inspiratoriorum, & præcipue diaphragmatis depressione, dilatatus, ætherque in poris aëris existens, eumque suo impetu, quantum potest, perpetuò vehementer dilatans & extendens, aërem per os & nares, in asperæ arteriæ bronchia, infinitis suis ramis per spongiosam pulmonum carnem diffusa, ad sanguinis in pulmonibus existentis, eoque à dextro cordis ventriculo missi, refrigerationem, impellunt.

*Exspiratio.*

Exspiratio est pars respirationis, qua thorax, vi muscularum exspiratoriorum contractus, aërem calidorem & fuliginosos vapores, è pulmonibus, per os & nares, expellit.

*Aér inspi-  
ratus, pro-  
pter pulsio-  
nem, non  
ob fugam  
vacui, in-  
greditur  
pectus.*

Aér itaque in inspiratione pectus ingreditur, non propter fugam vacui attractus, vel sponte citra pulsionem eò sese conferens; cùm attractio vel spontanea talis ingressio nulla ob fugam vacui unquam detur, nec dari possit, uti antehac est probatum: sed quia ob thoracis dilatationem, ætherisque in aëre existentis impetum, vicinus aér (qui, teste experientiâ, nec poros pectoris ob crassitudinem suam satis copiosè & celeriter penetrare, nec nisi magnâ vi, propter vehementem particularum suarum perpetuò inter se volitantium expansionem & dilatationem, ab æthere, aërem continuò vehementerque percurrente & agitante, factam, condensari potest,) de loco, propter magnam suam fluiditatem, facile deturbatur, ac is porrò alium loco movet, &, cum omnia corporibus plena sint, nec vel minimum sit vacuum in totâ rerum

rerum universitate; hinc necessariò aér à pectore & alio aëre sic pulsus, & ab æthere illum intercurrente agitatus, in thoracem sese dilatantem, per asperam arteriam, adigitur; ubi spatium eodem tempore fit, ad aërem, qui loco deturbatur, recipiendum: idque eodem modo, ut, in follis ventilatione, aëris in illum impulsu quotidie fieri videmus.

Atque hæc de respiratione in aperto & libero aëre facta, sunt intelligenda. Si autem contingere; ut aliquis in vase undique exactissimè clauso sedens, & fistulam, per vasum parietem, in aërem externum exirentem, ore suo arctè tenens, pectus, naribus clausis, ad respirandum dilataret; tum aér vasum internus, ex vase egredi nequies, vehementi quidem pectoris dilatatione condensaretur, sed per exterius fistulæ orificium pectus ingredi non posset. Verum tum aér externus, à subtili intercurrente materiâ agitatus & expansus, mox in cavitatem expansi thoracis, non ob fugam vacui, sed ob impetum à subtili materiâ ipsi impressum, se, quam posset celerrimè, ingereret.

*Si quis in  
vase undi-  
gue clauso  
per fistulam  
vasum parie-  
tes tran-  
seunt re-  
spiret, tum  
impellitur  
aér in pe-  
titus per fi-  
stulam ab  
æthere,  
aërem in-  
tercurrente  
& agitante.*

Hic autem querat aliquis, cur aér, tenui filo per aperturam aërem in oppositam manum exspiratus, frigidior; patulo vero ore in illam efflatus, calidior sentiatur. Respondeo: quia aér, à pulmonibus calens, dum tenui filo per aërem frigidum exspiratur, facile, propter fili istius tenuitatem, à frido aëre, quem transit, refrigeratur: patulo verò ore exspiratus, quia crassior est & majus in aëre spaciū occupat, non ita facilè, propter illam crassitatem, ab aëre circumstante refrigerari potest. Simile quid apparet in tenui ferreā fidiculā, & crasso aliquo ferramento, ab igne carentibus, & postea inde extensis: quorum illa mox ab aëris contactu refrigeratur; hoc verò calorem suum, adversus externi aëris frigus, diu servat incolumem. Aér itaque tenui filo ita exspiratus, magisque eo refrigeratus, quia vi vehementioris istius exspi-

*Cur aér,  
tenui filo  
exspiratus,  
frigidior;  
patulo ore  
efflatus, ca-  
lidior sen-  
tiatur.*

rationis in penitiores cutis partes , exterioribus magis calentes , adigitur , necessariò majoris frigiditatis ( instar venti in cutem vehementius impulsi , de quo antehac pag. 189 egimus ) quam aér tranquillus , vel patulo ore exspiratus , facit perceptionem . Et , ut res magis sit perspicua , admoveatur ori pugnus , in fistulæ formam aliquo modo excavatus , & effletur per illam pugni cavitatem aér in pulmonibus calefactus , semperque , sive tenui , sive crasso filo efflaveris , illum calidum senties ; quia , dum manus conclusa utrumque à frigore aëris externi æquè defendit , uterque etiam calorem suum æquè conservat .

Respiratio alia voluntaria est , alia spontanea .

*Respiratio  
volunta-  
ria.*

Voluntaria est , quâ anima , nobis volentibus & cogitantibus , spiritus animales in musculos inspiratorios & expiratorios vicissim determinando , pectus modò contrahit , modò dilatat .

*Spontanea.*

Respiratio spontanea est illa , quæ fit , nobis dormientibus , vel aliter animum non advertentibus , à certa cerebri & nervorum respiratoriorum conformatione , qua spiritus animales , citra nostram cogitationem , modò in inspiratorios , modo in expiratorios musculos fluunt . Qua ratione autem spiritus ab anima determinari , vel sponte in hos vel illos musculos certis vicibus influere eosque moveare queant , in doctrina de motu spontaneo & voluntario postea docebimus .

## C A P V T XII.

*De alimenti Distributione , excrementorum Separatione , & Excretione .*

*Distributio  
alimenti.*

P Ost coctionem peractam opus est distributione ; cum qua saepè conjuncta est separatio .

Distributio est alimenti cocti in varias corporis partes protrusio . Eafit

Ea fit vel pressione vicinarum partium, vel rarefactione & fluiditate rei distribuendæ, vel agitatione corporis contenti & continentis, certo modo figurati; quod ex iis, quæ de chyli è ventriculo & intestinis in venas gastricas mesaraïcas & lacteas, & sanguinis è corde in totum corpus translatione diximus, satis clarum esse videtur.

Neque est, quod hic metuamus, ne per poros, per quos chylus in venas mesaraïcas & gastricas se insinuat, sanguis in ventriculum & intestina se effundat. Aliter enim figuratae & complicatae sunt particulae sanguinis, aliter chyli; ita ut unæ possint transire poros, quos alteræ non possunt: & præterea multi meatus ita sunt adaptati, ut ingressui alicujus corporis pateant, egressum verò impediant: quod in nassa piscatoria, quam pisces facile ingrediuntur, difficulter verò egrediuntur, cuivis est perspicuum.

Verum hic est observandum, quod dum sanguis ex sinistro cordis ventriculo in aortam erumpit, partes ejus calidissimæ & spirituosisimæ, utpote vehementissimè motæ, ad lineam rectam per arterias carotidas tive jugulares in cerebrum, quantum poslunt, tendant, aliasque minus vehementer motas de loco deturbent. Quæ verò ex calidissimis, propter aliarum calidissimarum impedimentum, à cerebro avertuntur, illæ alias minus celeriter motas de loco deturbantes, & versus inferiora ad rectam lineam tendentes, testes & reliquas partes genitales pertinent. Vnde manifestum est; dum partes sanguinis minus calentes ex legibus motu ad laterales partes deturbantur, cerebrum & genitalia magnâ spirituosi sanguinis copiâ, præ cæteris partibus, necessariò abundare.

Separatio est alimenti ab excrementis secretio.

Hæc motu, figurâ, situ & magnitudine, tum pororum corporis, tum partium secernendarum, instar cibrationis,

*Quomodo  
ea citra  
attractio-  
nem fiat.*

*Cure calidif-  
fimæ & spi-  
rituosisimæ  
sanguinis  
partes ad  
cerebrum  
& genita-  
lia feran-  
tur.*

*Separatio  
ejus ab ex-  
crementis  
quid sit, &  
quomodo  
ea fiat.*

peragitur; non ab anima seu mente, neque etiam ullâ attractione vel spontaneâ coitione. Si enim hæc separatio à mente fieret, illa ejus esset conscientia; cùm ea solarum actionum cogitativarum sit principium. Excrementorum verò attractio & spontanea coitio sunt rejiciendæ; quia non sunt manifestæ vel intelligibiles, nec probatæ. Cùm verò partes corporis varios poros, & excrementa variarum figuratum & magnitudinum habeant particulas, nihil magis credibile est, quām eas, tanquam cribrando, in variis partibus separari & colligi.

*Interior  
ejus expli-  
catio.*

Vt autem melius intelligatur, quomodo per motum & reliquias nostras causas, alia excrementa in his, alia in aliis separantur & colligantur locis, sciendum est vasa, ex quibus excrementa egrediuntur; & in quæ se se insinuant (qualia sunt in hepate, renibus, genitalibus, aliisque corporis partibus) non tantum majora, crassiora, & densiora esse, sed pleraque etiam minora, tenuia & porosa, imo quoque capillaria, & capillaribus subtiliora, in eaque excrementa potissimum propelli, atque ex iis paulatim in majora & conspicua, ac tandem in magna receptacula, ut folliculum fellis, pelvem renum, vesicam urinariam, & alia delabi; ac denique per naturales meatus excerni. Quod verò plurima sint vasa, quæ non oculis, sed mentis imaginatione & judicio sunt conspicua, patet ex cute, quovis loco ictu aciculæ vulneratâ, & sanguinem non coagulatum emitente; quippe qui necessariò ex vasis capillaribus & inconspicuis prodeat.

*Excremen-  
ta.*

Excrementum est, quicquid ab alimentis post coctionem separatum, è corpore est excernendum.

Estque crassum, vel tenue.

*Feces alvi  
quomodo  
colligan-  
tur, &*

Crassi excreimenti separatio fit in ventriculo & intestinis, dum tenuioribus chyli partibus per eorum poros effluentibus, & tanquam cribrando expulsis, crassiores ejus partes

partes in intestinis, ob vasorum angustiam, solæ relin- *quibus con-*  
quuntur, per alvum postea excernendæ. *stent par-*  
*tibus.*

Ad fæces alvi communiter accedunt humores biliosi à folliculo fellis & pancreate, sæpeque etiam alii a venis mesaraïcis, ac potissimum à corde per arterias mesaraïcas & cœliacas in intestina & ventriculum propulsî.

Sunt præterea alia excrementa crassa, aurium *Aurium* fordes; quæ sunt excrementa crassa, flava, amara, in mea- *fordes.*  
tu auditorio collecta.


Excrementum tenuë est liquidum, vel vaporosum.

Liquidum est pituitosum, biliosum, serosum, lacteum, sanguineum.

Pituitosum est, quod in partibus quibusdam ori & palato vicinis, à sanguine eo à corde impulso secretum, instar pituitæ vel aquosæ materiæ, ex natibus vel ore excernitur. Tale est mucus, qui circa nares è cerebro defluit; & spu- *Mucus,*  
tum, quod circa palatum è glandulis pituitariis, circa ba- *Sputum,*  
sin cerebri existentibus, dilabitur; ac saliva, quæ circa *Saliva.*  
fauces, ab humoribus in tonsillas & alias spongiosas ea-  
rum partes à corde propulsis, ibique separatis, dignitur.


Biliosum excrementum est bilis flava, quæ ferè tota à *Bilis.*  
sanguine in hepate & circa illud separata, partim per plurimos ramusculos bilarios XX, per hepar disseminatos, in ductum hepaticum A, partim à corde per arteriam cysticam B, in folliculum fellis C, & inde in ductum cysticum E, atque hinc porro in communem meatum cholodochum D, ac ex eo in intestinum jejunum F, propellitur, ibique cum fæcibus chyli mixta, per alvum denique excernitur. Reliquus autem sanguis, à corde ad folliculum fellis propulsus, qui neque in bilem, neque in nutrientum folliculi abit, ille per venas cysticas G fertur in hepar; ibi cum chymo & alio sanguine mi-  
scendus.

Memora-



*Valvulae*,  
qua in du-  
ctibus bila-  
riis saepe in-  
veniuntur.  
Memorabiles in istis ductibus bilariis sunt valvulae; que  
suo situ foras spectante impediunt, quo minus bilis ex  
hepate egressa in illud possit redire; nisi forsan illae, à spi-  
ritibus per nervum hepatis insertum apertæ, bili redditum  
in hepar concedant, quod in ira saepe contingere, subita  
sanguinis in iratis, ab admistâ bile, effervescentia proba-  
re videtur.

Biliosum  
excremen-  
tum pan-  
creatis.




Ad biliose ex-  
crementa illud  
etiam est refe-  
rendum, quod  
ex pancreate A  
B, sub ventriculo  
sito, & lieni C D  
variis in cibis  
E F G annexo,  
per ductum quendam nuper inventum H I, in intesti-  
num duodenum K L, foramine M, in quod meatus  
cholo-

cholodochus N s<sup>e</sup>pissime sese insinuat, excernitur.

Serosum constat particulis falsis & aqueis; estque urina, sudor, lacryma.

Vrina est excrementum serosum, ab excrementitia b<sup>i</sup>le tinctum, quod à corde cum sanguine arterioso ex aorta A, per arterias emulgentes B B, identidem & conti-



nuatis vicibus, in renes C C expulsum, ibique à sanguine, inde per venas emulgentes D D in venam cavam E revertente, vel in renum nutrimentum abeunte, separatum, & per pelvem F ac ureteres G G in vesicam H H delapsum, tandem per urethram I I, in utroque sexu, evacuatur.

N n

Ne

*Cur circa  
podicem  
& collum  
vesicæ sit  
sphincter.*

Ne verò urina intempestivè excerneretur ; natura , ut circa podicem ad fæces tempestivè excernendas fecit muscularum quendam sphincterem , ita etiam collo vesicæ dedit alterum sphincterem K , qui à copiâ urinæ , vesicam repletis , stimulatus & apertus , urinam certis intervallis emittit.

*Cur serum  
sanguini  
admixtum  
cordi non  
noceat.*

Neque serum , vel quodvis aliud excrementum , quod sanguine mixtum cor perpetuò transit , ullum damnum cordi , si sit moderatum , unquam infert ; cum illud à calidioribus & spirituosisoribus sanguinis partibus tempereatur , & serum etiam illas suâ aquositate temperet.

*Sudor.*

Sudor est excrementum serosum , quod è poris vasorum & habitus corporis vi caloris cordis expulsum , tandem per cutem humoris specie egreditur.

*Cur san-  
guis cum  
sudore &  
urina non  
excernatur.*

Sanguis cum sudore vel urinâ non excernitur , quamvis sero sit tenuior : quia particulæ sanguinis sunt ramosæ , & inter se magis complicatae ; serosæ verò sunt læviores , atque ideo faciliùs à se mutuò separantur , & per poros ejiciuntur.

*Lacryma.  
Cur ha-  
tristitia  
ex oculis  
fluant.*

Lacrymæ sunt guttæ serosæ , ex oculis decidentes.

Hæ plerumque ex oculis præ tristitia effluunt , propterea quod per eam spiritus in cerebro ita moveantur , ut illi apti evadant poros vasorum circa oculos existentium in tantum aperire , ut serum copiosius , cum sanguine eò delatum , lacrymarum specie , ex carunculis lacrymalibus , in canthis oculorum majoribus existentibus , cœrumpat.

Lacteum excrementum est , quod instar lactis albicat . Estque lac , vel semen .

*Lac.*

Lac est succus ille albus , qui ex sanguine , à corde per arterias in glandulas mammilarum propulso , ad fœtūs nutrimentum , per papillam exsugendus , gignitur .

*Sanguis  
qui in lac  
abit , minus*

Sanguinis partes , quæ in lac abeunt , minus generosæ & spi-

& spirituosæ esse videntur ; propterea quod lactis , citra <sup>est genero-</sup>  
ullam debilitationem , sæpiissimè maxima à fœminis la- <sup>sus.</sup>  
stantibus fiat evacuatio.

Cum autem sanguis diversissimis constet partibus , ac  
proinde etiam talibus , quæ in lac abire possunt ; nulla cau-  
fa est , cur ad chylum , ab intestinis per longissimos vena-  
rum & arteriarum anfractus , ad ubera delatum , tanquam  
commodissimam & proximam lactis materiam , confu-  
giamus.

Illud gignitur in fœminis sub tempus partus ; & , si <sup>Quando e</sup>  
mammæ fugantur , sæpe per multos annos ejus durat <sup>cur illud</sup>  
generatio. Hujus rei causa videtur esse certa dispositio <sup>gignatur in</sup>  
fœminis. <sup>fœminis.</sup>  
sanguinis & corporis muliebris , à foetu in utero ejus ex-  
sistente orta , & per multos annos in corpore & sanguine  
ejus perdurans , quâ ille aptus evadit ad glandularum  
mammariarum poros aperiendum , risque sese insinuan-  
dum ; unde in transitu ejus particulæ à glandulis illis ita  
disponuntur , ut colorem album & reliquas lactis proprie-  
tates contrahant.

Sunt & alii , præter fœminas fœtas , qui subinde lac in  
mammillis habent , ut ex.gr. infantes quidam recens nati ;  
idque ex eo fit , quod ex aliâ causâ eorum ubera & san-  
guis ita disponantur , ut ex eo in iis lac gigni possit.


Quid sit semen , in generationis doctrinâ inferiùs ex-  
plicabimus. Hic tantum monendum , id sub tempus pu-  
bertatis à calore tum temporis satis aucto , ex parte san-  
guinis arteriosi , à corde ex arteria magna A , per arterias  
spermaticas L L , in testium paraftatas , seu vasa eorum  
inter se conglomerata M M , delati , & ibidem præpara-  
ti , incipere gigni ; eamque deinde per vasa deferentia  
N N , in vesiculos seminarias & glandulas prostatas O , in  
viris circa sphincterem vesicæ K , & in fœminis circa col-  
lum uteri P existentes , propelli , ibique in perfectum

N n  $\varphi$  semen

*Cur illud  
etiam in  
aliis obser-  
vetur.*

*Seminis ge-  
neratio.*

*Ea perfici-  
tur in pro-  
statis &  
vesiculos sé-  
minarias.*



semen converti. Reliquum verò sanguinem eò propulsum, partim abire in istarum partium nutrimentum, partim per venas spermaticas dictas Q Q, redire in venam cavam E: idque immediate in latere dextro; mediately verò; in sinistro, per venam emulgentem D, venæ cavæ E sese insinuantem.

*Non in testibus.* Multi existimant, semen in testibus R R aut vasis testium perfici. Sed opinor eos falli: nullum enim perfectum semen in illis, quamvis animal quam maximè fuerit libidinosum, unquam invenitur. Hoc autem copiosum in animalium cœstro venereo percitorum prostatis, & vesiculis seminariis O, inveniri solet. Atque ideo illud ibidem

dem perfici existimo. Atque hinc jam facile intelligimus cur quædam animalia robustiora ut caballi & tauri, exse-  
 catis, ut nonnulli testantur, testibus; & multa alia anima-  
 lia, ut pisces ex. gr. quamvis testibus plane sint destituta,  
 nihilominus sint fœcunda.

*Quædam  
animalia  
sunt fœ-  
cunda, te-  
stibus de-  
stituta.*

Sanguineum excrementum sunt menstrua mulierum, *Menstrua.*  
 sive sanguis ille, qui in mulieribus superfluus, & ob calo-  
 ris perfectè digerentis defectum redundans, & peculia-  
 rem quandam temperiem ad poros uteri aperiendos ne-  
 cessariam adeptus, singulis ferè mensibus, per uterini colli-  
 vasorum poros & sinum pudoris, excernitur.

Hic sanguis, licet crudior videatur, pestilens tamen *Hac per se*  
 aut venenatus per se non est; cum ille in gravidis partim *non sunt*  
 retineatur, partim in alimentum fœtūs abeat. Si quam *venenata.*  
 verò noxam habet, eam, vel ab admixtâ cacochymia,   
 vel à diutinâ in corpore morâ, vel ab alteratione sinus pu-  
 doris, contrahit.

In præcocioribus quibusdam fœminis incipiunt menses *Quando ea  
fluere incipi-  
piant, &  
definiant.*  
 fluere circa annum decimum tertium vel decimum quar-  
 tum. Verùm in locis frigidioribus vulgò ante annum de-  
 cimum octavum id non evenit. Tum enim calor ætate au-  
 ñus incipit dilatare meatus circa uterum, & sanguis,  
 qui in nutrimentum & incrementum corporis abibat, in-  
 cipit redundare, nec tantum copiâ, sed etiam qualitate  
 acri molestus esse. Desinunt verò menstrua circa annum  
 quinquagesimum: quia eâ ætate sanguis defervescit, &  
 parcior gignitur, totusque in nutritione absumitur; venæ  
 siccitate & duritie quoque minus porosæ evadunt, & san-  
 guis ad poros transendum ineptior.

Excernuntur utero, non per alias vias, ob solam ejus *Cur ea per  
uterum ex-  
cernantur;*  
 conformatiōnem; uti excernimus urinam per renes & ve-  
 sicam; & salivam ex glandulosis & spongiosis oris parti-  
 bus, ob eandem causam; atque etiam sanguinem per hæ-

morrhoides sive podicis vasa , quem etiam inter excre-  
menta numerarem , si de aliis , quām naturalibus & vul-  
garibus , hīc agerem.

*Idque citra  
ullam na-  
tura provi-  
dentiam.*

Nulla igitur est necessitas , quæ cogat evacuationem  
sanguinis per uterum miræ naturæ providentiaæ adscribe-  
re ; ut scilicet huic itineri sanguis assuetus , statim conce-  
ptione factâ ad fœtus generationem & nutricatum accur-  
rat ; præsertim cùm inter alia animalia fœminæ multæ  
conciipient , quibus menses nunquam fluunt , ut in qua-  
drupedibus , imò in multis etiam mulieribus menses nun-  
quam passis , & utero tamen concipientibus , est manife-  
stum . Huc accedit , quod fœminæ , quæ menses statis  
temporibus habere solent , non tantùm instantibus vel  
fluentibus mensibus , sed quovis etiam alio tempore con-  
cipiant .

*Cur ea sin-  
gulis  
mensibus  
fluant.*

Fluunt menstrua in mulieribus singulis mensibus : quia  
sanguis in ipsis singulis mensibus qualitate vel quantitate  
tantam noxam contrahit , quæ vasa colli uterini ad excre-  
tionem aperire potest .

*Luna non  
est ex præ-  
cipuis cau-  
sis menstrui  
fluxus.*

Adhæc quidam motum lunæ ad menstruum fluxum  
excitandum multum conducere existimant ; atque hinc  
est versiculus ,

*Luna vetus vetulas , juvenes nova luna repurgat.*

Verùm quod Luna inter causas præcipias hīc non sit nu-  
meranda , ex eo patet , quod & juvenculæ & vetulæ quo-  
vis mensis lunaris die fluxum menstruum patiantur .

*Excremen-  
tum vapo-  
rosum.*

Vaporosum excrementum est , quod instar vaporis aut  
fumi , tam per os aliquosque patentiores meatus , quām per  
poros cutis , perpetuò evacuatur .

*Illud supe-  
rat quanti-  
tate omnes  
alias excre-  
tiones.*

Hoc omnes sensibiles excretiones copiâ superat ; ita  
ut , si alimentum in homine , ex. gr. uno die assumatur ad  
libras octo , transpiratio insensibilis aut vaporosi excre-  
menti soleat nonnunquam ascendere ad libras quinque ,

ut

ut testatur experientia statica Sanctorii, qui hominem jejenum post deposita excrementa in exactissimâ librâ , atque etiam omnia alimenta , quæ toto die sumturus est, ponderat. Postea etiam ponderari jubet excrementa alvi & vesicæ , in vase aliquo collecta. Denique postridie eundem hominem jejenum ponderat ; atque hinc per subductionem excrementorum , quæ manifestè excreta esse didicit , excrementorum insensibiliter excretorum pondus colligit.

Excrementa , ne corpori noceant , indigent excretionem : quæ solâ pulsione perficitur. Verum hæc varias habet causas. Alia enim ab eorum simplici fit propulsione ; qualis est in seru in renes , & bilis in folliculum fellis , & excrementiorum humorum in intestina è vasis mesaraïcis evacuatione. Alia ab eorum dilatatione & rarefactione ; ut , quando serum in vasis existens vi caloris dilatatur , & ex iis erumpit in habitum corporis , unde tandem per poros cutis expulsum in sudorem convertitur. Alia fit à partium expellentium , propter spiritus animales in illas influentes , contractione : talis usu . venit in excrementorum per os vel anum excretione , in qua spiritus animales , qui fluunt in fibras intestinorum oblique ascendentibus , vomitum ; qui in fibras descendentes , alvi feceslum ; qui verò in utrasque feruntur , utramque evacuationem excitant. Ita ut nulla attractio etiam in hac operatione requiratur.

## C A P V T XIII.

*De animalium Nutritione & Vivificatione.*

**A**TQUE HÆC de actionibus alituræ inservientibus ; cuius partes antehac diximus esse duas : nutritionem scilicet & vivificationem.

Nutritio

*Excretio  
qui hat.*

Nutritio  
anima-  
lium.

Nutritio in animalibus sit, dum perpetuus substantiae corporeæ crassioris, ob eorum agitationem sese dissipantis, defluxus, è variis particulis sanguinis, præcipueque arteriosi, sufficienter attenuatis & dissolutis, ac per poros vasorum in partes alendas à corde impulsis, iisque immediatè conjunctis, & assimilatis, continuò restauratur.

Quomodo  
enstat.

Sanguis enim arteriosus constat particulis diversi generis, quæ varias figuræ & magnitudines habent: ex his crassiores, aliis coctionibus satis attenuandæ manent in vasorum cavitatibus; quæ verò justam subtilitatem sunt adeptæ, è poris vasorum expelluntur. Partes autem corporis animalis, instar variorum cribrorum, poris, magnitudine & figurâ etiam variis, sunt præditæ: atque hinc aliud alimentum ingreditur in ossa, aliud in carnes, aliud in alias partes; idque solo cordis impulsu, citra magneticam vel ullam aliam non intelligibilem attractionem. Dumque succi in minimas seu insensibiles particulæ attenuati per poros partium transeunt, varie inter se complicantur, figurantur, & cum partibus immediatâ conjunctione uniuntur, atque ita in earum naturam convertuntur. Quæ verò ineptæ sunt, ut his vel ipsis partibus adhærent, illæ ulteriùs ad alias transeunt. Nulla itaque est causa, ut nobis objiciatur, particulæ nutrimenti tenuiores in poros partium majores æquè posse ingredi, atque crassiusculas; atque ideo illas his æquè ac crassiusculis, ac proinde quibusvis aliis posse nutritiri. Nam tenuiores alimenti particulae, nisi cum aliis jungantur, & ita crassæ evadant, in poris ipsis majoribus non manent; cùm ex iis tam facile egrediantur, quam illos antea sunt ingressæ. Et deinde, particulæ non tantum magnitudine sunt aptæ ad nutriendum; sed etiam figurâ, tum suâ, tum pororum, quâ his & non aliis partibus adhærente sunt aptæ. Quod aliquo modo

modo ex melle & manna , quæ non quibusvis , sed certis floribus & arborum corticibus adhaerentia , omnia alia corpora prætervolant , intelligi potest.

Nulla itaque necessitas cogit statuere humorem innominatum , rorem , gluten , cambium , quibus alii in nutritionis explicatione utuntur.

Nutritio est æqualis , vel inæqualis.

Nutritio æqualis , synecdochicè nutritio dicitur : estque illa , quâ tantundem restauratur , quantum de corporis substantiâ fuit dissipatum.

Nutritio inæqualis est auctio , vel decretio.

Auctio est nutritio , quâ plus restauratur , quam fuit *Auctio.* dissipatum.

Hæc ex eo oritur , quod calor nativus & corporis temperies seu textura sint tales , ut per alimentum copiosum & rectè preparatum , corpori plus apponatur & agglutinetur , quam dissipatur.

Hac corpus humanum in longitudinem extenditur ad annum vigesimum primum vel secundum ; quia usque ad illam ætatem ossa præcipue , reliquæque partes , per mollietatem suam in longum extendi possunt . Accretio autem secundum latitudinem & profunditatem ad plures annos durat . Atque hæc tandem etiam cessat : quia , dum crescente corpore multæ particulæ in paucarum dissipatarum locum veniunt , pluresque aliis uniuntur , partes corporis tandem tam duræ evadunt , ut ipsarum pori vix amplius dilatari & extendi , siisque vix quicquam agglutinari queat .

Decretio est nutritio defluxu minor.

*Ad nutriti-  
onem non  
opus est  
viro, glutini-  
ne, cambio.*

*Nutritio  
æqualis.*

*Quomodo  
causat.*

*Cur ea fiat  
in omnes  
dimensio-  
nes, ad an-  
num usque  
vigesimum  
primum.*

*Decretio.*

*Eius causa.*

Ea fit vel propter deficiens , vel propter ineptum alimentum ; vel propter calorem nativum nimis debilem ; ut in senibus , vel justo vehementiorem , ut in biliosis , vel quia textura corporis est talis , ut ipsi satis nutrimenti apponi non possit .

*Anima-  
linum vivi-  
ficiatio.*

Vivificatio in animalibus fit, dum caloris spiritusque vitalis defluxus, per novi caloris & spiritus in corde generationem, ejusque per totum corpus, ope circulationis sanguinis, distributionem, perpetuò restituitur. Eaque ex fanguificatione cordis antehac explicatâ satis videtur esse manifesta. Atque hæc de aliturâ.

## C A P V T X I V .

*De Generatione animalium.*

*Vitilitas ali-  
tura & ge-  
nerationis.*

*Generatio  
anima-  
lium.*

*Ad illam  
requiritur  
semen utri-  
usque se-  
xus.*

*Illud ab  
utroque se-  
xu conser-  
tur.*

*Quid sit se-  
men ani-  
malium.*

*Rudimen-  
tum ani-  
malis, quod  
est in semi-  
ne.*

**V**T alitura jam explicata speciei individuæ, sic generatio generis conservationi inservit.

Hæc posterior est similis animalis, ex semine maris & foeminae, productio.

Quamvis enim stirpes per se solæ & singulæ, citra sexus diversi concursum, ex suo semine, sui simile gignant: homo tamen, ut & pleraque alia animalia, sine semine ab utroque parente collato, procreare non potest.

Semen verò ab utroque sexu ad procreationem conferti, ex partium utriusque sexus, semini generando inservientium, similitudine; item ex semine, ab utroque sexu in coitu emissio, patet.

Semen autem perfectiorum animalium est liquor albicans & spirituosus; ex sanguine arterioso & calidiore, à corde in meatus seminarios, generationi maturos, copiosius propulso, genitus; rudimentum animalis generandi continens.

Rudimentum illud in eo consistit, quod, in fæminino semine, particulæ ejus in germe, sive rude delineamentum, & alimentum primum animalis generandi, sed imperfectum, in meatibus seminariis, sunt formatæ: in masculino verò semine spirituosæ sive vaporosæ partes ita sunt adaptatae, ut illis ad fæminini seminis germe & alimentum

mentum in coitu per poros partium genitalium acceden-tibus , illa ulterius perficiantur , & generationi apta evadant.

Itaque quamvis fœmina etiam semen ad generationem conferat , quia hoc imperfectum est , ipsa tamen , non sola & per se , sed tantum accedente maris semine , pro-blem generare potest. Neque hoc mirum. Multa enim mixta vim obtinent , quām singula non habent : ut vide-re est , ex. gr. , in aqua forti & sale armeniaeo , quæ non nisi mixta aurum solvunt.

*Cur fœmi-na per se sò-la generare non possit.*

Dico autem spirituosa seminis masculini partes ad germen seminis fœminini accedere : quia in animalibus oviparis ova jam confecta , & membranâ , imo & corti-ce tecta , in quæ crassæ seminis masculini partes penetra-re non possunt , à coitu maris fœcundantur ; & in viviparis majoribus , ut damis , cervis , equis , per integrum à coitu mensem , nihil crassæ materiæ in cavitate uteri con-spicuum observatur.

*Quod sola spirituosa seminis ma-scullini par-tes ad ger-men seminis fœminini accedant.*

In diversis animalium generibus figurantur illæ semi-nales particulæ , propter diversam eorum corporis dispo-sitionem , diversimode ; ac idcirco aliud ex hujus , aliud ex istius semine , producitur animal.

*Quare ex di-verso-rum ani-malium se-minibus di-versa producan-tur anima-lia.*


Generationi animalium inserviunt libido , conceptio , for-matio , & partus.

*Libido.*

Libido est dispositio quædam phantasie animalis , ex partium genitalium , à fervidis spiritibus seminalibus ti-tillatarum , motu orta , qua illud ad coitum , quo utrius-que sexus semina inter se miscentur , impellitur.

*Quomodo fiat tentio in pleris-que mari-bus.*

Libidinem , ad copulationem , generationi necessariam , peragendum , in plerisque maribus comitari solet tenti-go , in quā membrum masculinum , à spiritibus animali-bus , in fungosos ejus nervos S S fluentibus , extenditur : dum scilicet spirituum in illos ingressorum redditus , a pro-



statis, O, fervido semine turgentibus, & fungosorum istorum nervorum poros cludentibus, impeditur.

*Tentigo ali quando fit in fæmella.* In insectis, ut muscis, bombicinis papilionibus, aliisque similibus, comitatur tentigo, fœmellarum, non masculorum, libidinem. Istorum enim insectorum fæmella, marem pene suo inserto titillans, prolicit ex mare semen; quod deinde, per penem fœmellæ ad ova utero ejus contenta perveniens, ea fœcunda reddit.

*Conceptio.* Conceptio est seminis maris & fœminæ, fœcundi, & utero bene temperato & conformato recepti, comprehensio.

*Ad facundum semen* Ut autem semen sit fœcundum, requiritur, ut illud non

non tantum bene in suis locis sit excoctum ; sed etiam bonis & satis copiosis spiritibus , in coitu à cerebro & corde venientibus , perfusum . Atque ideo solet semen , quod circa titillationem , ab istorum spirituum affluxu excitatam , excernitur , ad generationem esse ineptum .

Cum dico semen utero concipi , non intelligo solas majores ejus cavitates : quia in principio vel foli internarum ejus membranarum aliarumque partium pori ad conceptionem sufficiunt , ex quibus deinde germen conceptum jam grandescens in majores uteri cavitates delabitur , in iisque ad majorem fœtū perfectionem deducitur ; qui tandem , ubi penitus perfectus est , & maturuit , ex utero in lucem partu excluditur .

Formatio est seminis utriusque parentis , utero recepti , in membra animalis apta mutatio & figuratio .

Hæc perficitur calore , tum uteri , tum seminum , quo horum particulæ in utero agitantur , hæ vero agitatæ , ob suas figuræ & magnitudines , quas in meatibus seminariis , certo modo temperatis & figuratis , sunt adeptæ , necessario in utero in perfectum animalis generandi germen , succo alimentario instructum , & membranulis vestitum , semina stirpium aliquo modo referens , abeunt . Idque fere eodem , quamvis accuratiore , contingit modo , quo ex oblongis salis particulis , in aqua vi caloris agitatis , & inter se conjunctis , primum lamellam , & ex ea sàpius multiplicata granum cubicum ; atque ex sex globulis in planò aliquo agitatis , & inter se unitis , rosam ; & ex oblongis & flexibilibus particulis vaporum , è cellis tempore gelido in earum januas & vitreas fenestras vorticolo motu variè impingentibus , varias stirpium , earumque partium , imagines efformari observamus . Ex hoc perfecto & instructo ac vestito germine perficitur deinde paulatim ita , sed multo accuratiùs ; tota ulterior fœtū formatio , ut in

*requiritur  
copiosus  
spirituum  
affluxus .*

*Semen con-  
cipitur pri-  
mum in po-  
ris mem-  
branarum ,  
uteri ;  
et deinde  
germen  
grandescens  
delabitur  
in cavita-  
tes ejus ma-  
iores .*

*Formatio  
fœtus .  
Hæc perfici-  
tur per mo-  
tum calo-  
ris , qui est  
in semine  
et utero ;  
item per se-  
minis par-  
ticularum  
figuras et  
magnitudi-  
nes :*

officinis vitrariorum, post rudem vitreæ & ab igni candardis bullæ in quibusdam partibus incisionem vel depressionem, chirothecas, ocreas, multaque ridicula ab ignaris conflari; & in quibusdam fontibus, propter pororum in tubulis figuræ, varias imagines, vi aquarum erumpentium, produci videmus.

*Nequaquam verò per corporæ facultatis idem,phantasmam, vel archaum intellectu præditum.*

Cumque hæc generalis formationis fœtus mechanica explicatio satis sit manifesta & sufficiens, nulla necessitate jam amplius cogimur, ut ullam animæ vel alterius corporeæ facultatis ideam, phantasiam, vel archæum, quovis vel minimo intellectu vel cognitione præditum, per quem formatio fœtus quam sapientissimè dirigatur & perficiatur, in semine vel in utero fingamus; & ita entia absque necessitate multiplicemus, ac obscurum per obscurius explicemus.

*Cur Galenus & alii multi formationem fœtus intelligere non potuerint.*

Galenus autem, aliique viri præstantissimi, formationis hujus cognoscendæ antehac quam maximè cupidi, nullâ ratione illam potuerunt assequi: quia semen nullis particulis præditum esse putantes, à sola vi plasmatica in fœtum efformari crediderunt; quæ cum ipsis esset inexplicabilis, totam fœtus formandi rationem suis tenebris involutam reliquerunt.

*Cur hic tantum generalis formationis fœtus ratio tradatur.*

Quia verò germinis reliquique seminis particulæ, earumque motus, hactenus tantum generaliter nobis innotuerunt; idcirco non alia etiam, quam generalis, hic traditur formationis ratio. Quæ tamen, ad specialia in generatione occurrentia intelligenda, satis magnam lucem præbet.


*Ordo, qui in formatione fœtus observatur.*

Porro dum in majoribus animalibus viviparis ex hoc gérmine in poris uteri ita perfecto, & deinde in ejus maiores cavitates delapo, animal formatur, primum in liquo alimentario, membranis germen investientibus contento, conspicuum est cor, puncti rubicundi instar, alternis

alternis vicibus vi spirituum, in fibrillas ejus alternatim influentium, sese contrahens & dilatans, & vasis quibusdam instructum, quæ vasorum umbilicalium officium & primordia præbent. Hæc, per liquorem membranis contentum dispersa, venosis ramis deferunt ex illo alimen-  
tum in cor; quod, ibi coctum, inde, per ramulos arte-  
riosos, in germinis & membranarum partes, nutrimenti suppeditandi & fœtus faciendi ac perficiendi causâ, impel-  
litrur. Post paucos dies adjacet corculo mucago quædam,  
instar parvi vermiculi, in duas partes divisa; ex quarum unâ truncus & artus, ex alterâ caput efformatur: eaque paulatim crescens adipscitur debitam fœtui figuram; ita ut, post sextum à primâ pulsantis corculi apparitione diem, fœtus toto corpore, intra membranas jam enarratas, delineatus conspicatur. Et viscera quidem ac intestina primùm, thorace & abdomen adhuc patente, sese nuda oculis objiciunt, quæ deinde, ventribus istis per crescentes indies partes vicinas clausis, conspectui sese ita subducunt, ut vasâ umbilicalia ex medio abdomen propen-  
dientia, & per liquorem membranis fætum involventibus contentum diffusa, paulatim membranis istis, & in quibusdam animalibus etiam carunculis, & in homine hepatis quoque uterino, primo leviter & deinde firmiter agglu-  
tinantur. Hæc agglutinatio tum demum, per carneas illas hepatis uterini & caruncularum uterinarum moles, con-  
tingit, cum fœtus jam perfectè formatus, & uberioris alimenti, ab utero copiosius & fortius suppeditandi, indiget.

Membranæ autem jam commemoratae R R, quæ ger-  
men & fœtum involvunt, sunt duæ. Vna, amnion dicta,  
quæ fœtum proximè ambit: eaque liquorem alimenta-  
rium puriorem & magis pellucidum continet; quo fœtus  
primum per venam umbilicalem, per ipsum diffusam, nu-  
tritur.

*Membrana  
fætum in-  
volventes  
sunt cho-  
rion &  
amnion.*



tritur. Altera chorion vocatur. Hæc, amnion foris cingens, complectitur humorem alimentarium crassiorem; quo fœtus,

fœtus, immissis postea vasis umbilicalibus, jam grandior factus, etiam alitur. Atque hæc fœtus per illos liquores nutritio & auctio ex eo patet, quod vasa umbilicalia per contentos illos liquores diu dispergantur, & fœtus sive germen nutriatur, antequam illa membranis istis & ute-ro sunt agglutinata.

Liquores istis membranis contenti habent primam ori-ginem à semine: augmentum autem accipiunt ab utero; ex cuius poris hi liquores, in membranarum istarum cavi-tates, impelluntur.

Nutritur autem fœtus jam grandior non tantum liquo-ribus istis, per venas umbilicales ad cor ipsius delatis; sed ore etiam haustis & deglutitis: quod probant chylus, in ventriculo, & alvi fæces, quæ in intestinis crassioribus fœtuum majorum inveniuntur.

Vasa umbilicalia fœtus jam grandioris constant unâ venâ E, & duabus arteriis F F, quæ intestinulo L M, sunt involuta. Hæc originem ducunt à vasculis istis, quæ circa cordis rudimentum saliens primò conspici diximus, & omnibus fœtus ac ejus involucrorum vasis originem præbent. Arteriæ istæ duæ sunt propagines arteriæ ilia-cæ descendantis, quibus sanguis à corde fœtus in mem-branas & carnes uterinas alituræ causâ impellitur. Vena verò, quæ cum arteriis istis in placenta M N O P Q, aliis-que uterinis carnibus unitur, & venæ portæ est continua-ta, deducit sanguinem, partim à corde fœtus per arte-rias umbilicales in carnes illas uterinas impulsum, partim à matris utero placentæ aliisque carnibus uterinis recens suppeditatum, ac venæ umbilicalis radicibus, per carnes illas uterinas dispersis, insinuatum, eumque per hepatis ad cor defert, sanguinisque circulationem ibi ita perficit. Atque hoc ex ligatura vasorum umbilicalium fœtus vivi, utero materno, matre etiamnum vivente, adhærentis,

*Liquoris  
in mem-  
branis con-  
tentis origo  
et au-  
gmentum.  
Fœtus nu-  
tritur in  
utero, per  
venam um-  
bilicalem  
&c os.  
Vasa umbi-  
licalia.*

*Quomodo  
sanguis cir-  
culetur à  
fœtus corde  
ad hepatis  
uterinum,  
& inde  
rursus ad  
cor fœtus.*

est manifestum. Venæ enim ligatæ intumescunt circa ligaturam, à parte uteri; arteriæ vero ligatæ, à parte fœtus: deinde arteriarum umbilicalium pulsus consentiunt cum pulsibus fœtus; dissentiunt vero à pulsu arteriarum matris.

*Urachus  
non est vas  
umbilicale.*

Vasis umbilicalibus vulgo annumerari solet urachus G, corpusculum membranosum, teres, à vesicâ C, veluti basi, paulatim versus umbilicum ascendens; per quod redundans in vesicâ serum intrâ amnion & chorion transcolari volunt. Verum hoc falsum esse, docet vesicæ in fœtu grandiore facta compressio, quâ urina per pudendum expelli, non autem in secundinas trajici, observatur.

*Quomodo  
fœtus ab  
imagine-  
atione ma-  
tris afficia-  
tur.*

Formatio fœtus potest juvari & mutari ab imaginazione matris, quamdiu ille tenellus est; idque hoc modo fieri existimo: Imago rei visæ, vel aliter cogitatæ, quia revera in cerebro est picta, defertur ope spirituum animalium, in ventriculis cerebri existentium, ad conarium sive sensorum commune, & ab illo porrò, mediante sanguine arterioso, ad uterum, & denique per venam umbilicalem ad ipsum fœtum; idque haud dissimili contingit modo, quam quo imagines rerum visibilium, ope globulorum æthereorum intermediorum, per longissima spatia, in cubiculi obscuri pariete albo, vel oculi retinâ, pinguntur, vel soni per aërem ad remotissimas distantias deportantur. Tenellus autem fœtus suscipit facile, ob mollitatem suam, imaginem ab imaginatione matris sibi fortiter impressam; eaque in principio valde est exigua, sed indies cum fœtu magis magisque augetur, & ita ferè absolvitur, ut passim in peponibus, scalpello in cortice leviter signates, varias imagines grandescere & perfici videmus.

*Partus.*

*Is precipue  
fit à fœtus  
calciratio-  
ne, ob defe-*

Cum fœtus inutero est perfectus, & maturuit, partu in lucem editur; qui est fœtus, in utero perfecti & maturi, editio.

Hujus præcipua causa est fœtus maturus; qui aëre & alio alimento jam indigens, nec non ab humoribus uteri-

nis,

nis, in excrementa jam abeuntibus, vellicatus, molestiâ afficitur; quâ ille vehementius calcitrans, motumque vehementiorem per nervos ad cerebrum matris deferens, aperit copiosos cerebri ejus poros, in fibras uteri, & musculos abdominis, vicinarumque partium spectantes. His apertis, fluunt spiritus animales tam copiosè & vehementer ex ventriculis cerebri matris in illas partes, ut per vehementem illum eorum influxûs impetum, membranæ fœtum involventes, item carnes uterinæ, jam ad separationem ex maturitate adaptatæ, ab utero separentur; uterus aperiatur; ossa pubis, conxendicis, coccygis, aliaque vicina, jam ab allapsu humorum emollita, laxentur, & fœtus, jam egressum quærens, magno impetu cum suis involucris & appendicibus, ut membranis ipsum involventibus, vasis umbilicalibus, & placentâ, aliisque carnibus uterinis, foras expellatur.

Involucra illa & appendices L M N O P Q R, quia post fœtum communiter provenire solent, secundinæ nomine designati consueverunt.

Fœtus ubi jam natus & à suis involucris & humoribus, quibus innatabat, liberatus est, quia nervos respirationi inservientes habet quam maximè patentes, & aërem jam inspirare potest, mox, fluentibus in musculos respiratorios spiritibus animalibus, inspirat aërem; quo pulmones ejus, vehementer expansi & rarefacti, liberant venam arteriosam ejusque ramos, per illos dispersos, ab illâ pressione, quæ fecit, ut, quamdiu fœtus in utero materno existebat, sanguis ex dextro cordis ventriculo in pulmones, ob eorum densitatem, copiosè impelli non posset, ac proinde refrigerio aëris inspirati non indigeret. Pressione autem illâ istorum vasorum per inspiratum aërem, pulmones rarefacientem, ablata, pellitur mox, per latum venæ arteriosæ orificium, magna sanguinis quantitas ex

*etum grati  
alimenti  
ab ipso fa-  
ctâ.*

*Cur fœtus  
jam natus,  
& ab in-  
volucris  
suis libera-  
tus, mox  
respirat.*

*Cur fœtus,  
qui in ute-  
ro sine re-  
spiratione  
vixit, ex-  
tra uterum  
post respi-  
ra-*

*tionem faciam sine respiratione vivere non possit,*

dextro cordis ventriculo in pulmones ; qui cum talis sit temperamentum, ut in sinistro cordis ventriculo rursus justè incendi & incalescere non possit, nisi antea in pulmibus fuerit refrigeratus ; hinc sit, ut fœtus, qui ante respirationem diu sine respiratione vivere potuit, & vixit; transeunte sc. sanguine copioso ex dextro cordis ventriculo, non per pulmones, utpote tum nimis densos, in sinistrum ventriculum, sed in arteriam magnam per canaliculum arteriosum, in doctrina de respiratione superius à nobis designatum : post respirationem, semel atque iterum factam, necessariò porro respirare debeat, &, si respiratione deinde impediatur, necessariò suffocetur.

*Quomodo pullus in ovo gignatur.*

Ex iis quæ hîc de fœtus formatione in utero viviparorum diximus, facile intelligitur formatio fœtus, in ovo; cum ea fere eodem perficiatur modo. Fœtus enim, qui ex ovo perpetuâ penè matris vel patris incubatione, vel aliâ justâ calefactione, gignitur, sumit originem suam à germine seu pulli rudimento, in utero materno genito, & à spiritibus feminis masculini perfecto, & in obtusiore ovi extremitate sito : capitque alimentum, in corporis augmentum & perfectionem, ex albumine & vitello, per quæ venæ & arteriæ umbilicales, item rostrum fœtus, diffunduntur; pullus vero, ubi in ovo jam satis maturuit, disrumpit suâ magnitudine & motu putamen, ex eoque ita enascitur.

Ex generationis jam propositæ depravatione, oritur monstrum & mola.

*Monstrum.*

Monstrum est animal in utero, ex semine parentum, enormiter male conformatum.

*Eius generatio.*

Causa monstri est imaginatio monstrosa parentum, quæ particulæ germinis vel sanguinis, ad quas imago cogitata defertur; monstrosè disponuntur. Atque hinc nati fuerunt homines; qui, ex. gr., ex imaginatione matris caput habebant diffissum, vel proboscidem elephanti-

nam

nam pro crure. Vel causa est in ipsis seminis & præsertim germinis particulis, ubi illæ sunt justo copiosiores, vel pauciores. Atque hinc nascuntur aliquando homines bicipites, quadrimani, vel quadrupedes, item manibus vel pedibus destituti. Vel ubi particulæ seminis tam male sunt figuratae & adaptatae, ut ex earum dispositione nil, nisi monstrosa fœtus figuratio, possit oriri. Hinc nascuntur monstra, quæ nullum partium defectum, vel abundantiam superfluam, nec pravitatem ex imaginatione ortam, habent.

Mola est carnea massa, sine ossibus & visceribus, ex *Mola-*  
imperfecto semine in utero genita.

Hæc oritur ex semine, cuius particulæ tam male sunt *Eius geno-*  
figuratae, ut ex earum adaptatione aptum fœtus *ratio.* germen formari nequeat.

Præter alias molarum differentias, quæ ab earum *Differen-*  
gurâ, magnitudine, & numero desumuntur, molæ aliæ *tia.* dicuntur vivæ, aliæ vitâ carere.

Vivæ vulgo solent appellari, in quibus sensibilis apparet motus. Vulgus enim vitam cum pueris ex motu aestimat.

Molæ vitâ carentes dicuntur; in quibus nullus sensibilis motus appetet.

Dixi autem molas vulgo vivas vel vitâ carentes dici: cum revera omnes vivant. In omnibus enim est alitura, seu perpetua, per alimenta, ejus, quod in iis dissipatur, reparatio; in quâ solâ vitam consistere antehac fuit dictum.

Animalia autem non tantum ex semine, ratione jam propositâ; sed multa etiam, spontaneâ generatione, fine ullo semine aut seminis analogo, gignuntur. Dum sc. terrestres particulæ, in superiore Tellure, à calore agitatæ & adaptatae, ita inter se disponuntur,

tur, ut illæ non tantum in vitale venarum, cordis, & arteriarum cum venis continuarum, rudimentum sive germen; sed etiam in sensorium & motorium cerebri, nervorum, fibrarum, & spirituum principium, concinnatæ; postea in perfectiora instrumenta, alituræ, sensationi, & motui corporis locali inservientia perficiantur.

*Quomodo  
enfiat.*

Hoc admirandum naturæ opus levi penicillo hîc adumbrare aliquo modo conabor. Primum itaque ex diversarum particulatum terrestrium unione oritur, in loco aliquo Telluris quietiore, succus, integumento partium tenaciorum seu viscidiorum inclusus; qui ibi instar fermenti sponte incalescens, sese ad lineam rectam, quantum potest, ex legibus motus, extendit, & producit venam, magnam partem rectam, multis fibrillis lateralibus præditam. Ea vena postea longius sese extendens, magisque incalescens producit bullam, quæ cordis est initium, in qua ingressi humores, propter pororum ejus dispositionem, majorem calorem & rarefactionem concipiunt, qui inde cum pulsu erumpentes faciunt sibi aperturam alteram, & viscidorem vicinam materiam in vas longum, quod arteriæ est principium, extendunt. Cumque humores ex venâ in illam bullam perpetuo influant, qui ibi rarefacti vicissim in arteriam sese cum pulsatione effundunt, hinc extenditur arteria in vas, quantum fieri potest, secundùm longitudinem protensum, venam comitans, & in ramulos venæ sese insinuans. Succique calidores, versus superiora ad lineam rectam propulsî, producunt vasa cerebri; versus inferiora verò, faciunt vasa genitalium & renum. Succi autem minus calidi, ad latera à calidioribus aëti, gignunt vasa artuum, ut brachiorum, alarum, pedum.

Ex vasis hoc modo productis, & poris suis præditis, egre-

egrediuntur deinde, pro pororum varietate, variis succi, qui diversimode adaptati producunt membranas, ossa, fibras, carnes, parenchymata, aliasque partes. Et quidem circa ramos venæ, primò productæ, quam portam appellant, nascitur hepar & lien; item membranæ genitram hanc involventes & alimentum ei suppeditantes: circum bullam calidiorem, caro cordis: circum vasa calidissimum & spirituosissimum sanguinem versus superiora vehentia, cerebrum cum suis cavitatibus, unde spiritus erumpentes, & sese per partes diffundentes, extendunt cerebri substantiam, & membranas, illud involventes, in nervos; in iisque producunt, ex inæquali vel hæsitabundo suo motu, membranas illas nonnullis in locis plicante, valvulas; quibus apertis spiritus in partes fluunt, easque vel perpetuò, vel per intervalla movent, & varias sensationes & motiones, ex variis nervorum motibus, ipsis ab aliis corporibus impressis, efficiunt. Circum genitalium verò vasa, quæ calidissimum spirituosissimumque sanguinem versus inferiora vehunt, dignuntur carnes testiculum, prostatarum, penis, uteri, & partium reliquarum, quæ procreationi animalium inserviunt.

Dum verò sanguis calidior, in corde genitus, in partes diffunditur, spiritus quidam crassiores, ex arteriis & venis, circa hepatis & lienis rudimentum, exhalantes, sese renuiori vicinæ materiæ insinuant, eamque primum in globum oblongum, qui ventriculum deinde constituit, inter illa viscera formant. Cumque perpetuò plures halitus in illum fluant, extenditur ille versus superiora & inferiora. Et quidem versus superiora facit œsophagum, versus inferiora intestinum. Et quoniam illud, ob angustiam loci, à vaporibus influentibus in longum extendi non potest, ideoque conglomeratur illud in multos gyros; qui tandem amplius extendi nequeunt, in inferiore parte abdo-

abdominis faciunt aperturam podicis. Dumque œsophagus in superioribus partibus amplius extendi nequit, producitur gula in cavitatem oris sese aperiens, & perpetua sua exhalatione labia oris diducens. Circa cor autem, ubi illud duas habet cavitates, copiosiores succi rati ex vasis, ex una ejus cavitate in alteram transeuntibus, exsudantes, faciunt spongiosam pulmonum carnem; vaporesque in iis geniti producunt infinitas bronchiorum cavitates, quæ, in unum cartilagineum tubum in ore se pandentem, sese aperientes, constituunt asperam arteriam.

Sub hepate & liene, ubi vena cava & arteria magna se in ramos quosdam utrimque dividunt, ab exciente ex iis succo gignuntur duo renes, & vapores, in medio eorum collecti, faciunt in singulis singulas cavitates membranaceas, pelves dictas, quæ sese in duos canaliculos, in unam bullam convenientes, extendunt, & inde prope podicem exspirantes producunt principium ureterum, vesicæ, & urethræ, per quas primò soli halitus transeunt. Sed renum poris paulatim aliter adaptatis, separatur per eos serum sive urina à reliquo sanguine, eaque, per ureteres in vesicam delapsa, emingitur tandem per meatum urinarium sive urethram.

*Cur spontaneæ generationes tantum fiant in loco Telluris quietiore.*

Dixi autem spontaneas hujusmodi generationes fieri in loco aliquo Telluris quietiore. Quia, si partes Telluris vehementius alicubi inter se agitentur, ibi nulla particularum justa conjunctio à subtili materiâ intercurrente facienda, & ad generationes tales necessaria, unquam fieri potest.

*Vnde tanta animalium sponte productorum varietas.*

Porro, cum teneriores Telluris particulæ innumeram & penè infinitam habeant varietatem, motusque caloris & materiæ subtilis in variis Telluris partibus in infinitum pene varientur, hinc innumera animalium, sponte sine semine vel feminis analogo, per solam particularum istarum

rum variam adaptationem, productorum, est varietas: quorum alia sunt reptilia, alia ingredientia, alia saltantia, alia natantia, alia volantia, &c. Nec unquam tanta animalium offretur vel fingetur varietas, quin multò plura, per innumeram particularum figuraonem & coniunctionem, produci posse intelligamus.

Quomodo autem generatio non sit fortuita, & per se fiat, supra, pag. 224, fuit doctum.

## C A P V T X V.

*De actionibus animalium sensitivis: ubi de cerebro, sensu simplici; somno, vigiliâ; reminiscentiâ & imaginatione simplici; memoriâ; appetitu & affectu sensitivo.*

**E**xpositis actionibus animalium vegetativis, aggrediamur sensitivas & motivas: quæ ab animalibus, citra ultimam cogitationem vel perceptionem, per solum motum spirituum, nervorum, cerebri, & muscularum, ab obiecto interno vel externo motorum, fiunt. Quod cum in homine, qui frequentissimè tales actiones, inter respirandum, ambulandum, & aliud agendum, perficit, sit manifestum; nulla causa est, cur non idem de bestiis dicatur.

Pars, his actionibus efficiendis, ut & cogitativis, de quibus acturi sumus in doctrinâ de homine, proximè & communiter inserviens, est cerebrum A B. In quo consideranda substantia, ventriculi, vasa, & spiritus.


Substantia cerebri est caro peculiaris, quæ ex molibus & plicabilibus fibrillis, se mutuo, cum pororum intersticiis, contingentibus, contexta, & duabus meningibus sive membranis undique vestita, potissimâ suâ parte; scilicet cerebro A, & cerebello B, in crano continetur; reliquâ verò, præter olfactus nervos D, in nervorum septem

*Actiones  
sensitiva  
& motiva:*

*Hæ fiunt  
per solum  
motum or-  
ganorum;  
sine illâ  
cognitione.  
Cerebrum.*

*Quomodo  
ejus sub-  
stantia  
per nervos  
in totum  
corpus dif-  
fundatur.*

Qq patia



paria 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & spinæ medullam C , nervosque inde orientes; cum excavatis meningum tubulis, eam continentibus , per totum corpus distribuitur.

*Primitas septem parium nervorum.*

Septem istorum nervorum parium sive conjugationum usus , his versiculis continetur :

*Optica prima ; oculos movet altera ; tertia gustat ,*

*Quartaque ; quinta audit ; vagasexta est ; septima lingue.*

*Cursus sextus.*

Sexta harum conjugationum yaga dicitur ; quia faucibus , cordi , pulmonibus , diaphragmati , ventriculo , intestinis , hepati , lienii , renibus , pancreati , mesenterio , geni-

genitalibus, aliisque thoracis & abdominis partibus, ramulis suis implantatur.

Fibrillarum cerebri contextus talis est, ut illæ unâ extremitate à cavitatibus ventriculorum cerebri incipient, & alterâ in partibus, suâ extensionis per membranaceos nervorum tubos continuatione, desinant; illæque, se mutuo cum poris intercurrentibus contingentes, interstitia quædam dilatabilia inter se habeant.

Atque hinc jam facile intelligimus, quòd motu unâ fibrillæ extremitate parti insertâ, motus ille, ob continuationem, quando fibrilla ab omni pressione in tubulis nervorum est libera, ad cerebrum deferatur, & porus unus vel plures, pro motus impressi magnitudine, in cerebri cavitatibus vel magis vel minus aperiantur. Et deinde, quod plicatilibus illis cerebri fibrillis varii, per motum ad illud delatum, possint imprimi flexus, qui rerum objectorum aliquando perceptarum sint imagines, vel notæ.

Non omnes autem cerebri partes æqualiter sensui & motui inserviunt. Nec enim omnis motus ad cerebrum delatus facit sensum & motum. Et præterea quædam partes cerebri exteriores, salvo sensu & motu, vulnerari, ex ulcerari, & interdum etiam tolli possunt. Adhæc omnia inserviunt. sunt ferè gemina in cerebro; ita ut motus geminis organis, ut manibus, oculis, vel auribus, ab unâ aliquâ re objectâ receptus, his uniri, & una ejus sensatio fieri nequeat.

Itaque præcipuum & commune sensationis & motus animaliumque similiū actionum instrumentum esse existimo circa centrum cerebri, in interiore ejus substantiâ, ubi glandula pinealis sive conarion  $\gamma$  est situm, quo omnes motus sensoriis propriis impressi, tanquam ad centrum & commune sensorium, confluunt, & unde omnes motus per totum corpus commodè & communiter determinari possunt.

*Fibrilla-  
rum cere-  
bri contex-  
tus:*

*Et ejus uti-  
litas.*


*Non omnes  
cerebri par-  
tes aequali-  
ter sensui  
& motus*

*Sensorium  
commune.*

Ventriculi  
cerebri.

Ventriculi cerebri sunt magnæ cavitates 1. 2. 3. 4, per substantiam cerebri longè latèque diffusæ, & interiore suâ superficie multis poris in fibrillas substantiæ cerebri spectantes; in quibus spiritus animales generantur; qui inde in totum corpus distribuuntur.

Hæ, ut in vervecino hîc appetit cerebro, inter se continuatæ, & in unum confluentes, dividuntur vulgo in quatuor partes, sive ventriculos: quorum duo primi 1. 2. appellantur superiores; qui in superiori cerebri parte potissimum siti, ad latera & partes anteriores & posteriores



longè & latè expanduntur. Tertius 3, infra illos superiores in medio situs, duo habet foramina; quorum anterius

rius 5 ad glandulam pituitariam, in basi cerebri existentem, descendit. Posterius 6, sub glandulâ pineali 7, & testibus 8, & natibus 9, in meatum oblongum, ventriculum tertium cum quartô conjungentem, se aperit. Quartus 4, à fine istius canalis, foramine quodam 10 in hunc ventriculum sese pandentis, inter cerebellum B, ac medullam spinæ C, sese diffundit.

Vasa cerebri sunt varia, tum arteriosa, quæ sanguinem calidissimum, à corde perpetuò suppeditatum, in cerebrum deferunt; tum venosa, quæ sanguinem à capite redeuntem ad cor referunt. Eaque omnia ab arteriis carotidibus & venis jugularibus, per cervicem in caput transeuntibus, originem ducunt. Horum alia in ventriculos sese dispergunt, spiritusque iis suppeditant; nempe plexus choroides sive retiformis D D, qui, antequam sinui duræ meningis supra cerebellum sese communi vase E insinuat, per ventriculos cerebri longè latèque diffunditur; & vasorum illa congeries, quæ glandulam pinealem involvit. Reliqua nutritioni cerebri potissimum inserunt, & per meningum quatuor magna vasa, seu sinus, totumque cerebrum, se distribuunt.

*Vasa cerebri.*

Spiritus cerebri, qui vulgo animales appellantur, sunt spiritus animales. halitus subtile & celerrime agitati, qui è sanguine cordis calidissimo, in plexum choroidem & vasa conarium involventia, à corde in ejus diastole perpetuò impulso, in cavitates ventricolorum, per vasorum poros, exhalantes, inde, per interstitia fibrillarum cerebri, in nervos & totum corpus magnâ vi diffunduntur.

Spiritus his, per diastolen cordis, in ventriculos cerebri exhalantibus, attollitur cerebrum; iis verò in cerebro, ob systolen cordis & frigidum per nares inspiratum aërem, intepescentibus, subsidit illud. Atque ita eodem tempore fit alternata cordis & cerebri intumescentia &

*Diastole & Systole cerebri.*

subsidentia. Et quoniam aër inspiratus, cum sanguine pulmonum & spiritibus cerebri, sese miscet, hinc, pro qualitatibus aëris inspirati, eo vel refocillamur, vel debilitamur.

*Varietas  
motus spi-  
rituum est  
tanquam  
clavis, quā  
variis cere-  
bri & ner-  
vorum pori  
aperiuntur.*

Spiritus hi, pro vario suo motu, apti sunt, instar variarum clavium, variis aperire cerebri & nervorum poros: Atque ideo alius observatur motus corporis, in lætitia; alius in tristitia, alius in aliis affectibus. Iisque aliquando sunt copiosiores, aut vehementius moti, & expandunt cerebrum cum annexis nervis, instar venti vehementioris vel copiosioris velum cum annexis funibus expandentis: aliquando vero sunt pauciores, vel minori vi agitati; tumque patiuntur cerebrum cum suis nervis subsidere & complicari, ut velum ob ventum pauciorem vel leniorem, subsidere & complicari solet.

*Distributio  
spirituum  
anima-  
lium.*

Distribuuntur spiritus ex alveo ventriculorum, vel lenius, vel vehementius. Lenius; ubi spiritus per connientes cerebri & nervorum poros æqualiter in corpus universum diffunduntur. Vehementius; dum hi vel illi cerebri & nervorum pori, latius aperti, spiritus copiosos & vehementius agitatos in hanc vel illam partem immitunt, eamque vehementius movent, uti in vehementioribus corporis exercitiis appareat.

*Quomodo  
spiritus  
violentissi-  
mos in cor-  
pore ani-  
malium  
producant  
motus.*

Ac ne quis hic forte miretur, spiritus animales, qui in corpore quiescente leniter moventur, tantam vim muscularis, in luctâ, projectione, verberatione, aliisque similibus corporis vehementissimis motibus, tribuere, ut illi gravissima & durissima corpora maximâ vi de loco moveant, eaque confringant, contundant, aliterque fortius affiant; consideremus aquam alicujus fluvii, per aperatum alveum liberè defluentem, tam leni provehi motu, ut vix arundinem, in eo nascentem, de loco moveat; eandemque, per angustias cataractarum in eodem fluvio exstructarum

structarum determinatam, vehementissimo impetu maximas & stupendas rotare, attollere, & deprimere machinas, quibus opifices in farinâ molendâ, ferro cudente, trabibus ferrâ dividendis, aliisque opificiis, uti consueverunt; eamque postea, ex angustiis illis in latius spaciū effusam, magno impetu ferri, & obvia quævis corpora vehementissimo agitare motu. Ita enim magna spirituum animalium, in hos vel illos musculos, spiritibus animalibus jam antea ex parte repletos, per nervorum angustias determinatorum & fluentium, vehementia satis evidenter innotescet.

Neque est, quod quisquam metuat, ne vehemens ille spirituum animalium in musculos influxus sanguinis circulationem in illis sufflaminet, vel præter naturæ modum imminuat. Meatus enim & pori, in quos spiritus animales per nervos in muscularum carnes & fibras fluunt, eosque dilatant, sunt à venularum & arteriolatum membranaceis tubulis, per quos sanguis moveri solet, diversi, & ab iis satis remoti; atque ideo fluxus sanguinis, ex arteriis in muscularum venas perpetuò à corde impulsi, non potest, ab illo spirituum animalium, in diversos illos & satis remotos muscularum meatus & poros fluentium, vehementi influxu, sufflaminari, vel præter naturam imminui. Et, si contingat, ut ab illo influxu spirituum animalium, in musculos fluehtium, venæ & arteriæ muscularum non nihil arctentur; hinc sanguinis motus in angustiis illis, instar aquarum per angustas cataractas transeuntium, tum acceleratur potius, quam retardatur, nequam vero sufflaminatur.

Spiritus animales, postquam ex cerebro per totum corpus sunt distributi, partim dissipantur per insensibilem transpirationem; partim, venis sese insinuantes, miscentur cum sanguine, & cum eo redeunt ad cor; & inde in cerebrum

*Quomodo  
hinc san-  
guinis cir-  
culatio in  
musculis  
non impe-  
diatur.*

*Spirituū  
animalium  
circulatio.*

cerebrum; unde postea in reliquum corpus rursum distribuuntur.

Actiones sensitivæ & motivæ sunt tres: receptio, appetitus sensitivus simplex, & motus spontaneus.

*Receptio.*

Receptio est actio animalis sensitiva, quâ animal motus rerum objectarum, sensoriis impressos, citra ullam cogitationem, attentionem vel perceptionem, recipit.

*In ea recipitur solus motus.*

Nihil autem hîc recipi præter motum ex sequentibus patebit, & postea in perceptione amplius demonstrabitur.

*Eius differentia.*

Hæc triplex est: sensus simplex, reminiscientia simplex, & imaginatio simplex.

*Cur es dicantur simplices.*

Appello has receptiones omnes simplices, ad eas discriminandum à tali sensu, reminiscentiâ, & imaginatione; quæ in homine cum attentione seu cogitatione fiunt, atque ideo perceptiones appellantur.

*Sensus simplex.*

Sensus simplex, est receptio, quâ motus à corpore aliquo objecto fibrillis nervorum impressus, & in cerebrum delatus, tandem sensorio communi sive conario, mediantebus spiritibus animalibus, in cerebro existentibus, communicatur.

*Sensus internus & externus.*

Atque hinc vulgo duæ statuuntur sensûs partes: sensus externus scilicet, quatenus motus fibrillis sensoriorum externis, sive propriis, imprimitur: & internus sive communis, quatenus ille ad sensorium internum commune defertur.

*Sensus simplicis species.*

Sensus simplex, pro quinque sensibiliū & sensoriorum generum differentiâ, est quintuplex; simplex tactus, gustus, olfactus, auditus, & visus.

*Tactus.*

Tactus simplex, est sensus, quo tactiles quorumvis corporum terrestrium qualitates, ut calor, frigiditas, humiditas, siccitas, lævitas, asperitas, gravitas, levitas, dolor, titillatio, aliæque similes, ex diverso nervorum, per totum

totum corpus dispersorum , motu , mediante cute , sentiuntur.

Gustus simplex , est sensus , quo ex diverso nervorum *Gustus f.*  
linguae , & vicinarum partium , motu , sentiuntur corporum terrestrium , in ore dissolutorum & cum saliva mixtorum , sapores .

Olfactus simplex , est sensus , quo , ex diverso nervo- *Olfactus f.*  
rum , radici narium circa os cribiforme implantatorum ,  
motu , sentiuntur varii corporum terrestrium in particulas  
minimas dissolutorum , & in aere volantium , & satis va-  
lide agentium , eoque delatorum , odores .

Auditus simplex , est sensus , quo , ex vario aëris circum- *Auditus f.*  
stantis motu tremulo , tympanum auris verberante , sen-  
tiuntur soni .

Visus simplex , est sensus , quo ex vario globulorum *Visus f.*  
thereorum , in retinam oculi impingentium , motu , sen-  
titur lumen , & colores .

Sensus peragitur in vigiliâ ; cessat in somno .

Vigilia , est ventriculorum cerebri & nervorum dilata- *Vigilia.*  
tio & expansio , à sufficiente copiâ & motu spirituum ani-  
malium orta ; quâ sensoria à pressione libera evadunt , ad  
motus objectorum sensorio communi , in cerebri centro ,  
offerendos .

Quæcumque igitur , vel attenuando vel calefaciendo *Causa vi-  
gilia.*  
sanguinem , vel aperiendo poros plexus choroidis & ca-  
rotidum arteriarum , vel vehementius corpus agitando ,  
vel moderatè quiescendo aut dormiendo , vel quovis alio  
modo , spiritus augent , aut fortius movent , illa vigilias  
inducunt .

Somnus est ventriculorum cerebri & nervorum eorum- *Somnus.*  
que pororum confidentia & angustatio , à deficiente iusto  
motu vel copiâ spirituum animalium originem ducens ,  
qua sensoria sistuntur & inepta fiunt , ad motus objecto-

R r rum ,

rum, ad cerebrum & sensorium commune usque, deferendos.

*Causa  
somni.*

Quæcunque igitur, vel incrassando vel refrigerando sanguinem, vel poros plexus choroidis aut arteriarum carotidum claudendo, vel spiritus dissipando, vel quovis alio modo copiam vel motum spirituum impediunt, vel cerebrum gravant, illa somnum conciliant.

Hinc jam est perspicuum; quomodo somnus inducatur à pluribus & differentibus causis, ut longis vigiliis, labore & defatigatione, immodico tum calore tum frigore, nimiâ evacuatione, molli frictione, levi cunarum agitatione, murmure aquarum, cantu, tenebris, silentio, solitudine, otio, lectione non valde attentâ, usu frigidioris aut humidioris aut copiosioris alimenti, vel frigidi medicamenti, quale dicitur esse opium, ventricorum cerebri compressione, &c. Hæc enim omnia spirituum motum vel copiam imminuunt, vel cerebrum gravant & subiectos nervos premunt.

*Somnus to-  
talis &  
partialis.*

Somnus est totalis, ubi ex sufficiente cerebri & nervorum subsidentia omnes sensus sunt sopiti: vel partialis, ubi, ex quarundam partium cerebri & nervorum arcta-  
tione, & aliarum nonnullatum apertione, nonnulli cerebri pori patentes, quibusdam sensoriis & musculis, aliquos spiritus, ad quedam sentiendum & partes alias movendum, præbent: uti fit in somnambulonibus, & iis, qui dormientes ad interrogata respondent.

*Remini-  
scientia s.*

Reminiscientia simplex, est receptio, qua motus rerum antea receptarum, per vestigia, cerebro à sensu olim impressa, sensorio communi iterum offeruntur.

*Imagina-  
tio s.*

Imaginatio simplex, est receptio, qua novæ imagines, e vestigiorum, cerebro à sensu olim impressorum, variâ mutatione, vel spirituum animalium in ea impingentium certâ dispositione, productæ, ad commune sensorium de-  
feruntur.

Hæc

Hæc offertur , vel vigilantibus animalibus , & vocatur phantasia ; vel dormientibus , & appellatur insomnium.

*Phantasia  
& insom-  
niuum.*

Reminiscentiæ & imaginationi inservit memoria; quæ est notarum sive vestigiorum , ab objectorum oblato- rum motu , plicatilibus cerebri fibrillis , variis in locis , im- pressorum retentio . Nisi enim rerum objectarum vesti- gia , cerebro animalis impressa , in eo aliquamdiu re- neantur , nullius rei animal reminisci , nec de ullâ re ima- ginari potest.

*Memoria.*

Memoria , pro cærebri constitutione , item ob consue- tudinem recordandi majorem vel minorem , qua vestigia rerum cerebro firmius vel infirmius imprimitur , vel for- tior est , vel debilior.

*Cur ea sit  
fortior.  
vel debi-  
lior.*

Ea , quæ hîc de receptionum tribus speciebus dicta sunt , ex iis , quæ de perceptionibus humanis inferius dicentur , clariora evadent.

Appetitus sensitivus simplex , est motus quidam spiri- tuum , à receptione excitatus ; quo meatus quidam ner- vorum ad apertione vel clausione vellicantur ; unde , ad certam quandam rem vel assequendum , vel fugien- dum , animal est proclive . Tales sunt fames , sitis , & libi- do , antehac explicatae ; item aversatio , qua quidam à ca- seo , fele , aliisve rebus abhorrent.

*Appetitus  
sensitivus.*

Hunc sàpè comitatur affectus sensitivus , qui est per- turbatio corporis , à sanguine & spiritibus , ex receptione velaliâ causâ varie motis , & cordis vasa & ventriculos di- versimodè , pro motus sui ratione , dilatantibus vel arcta- tibus , aliasque corporis partes varie agitantibus , origi- nem ducens.

*Affectus  
sensitivus.*

Prout enim spiritus sunt copiosiores vel pauciores , te- nuiores vel crassiores , vehementiores vel imbecilliores , æqualiores vel inæqualiores , item hoc vel illo modò agi-

*Ejus va-  
rietas &  
causa.*

tati , ita varium habent motum , iisque , pro motus sui varietate , apti sunt hos vel istos cerebri & nervorum poros , instar variarum clavum , aperire , in diversas cordis & reliqui corporis partes fluere , eoque , illas varie movendo , aperire vel claudere vel aliter agitare , & ita corpus varie afficere . Sic ex. gr. ubi spiritus sunt solito copiosiores , puriores , & agiliores , tales motus in corde & reliquo corpore excitant , qui signa amoris , lœtitiae , spei , constantiae , benignitatis , & bonae corporis constitutio- nis , solent exhibere ; & contra , ubi illi sunt solito veljusto pauciores , crassiores , tardiores , & inæqualiores , tum fluunt in illas partes , quæ odium , tristitiam , timorem , inconstantiam , malignitatem , pravam dispositionem aliosque pravos affectus significare consueverunt . Vbi illi leniter & æqualiter moventur , modestiae , lenitatis , man- suetudinis ; ubi vehementius & inæqualius , ferociæ , superbiae , iræ , notas præbent . Tum autem ira potissimum oriri solet , ubi ex motu spirituum , à receptione orto , fibrillæ ductuum biliariorum ita moventur , ut quædam te- nuiores & calidiores bilis partes , cum sanguine mixtæ , & ad cor cum eo delatae , sanguinem in corde vehemen- tius incendant ; spiritusque in cerebro fortius agitent : quemadmodum tristitia tum præcipue oritur , ubi ex motu spirituum meatus quidam in liene aperiuntur , qui san- guinem ad dilatandum ineptiorem ex certis poris expel- lit , eumque cum reliquo sanguine , in liene existente , & inde ad hepar & cor abeunte , miscet , sanguinisque justum in corde fervorem spirituumque agilitatem tollit .

## C A P V T XVI.

*De Actionibus animalium motivis; sive, de motu spontaneo.*

**P**Ost receptionem & appetitum sensitivum sequitur motus spontaneus; qui est motus, quo corporis animalium, partes, citra ullam cogitationem à spiritibus animalibus, magnâ vi è cerebri ventriculis, per ejus poros à receptione vel aliâ causâ apertos, in nervos & musculos partibus annexos, fluentibus, eosque inflando secundum latitudinem dilatantibus, & longitudinem contrahentibus, de loco in locum, instar automatorum hydraulicorum vel pneumaticorum, moventur.


Musculi enim sunt partes, aliis solidis partibus adnatæ, quæ constant carne laxiore seu porosiore, & membranâ densâ eam undique vestiente & claudente, nec non nervo, qui poris & valvulis in muscularum cavitatem spectantibus; atque ideo spirituum influxum admittentibus, regressum verò impedientibus, est præditus. Spiritus itaque animalis, in eos per nervorum poros & valvulas sat copiosè & fortiter immissus, regredie ex iis ob valvularum situm non potens, necessariò illos inflando secundum latitudinem expandit, secundum longitudinem verò contrahit, & partem, cui illi sunt annexi, loco movet.

*Motus  
spontaneus.*

*Musculi.*

*Ratio mo-  
tus sponta-  
nei.*

Quod autem motus spontaneus per influxum spirituum fiat, id ad oculum aliquomodo conspici potest in limace A B C, phialâ vitrâ D inclusâ. Nam simul atque illa prorepere incipit, mox spiritus alii atque alii cum bullis conspicuis 1. 2, à caudâ A, ad corpus medium B, & inde ad caput C, perpetuò propelluntur. Simul atque verò limax quiescit, mox bullularum, à caudâ, ad



caput fluentium motus etiam sistitur. Si illa deinde rursus moveatur, mox etiam bullularum istarum conspicitur à caudâ ad caput progressus. Videtur autem in litracis motu spirituum quædam fieri circulatio, ita ut illi à cauda per ventrem transeant ad caput, & à capite per tergum redeant ad caudam, inde rursus ad caput progressuri.

*Motus  
spontanei  
alternatio.*

Omnis membrorum motus ferè est in contrarias partes alternatus: ita ut pars quælibet dextrorsum, sursum, vel antrorsum mota, postea vicissim sinistrorsum, deorsum, vel retrorsum spontaneo motu moveatur. Quod ut commodè intelligatur, duorum musculorum, in oculo vel alia parte oppositorum, fabrica est describenda; inde enim omnium aliorum musculorum constitutio & alternatus motus facile innotescent.


Musculi

Musculi igitur oculum A, modò ad dextram, modò ad sinistram moventes, duo sunt B, C: iique singuli suum peculiarem habent nervum; dexter quidem nervum D E, sinister verò nervum F G. Præterea circa principium, ubi illi sunt conjuncti, communi membranā H à se mutuò sunt discriminati, quæ circa D & F tales habet membranaceas valvulas, quæ suo situ, versus cavitatem muscularum spectante, spiritibus, nervos è cerebro ingredientibus, liberum transitum in musculos præbeant, redditum verò ex iis in cerebrum præcludant. Ad hæc, in mediastino nervorum pariete H, duæ aliæ sunt valvulae, poris suis I K appositæ; quarum una G spectat è dextro nervo D E, in sinistrum F G, & altera E vergit ex nervo sinistro F G, versus dextrum D E. His partibus musculi illi instructi, præbent aptum, tum quietis, tum motū ad dextram vel sinistram flexi, vel ad utramque alternati, vel in rectum tensi, instrumentum.

Primò enim, ubi nullus spiritus, per nervos D E & F G, in oculi musculos B, C, vehementius impellitur, valvulae omnes connivent, & spiritus, qui pauciores in singulis musculis sunt, eos tendere nequeunt, leniter ultro citroque ab uno musculo in alterum, per valvularum rimas, vicissim fluunt & refluxunt; oculumque, citra ullam tensionem, quietum relinquunt.

Vbi verò spiritus, per utrumque illum nervum, æquali vehementiâ, recens & continuò ex cerebro in musculos B, C,

*Musculo-  
rum oppo-  
torum fa-  
brica.*



*Oculi  
guies.*


*Oculi ten-  
sio in re-  
ctam.*

B, C, copiosius determinati, in illos fortius feruntur, utraque valvula G & E clauditur, ac impedit, quo minus spiritus ab uno musculo in alterum possit transire: & valvulae D, F, à spiritibus, ex musculis versus cerebrum per nervos D E & F G redire co-nantibus, expansæ, præcludunt viam, ne spiritus ingressi ex musculis B, C, in nervos versus cerebrum reverti queant. Atque ita tenetur oculus, à musculis utrumque æqualiter inflatis, in rectum tensus.


Cum autem spiritus paulo vehe-mentiùs ex cerebro in alterutrum ner-vum, ex. gr. in D E, recens continuo-que impellitur, clauditur valvula E, ita ut nullus spiritus, ex musculo dextro B, per eam, in musculum sinistrum C, possit transire; & simul aperitur valvula G, ut spiritus in mus-culo sinistro C existentes, suo impe-tu, quo perpetuò, quantum possunt, ad lineam rectam tendunt, valvulam G attollant, porumque aperiant, at-que per illum ex eo transeant in mus-culum dextrum B, eumque, cum spi-ritibus per nervum D E è cerebro ve-hementius influentibus, inflando dil-a-

tent & abbrevient, atque ita oculum I, versus dextram ex C in B inflectant.

Contra, ubi spiritus per nervum F G, in musculum sinistrum C, paulo fortius quam per alterum nervum, è cerebro





Oculi ad dextram flexio.



Inflexio oculi ad si-nistrum.

cerebro recens continuoque immittuntur, tum clauditur valvula G, ita ut nullus spiritus ex musculo C, per eam in musculum dextrum B possit transire; & simul aperitur valvula E, ita ut spiritus in musculo dextro B existentes, suo impetu, quo perpetuò quantum possunt, ad lincam rectam tendunt, valvulam E attollant, porumque ejus aperiant, atque per illum ex eo transeant in musculum sinistrum C, eumque cum spiritibus per nervum F G, ex cerebro vehementius quam per alterum D E influentibus, inflando dilatent, & abbrevient, oppositumque musculum B prolongent; atque ita oculum K, versus sinistram, ex B in C convertant.

Causa autem, cur apertâ aliquâ mediastini nervorum parietis valvulâ, spiritus per eam ab unâ tantum parte in alterum musculum; & non ab utrâque parte indiscriminatim, vel per vices, nunc in hunc, nunc in istum musculum fluere possint, hæc est: quod mediastini istius parietis pori I K, quibus istæ præsunt, ita sunt formati, ut ea pororum pars, quæ à valvulis claudi potest, sit latior, & in arctiorem, ac tandem in arctissimam angustiam, in alterum nervum desinentem, paullatim arctetur. Atque hinc datur spiritibus à latiore pororum parte in nervum oppositum transitus facilis; ab alterâ verò parte, quæ est angustior, difficilis, aut nullus.



*Cur, quando valvula aliqua mediastini nervorum parietis est aperta, spiritus ab unâ tantum pori parte, & non ab utrâque, transire possint.*

Sf

Porro

*Spirituum animalium dissipatio, & transitus in venas, non impedient musculturum justam dimensionem.*

Porro spirituum animalium in musculos movendos vel distendendos influxus, ita copiosus fortis & continuus est, ut illa spiritum dissipatio & in venas transitus, quæ in partium motu, & quovis alio tempore fiunt, musculorum inflationi, & tensioni, propter parvitatem suam, nihil obesse possint.

Atque ita ex his jam clarum est, quomodo ex vehementiore spirituum in nervum D E vel F G influxu, alternatim facto, alternata etiam oculi nunc ad dextram, nunc ad sinistram oriatur inflexio: unde reliquæ aliæ, non tantum oculorum, sed etiam omnium aliarum partium inflexiones & tensiones spontaneæ intelligi poslunt.

Quomodo musculus oculi uterque à tensione, vel alterutra flexione flaccescat.


Verum hic silentio non est prætereundum; quod ubi nova, continua, & vehementior illa spirituum ex cerebro, in utrumque vel alterutrum musculum cessat determinatio, mox nonnulli spiritus, in musculum utrumque vel alterutrum immissi, propter subtilitatem suam ex illo dissipantur, iique ab aliis non amplius restaurantur: quo fit, ut valvulae, quæ antea à magnâ illâ immissorum & influentium spirituum copiâ erant tensæ & arctè clausæ, flaccescant, & connivere incipiunt, spiritusque musculo utroque vel alterutro contenti à spontaneâ musculi istius contractione, qualis antehac sœpe est explicata, premanunt, iique pressi, secundum aliquam partem, in oppositum musculum, & versus cerebrum in nervum, propellantur: atque ita musculus uterque vel alteruter, qui antea à spiritibus ingressis & ingredientibus erat tensus, mox flaccescat.

Motus spontaneus vel perpetuis vicibus alternatur, vel quibusdam tantum temporibus in animali excitatur.

*Ratio spontanea respirationis.*

Inter motus spontaneos, perpetuis vicibus alternatos, maxime observabilis est spontanea vigilantium & dormientium respiratio; quæ ex eo oritur, quod pori cerebri,

bri, in musculos respiratorios spectantes, perpetuò patent; & nervus inspiratorius ex. gr. C G A, sit exspirationi inferiente D F B latior; & præterea, quia uterque musculus, quorum unus H inspirationi, & alter I exspirationi ministrat, tali membranâ est tectus & investitus, quæ à musculi dilatatione expansa, sese, per subtilis materiae in poros ejus influentis & nimis tum arctatae vim, sponte contrahit, eodem modo ut vesica suilla vel bubula, per inflatum aërem expansa, se se sponte contrahere, & aërem contentum per urethram ex sua cavitate expellere solet. Hinc enim spiritus animales, è ventriculis cerebri in utrumque nervum per valvulas C, D primùm fluentes, feruntur copiosius & fortius in nervum inspiratorium C G A, utpote latiorem, & magis patentem; quo clauditur valvula una G, in intermedio utriusque nervi parte E existens, eaque clausa impedit, ne spiritus ex hoc musculo inspiratorio H in alterum, per porum K, transire possit; & simul aperitur altera valvula F, in nervum oppositum D F B spectans, quo spiritus ex musculo exspiratorio L, in inspiratorium H, per porum I, una cum eo, qui per nervum C G A ex cerebro in illum fertur, tamdiu defluit, donec musculus ille inspiratorius, à



spiritibus illapsis tensus, ulteriore spirituum influxum impedit, & à membranâ suâ, cum vestiente & per spontaneam contractionem contrahente, ita prematur, ut spiritus, ex illo musculo regurgitantes, valvulam G aperiunt, atque ita per illam in musculum exspiratorium L, unâ cum spiritibus, jam per nervum DFB in ilium è cerebro defluere potentibus, & valvulam F claudentibus, fluant, & musculum exspiratorium L tamdiu expandant, donec ille sufficienter distentus, à membranâ ipsum vestiente, per spontaneam contractionem ita vicissim prematur, ut valvula F, à spiritibus, ex illo propter pressionem illam regurgitantibus, aperiatur, per eamque spiritus, ex musculo exspiratorio in inspiratorium pellantur, & valvula G occludatur, spiritusque per nervum CGA, in inspiratorium musculum H rursus fluant, atque ita per expansionem thoracis inspiratio tamdiu fiat, donec musculus inspiratorius à spiritibus satis tensus, per spontaneam suam contractionem spiritus suos per valvulam G, in musculum exspiratorium repellat, atque ita exspirationem per thoracis contractionem efficiat; quam deinde aliæ inspirationis & exspirationis, eo quo dixi modo, alternatae insequuntur vices.

*Motus  
spontaneus,  
ceris tem-  
poribus ex-  
citatus.*

Motus spontaneus, qui quibusdam tantum temporibus excitatur, ex eo originem dicit; quod objecta, aliquando oblata, nervorum fibrillas tantoper moveant, & illo motu poros cerebri ita aperiunt, ut spiritus, per illos copiosè in nervos & musculos fluentes, partem annexam tum de loco in locum moveant.

*Quomodo  
ille inter-  
dum diu  
continue-  
tur.*

In hoc motu sèpè est diutina motus membrorum, in contrariás partes alternati, continuatio, qualis in deglutitione, ambulatione, alisque multis observatur; quæ ex eo etiam oritur, quod musculi iis inservientes habeant non

non tantum nervos & valvulas in aliis motibus jam descri-  
ptas, sed etiam membranas, oppositos musculos investien-  
tes, quæ eos à spiritibus distentos spontaneâ contractione  
premunt, spiritusque ex iis in oppositos musculos vicissim  
repellunt; item quod unus nervus altero opposito sit latior.

Deglutitio-  
nis ratio.

Deglutitio-  
nis ratio.

De-

Enim fit, cùm ab alimento deglutiendo, ad fauces delato & fibrillas nervorum ibi contingente, talis motus ad cerebrum defertur, qui cerebri poros ita aperiat, ut copiosi spiritus per nervos in musculos faucium & œsophagi, tum dilatatorios, tum constrictorios, confluant; & quidem copiosius in dilatatorios, utpote latiores & magis patentes. Illos itaque, à spiritibus influentiibus prius repletos, premit membrana investiens, pellitque contentos spiritus, per sublatam intermediæ membranæ valvulam, ex iis in musculos oppositos, faucibus & œsophago arctando, & alimento propellendo destinatos. Isque à spiritibus influentibus vicissim impletis, sponte contrahuntur membranæ, quæ hos involvunt; exque expellunt spiritus his contentos per valvulam, quam regurgitando aperiunt, in musculos œsophagi dilatatorios. Qui rursus impleti atctantur spontaneâ membranæ eos investientis contractione; atque ita transmittunt illi rursus spiritus suos in musculos œsophagum contrahentes; & sic deinceps fit perpetua spirituum ex oppositis in oppositos musculos reciprocatio, quâ œsophagus modò dilatatus, modò constrictus, alimento in ventriculum propellit: quo in ventriculum propulso, & causâ, quæ nervos ulterius moveat, deficiente, cessat pororum cerebri apertio, & spirituum in musculos alternata influxio, & consequenter etiam deglutitio.

Ambula-  
tionis ra-  
tio.

Ambulatio verò perficitur, dum nervi crurum, ingressi inservientes, ex receptione aperiuntur, spiritusque in nervos muscularum oppositorum unos, magis patentes,

copiosius feruntur, eoque alterutrum crus profertur. His autem spiritu impletis, mox oritur membranarum hos investientium spontanea pressio, qua valvulae, in intermedio membrana sublatæ, transmittunt spiritus in musculos crurum his oppositos, eoque propellitur alterum crus; quo propulso & spiritibus impleto, intenduntur mox membranae musculos ejus tegentes, eaque repellunt horum spiritus per alias valvulas in priores musculos; qui deinde ex his vicissim repelluntur in alteros. Cumque hoc per continuas & diutinas iteretur vices, hinc continua & alternata fit pedum prolatione, donec causâ, quæ poros cerebri, in crurum nervos spectantes, aperiebat, cessante, cesseret spirituum influxus, & cum eo etiam ambulatio.

*Ratio relati-  
quorum o-  
mnium  
motuum,  
qui ab ani-  
malibus  
perficiun-  
tur.*

Cum autem motus ab objectis excitatus & sensoriis receptus, tum ob distantiam & locum unde venit; tum ob propriam suam varietatem; tum ob organi situm, ejusque temperiem & conformatiōnem, sive illæ sint nativæ, si-  
ve acquisitæ; tum ob spirituum dispositionem; tum ob motuum à variis objectis oblatorum concursum, infinitis rationibus in animalibus varietur: (Alius enim est motus, qui ex. gr. ab objecto longinquo, alius qui à propinquo; alius qui à dextris, alius qui à sinistris; alius qui vehementer, alius qui leniter; alius qui à sapore acido, alius qui à dulci; alius qui à rubedine, alius qui à viriditate; alius qui in membro tenso, alius qui in laxo; alius qui spiritibus tranquillis & puris, alius qui crassis, fæculentis, & turbatis; alius qui ovi, bovi, vel lepori, alius qui lupo, leoni, cani, vel ursi; alius qui animali læto, alius qui tristi, alius qui irato; alius qui docto, alius qui indocto; alius qui uni sensorio solus, alius qui cum alio multis sensoriis simul offertur:) Hincjam perspicuum est, infinitis penè rationibus pororum in cerebro & aliis partibus aper-

apertio[n]em , & spirituum in varias fibras , nervos & musculos influxum posse variari ; nec ulla[s] tales in animalibus obseruari actiones sensitivas & motivas , quæ inde originem ducere , & per motuum receptorum innumeram varietatem commodè explicari non possint.

Ita , ex. gr. si canis friget , & ignem in culina ex longinquu[m] videat , objectum illud aperit illos in ejus cerebro poros , qui in musculos crurum desinunt , quo ille ad ignem accurrit . Vbi satis est propinquus , ut blandè calefiat , spiritus in cerebro ita moventur , ut illi fluant in illos musculos , qui ipsum apud ignem sistant , & membra ipsius ibidem prosternant . Si scintilla majuscula , forte ex ardente ligno in pellem ejus insiliens ipsum urat , motus ille ardoris aperit mox illos cerebri poros , qui in musculos colli , oculorum , & pedum feruntur ; quo ille ignem adspicit , sese erigit , & ab igne fugit . Si herus ipsius forsitan ingrediatur , ita ab ejus aspectu aperientur cerebri pori , per consuetudinem sic dispositi , ut ad illum accurrit , latetur , & caudæ tremulo motu ipsi blandiatur . Sin exterus introeat , ejus aspectus & odoratus motu diverso illos aperient musculos , qui latratibus & morsibus excitandis iram ejus significant . Si catella ibi offeratur catuliens , illa odore suo ita determinabit spiritus in capite canis , ut illi fluant in partes ad coitum perficiendum utiles . Si postea in campis offeratur odor vestigiorum leporis , ex eo illi patefient cerebri pori , qui vestigiis insequendis , naribus ejus ad terram inclinandis , & viso lepori mordendo , ac , si recte doctus fuerit , ad dominum ejus deferendo , inserviunt . Si denique magnus ipsi occurrat molossus , ipse que fuerit generosus , spiritus ab illo aspectu moti ipsum ad iram & alterum mordendum ; si ignavior sit , ad timorem & fugam ipsum instigabunt .

Et quoniam pori cerebri , à recepto objectorum motu Quomodo  
à receptione  
aperti , ne varii

*affectus,  
variis fig-  
niu indica-  
ti, orian-  
tur.*

aperti, non tantum in hos vel illos nervos & musculos, membris movendis aptos; sed etiam in diversas cordis aliarumque partium fibras, lætitiae, tristitiae, timoris vel iræ affectibus excitandis, & per gannitus, ejulatus, risum, rictum, vel lacrymas significandis idoneas desinunt; id eoque solet ferè semper à vehementiore objectorum motu, non tantum varius, pro recepti motus varietate, corporis motus, ad rem objectam prosequendam vel fugiendum idoneus; sed etiam varius lætitiae, tristitiae, iræ, timoris, vel pudoris affectus, sèpissimè risu, lacrymis, clamoribus, erubescentiâ, expallesceniâ, minaci oris rictu, rugosâ fronte, vel aliis signis indicatus, oriri.

*Zoophyta.*

Inter stirpes & animalia, jam descripta, media sunt Zoophyta, quæ nec cor habent, ut animalia; nec alimenta præparata immediate accipiunt à terrâ, ut stirpes; sed ea in seipsis exactius, quam pleraque stirpes, præparant: & præterea aliquo modo ut animalia sentiunt & se movent; idque ope spirituum animalium sui generis, nec non nervis & fibris, valvulis suis præditis. Talia sunt conchylia, spongiæ, herba mimosæ, &c.

Atque hæc de animalibus in genere dicta sunt. Sequuntur species.

## C A P V T XVII.

*De Bestiâ.*

*Bestia.*

**A**NIMAL est bestia, & homo.

Bestia est animal merum; seu tale, quod actiones suas sensitivas & motivas, per solam partium dispositionem, citra ullam cogitationem, vel intellectum, quovis etiam vilissimo modo intelligentem, instar automati, perficit.

Cùm enim actiones bestiarum (ut præcedente capite  
in cane

in cane ex. gr. fuit demonstratum , & in quâlibet aliâ bestiâ etiam facile demonstrari potest) per solam spiritum, & reliquarum partium dispositionem possint explicari ; nec entia sint multiplicanda absque necessitate , nullam causam habemus , cur bestiis ullum intellectum attribuamus; præsertim cùm nos ipsi plurimas tales actiones, quam maximè ordinatas , citra ullam cogitationem , per solam corporis dispositionem à consuetudine ortam , quotidie faciamus. Si enim talis dispositio in nobis à consuetudine oriatur ; quidni similis aut magis accurata in bestiis à partium temperamento aut conformatione naturali originem ducat , & per consuetudinem magis perficiatur ? Huc accedit , quod Sacræ literæ Levit. 17, 14 , animam bestiarum, sanguinem earum esse dicant : & nolint alibi, nos similes esse equis & bobus , qui intellectum non habent.

Et certè si bestiis sensualem, imaginativum, vel quemlibet alium etiam viliissimum intellectum , vel qualemcunque cognitionem attribuamus , nulla causa naturalis dari potest , cur hominis mentem magis , quàm animam canis , vulpis , vel simiæ , incorruptibilem esse dicamus. Cùm enim qualiscunque intellectus , sive ratiocinans , sive nullâ ratiocinatione utens , non sit corpus , nec ex ejus dispositione oriri , seu ex ejus potentia , ut ajunt , educi queat , (uti antehac in formâ speciali, p. 44. fuit demonstratum ) sequitur ejus essentiam à corpore vel corporis dispositione non dependere, ac proinde ab illis corrumphi non posse.

Cum itaque dicit Scriptura apud Esaiam 1:3. *Cognovit bos possessorem suum ; & asinus praesepe Domini sui : Israhel autem me non cognovit :* & apud Ieremiam 8.7. *Milvus in celo cognovit tempus suum : turtur, birundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui ; populus autem meus non cognovit iudicium Domini :* idiotismus secundum apparentiam ; seu

*Quod Bestia omnes suas actiones, citra ullam cognitionem , vel viliissimam, faciant.*

*Si bestia vel minimam habret cognitionem , illius anima , ut hominis , effet incorruptibilis.*

metaphora in illis verbis est intelligenda. Ita ut verba illa sanctorum Prophetarum nihil aliud velint, quam bovem, asinum, milvum, turturem, & ciconiam, ita ordinatè vitam instituere, ut, quamvis nullam cognitionem habeant, videantur tamen dominos suos, prælepe, & tempora novissima; Israëlem vero ita inordinate, imo impie vivere, ut, quamvis Deum & ejus voluntatem rectè noverit, nullam tamen Dei vel divinæ voluntatis notitiam habere videatur. Atque hoc ex eo clare patet, quod, Psalm 146. 9, *pulli corvorum Deum invocare dicantur*; quod sanè sine metaphorâ intelligi non potest, cum pulli illi, utpote nullam planè de Deo cognitionem habentes, eum propriè invocare non possint.

*Nec bestiarum docilitas, & ad fines certos accedit.*

Neque his adversatur, quod bestiæ multa docentur, & ad certum finem agunt. Nam etiam fontes artificiales & horologia, per partium dispositionem rectè adaptata, citra ullam cogitationem similiter docentur, & multa admiranda propter finem, ab artifice præscriptum, faciunt.

*Vnde oriantur tam variæ bestiarum genera.*

*Earum differentia.*

Bestiæ, pro variâ suorum principiorum partiumque varietate, variam habent corporis constitutionem, & in variis telluris partibus gignuntur & vivunt: atque hinc omnis earum differentia originem dicit.

Bestiæ sunt vel terrestres, vel aquatiles.

Terrestres vel in ipsâ terrâ superficie vivunt, vel altius supra terram in aëre degunt.

In ipsâ terrâ sunt animantes, tum quadrupedes, tum reptiles. Et utriusque generis sunt insecta quædam.

Bestiæ quadrupedes sunt viviparæ, vel oviparæ.

Viviparæ, sive quæ vivum animal pariunt, aliæ sunt solidis pedibus, aliæ dissectis præditæ.

Solidos pedes habentes cornibus ferè carent; ut equi, muli, asini.

Qua-

Quadrupedes dissectos pedes habentes, sunt vel bifidæ, vel multifidæ.

Bifidæ sunt cornutæ pleræque: ut bos cervus, caper.

Multifidæ sunt, quæ pedes in multos digitos dissectos habent: Ut leo, ursus, lepus, cuniculus, canis.

Oviparæ quadrupedes sunt crocodili, testudines, laceræ, ranæ, & serpentes nonnulli quatuor pedibus prædicti.

Reptiles animantes terrestres sunt omnis generis vermes; quò à nonnullis referuntur formicæ, erucæ, & alia hujus generis insecta. His à quibusdam adduntur, cimices, pulices, pediculi.

Animantes, quæ, præter terram, etiam in aëre degunt, sunt volucres, seu aves.

Hæ omnes, excepto vespertilione, sunt oviparæ, binosque tantum habent pedes: eosque vel planos, vel multifidos.

Planos habent anates, anseres, olores.

Multifidos aliæ pleræque, ut columbæ, hirundines, pafseres, gallinæ.

Volucria insecta sunt muscæ, culices, apes, vespæ, crabones, scarabæi, cervi volantes, cantharides.

Animantes aquatiles sunt, quæ in aquis potissimum degunt. Ejusmodi sunt pisces, & quæ his annumerantur, ut phoca, sepia, hippopotamus, castor.

Pisces vel molliores sunt, vel duriiores.

Molliores sunt, vel squamosi, ut carpio, lucius, percæ: vel cute tecti, ut anguillæ.

Duriores sunt vel crustacei, ut cancer, gammarus, scopia, locusta marina: vel testacei, ut concha margaritifera, & aliæ.

Atque hæc breviter, de bestiâ, pro instituto nostro, diximus. Sequitur homo.

# PHILOSOPHIAE NATURALIS

LIBER QUINTVS.

De Homine.

C A P V T I.

*De mente humana, sive Animâ rationali.*

*Homo.*

*Natura  
mentis hu-  
mana in  
solâ cogita-  
tione con-  
sistit.*



Omo est animal mente præditum.

Vt corporis natura in solâ extensione ;  
sic mens humana in solâ hominis cogita-  
tione consistit. Nam, ut positâ vel ablatâ  
extensione , corpus ponitur vel tollitur ;  
sic, positâ vel ablatâ cogitatione , ponitur  
vel tollitur mens humana. Nec quicquam præterea in  
eâ demonstrari vel opus est , vel potest ; cum per hanc  
natura ejus satis explicetur.

*Atque ideo  
non est  
guaren-  
dum, quo-  
modo illa  
cogitet.*

*Quid cogi-  
ratio , sive  
mens hu-  
mana.*

*Genus de-  
finitionis  
hujus, &  
ejus diffe-  
rentia  
specifica.*

Frustra itaque queritur , quomodo mens cogitet : cum  
illa hoc per essentiam suam jam explicatam faciat , ut  
corpus per extensionem , seu essentiam extensam , se  
extendit.

Cogitatio autem , sive mens humana , quæ vulgo etiam  
anima rationalis dicitur , est internum illud principium  
sive facultas , quâ actiones cogitativæ ab homine primò  
peraguntur.

Genus in hac definitione est *internum principium sive  
facultas* ; quod menti cum facultate movendi , vel quies-  
cendi , aliisque , est commune. Reliqua ponuntur pro  
specie-

specificâ differentiâ, ipsam mentem ab aliis facultatibus discernente.

Porro additur *primo*, ad excludenda instrumenta cere-  
bri, quibus actiones cogitativæ, non *primo*, sed secundò, <sup>*Cur addita  
sit vox  
primò.*</sup> sive instrumentaliter, perficiuntur.

Actiones cogitativæ sunt, quarum mens sibi est con-  
scia. Sic sensatio, reminiscens, imaginatio, & omnis simi-  
lis operatio, cuius sumus consciæ, est actio cogitativa.

Eæque omnes, quæ non sunt ex revelatione divinâ, <sup>*Hæ sunt  
sensationes  
vel abis  
orta.*</sup> sunt sensationes, vel à sensatione originem ducunt. Nam nihil possumus velle, dijudicare, reminisci, nec de quo-  
quam imaginari, nec quicquam aliter percipere, nisi  
eius idea per sensationem, mediata, vel immediate, in  
nobis antea producta, vel postea excitata, & menti obla-  
ta fuerit.

Per cognitionem itaque hîc intelligimus, non cogi-  
tandi actionem; sed actum, ut vocant, primum, seu, <sup>*Per cogita-  
tionem hic  
intelligo,  
non cogi-  
tandi a-  
ctum secun-  
dum, sed  
primum.*</sup> ut jam dixi, facultatem, sive principium internum co-  
gitandi: quod etiam tum in nobis est; cum ab omni co-  
gitandi actione abstinemus.

Quantum ad naturam rerum attinet, ea videtur pati, <sup>*Mens potest  
esse vel sub-  
stantia; vel  
quidam  
modus cor-  
poris; vel  
attribu-  
tum, cum  
extensione  
eidem sub-  
jecto inha-  
rens: pro-  
pterea  
quod ex-  
tentio &  
mentis co-  
gitatio sint  
diversane-*</sup> ut mens possit esse vel substantia; vel quidam substantiæ corporeæ modus; vel, si nonnullos alios philosophantes sequamur, qui statuant extensionem & cognitionem esse attributa, quæ certis substantiis, tanquam subjectis in-  
sunt, cum ea attributa non sint opposita, sed diversa; ni-  
hil obstat, quo minus mens etiam possit esse attributum quoddam, eidem subjecto cum extensione in homine conveniens; quamvis unum in alterius conceptu non comprehendatur. Quicquid enim rectè, sive clarè & di-  
stinctè, possumus concipere, id, saltem per divinam po-  
tentiam, potest esse: Atqui, ut mens aliquid horum sit,   
rectè concipi potest; nam nullum horum implicat con-

*quaquam  
vero oppo-  
sita.*

*Mens sive  
facultas  
cogitandi  
est conside-  
randa , ut  
genus , va-  
riis specie-  
bus compe-  
tere potens.  
Cogitatio  
& extensio  
non ideo  
sunt oppo-  
sita , quia  
sunt di-  
versa :*

traditionem : Ergo ea aliquid horum esse potest. Ac proinde mens , sive facultas cogitandi , est ut genus consideranda , quod varias sub se potest comprehendere species ; quarum una sit substantia , & propterea substancialis ; altera sit attributum , ac ideo attributiva ; tertia ve- rò sit modus , atque idcirco modalis dicatur.

Malè verò hīc ita inferat aliquis : Cogitatio & extensio hic dicuntur diversa , ergo sunt opposita ; quia unum non est alterum : & quidem contraria , quia includunt esse & non esse ; nam cogitatio est , sed non est extensio . Hic enim esset magnus , ex terminorum logicorum ignoratio- ne ortus , paralogismus . Nam quamvis hæc non sint unum idemque , & ratione bestiæ & stirpis in eodem subjecto non convenient ; in alio tamen subjecto , ut in homine , consentire , eidemque , etiam secundum idem simplex subjectum , attribui possunt . Atque ideo talia à Logicis appellantur diversa , quemadmodum illa , quæ non tan- tum non sunt idem ; verum etiam eidem subjecto , secun- dum idem , ad idem , & eodem tempore , attribui non possunt , vocantur opposita . Eaque sunt vel disparata , quando unum multis pariter ; vel contraria , quando unum uni tantum opponitur . Quæ posteriora rursus sunt relata , adversa , contradicentia , & privantia : ut ex Lo- gicis patet .

*Nec , quia  
unius con-  
ceptus in  
alterius  
conceptu  
non com-  
prehendi-  
tur.*

Nec obest , si quis dicat cogitationem nihil extensi- nis , & extensionem nihil cogitationis in suo conceptu includere , atque ideo illa attributa esse opposita , ac pro- inde illa eidem simplici subjecto in homine tanquam di- versa attribui non posse ; neque etiam mentem , sive fa- cultatem cogitandi , corpus extensem posse modificare . Respondetur enim per negationem istius consequiæ , quam nemo , nisi per petitionem principii , probabit unquam . Sufficit enim , ut hæc sint diversa , quod , quam-

vis

vis hæc se mutuo in conceptu suo non includant, non tamen una alteram à conceptu suo excludat; atque ideo cum eâ, in eodem subiecto subsistere queat. Ita in conceptu animalis non includitur quidem ratio, nam alioqui bestia necessariò esset animal rationale: sed ea non excluditur tamen; atque ideo aliquod animal ratione potest esse præditum, quod homo dicitur. Imo contrà, quia cogitandi facultas nihil extensionis, & extensio nihil cogitationis in conceptu suo includit, & neutra alteram excludit, ideo non sunt opposita, ac proinde illa eidem simplici subiecto inesse possunt, vel cogitatio materiam corpoream modificare potest. Nam si cogitatio in conceptu suo includeret extensionem, non posset esse in subiecto extenso; alioqui enim fieret penetratio dimensionum: &, si extensio includeret cogitationem, cogitatio esset in cogitatione, quod etiam absurdum. Iam verò quia neutrum alterum includit; neque ulla mutuæ exclusionis est ratio; ideoque illa in eodem simplici subiecto in homine esse possunt: corpusque extensum à mente modificari potest.

Atque hinc patet absurdam eorum esse imaginationem, qui motum & figuram imaginantur in suo conceptu includere extensionem, atque ideo illa tanquam modos inesse posse extensioni corporis. Quandoquidem si ipsorum imaginatio esset vera, tum, motu & figurâ in corpore aliquo existente, esset penetratio dimensionum: extensio enim motûs & figuræ penetraret ipsam extensionem corporis ab illis modificati. Itaque si velimus dicere, quod res est, non dicemus, quod motus vel figura corporis habeant vel includant in suo conceptu ullam extensionem; sed tantum quod corpus, motu & figurâ præditum, in longum latum & profundum se extendat, in eoque modos illos motûs & figuræ sine ullâ extensione existere; quia exten-

*Motus &  
figura cor-  
poris non  
includunt  
in suo con-  
ceptu ex-  
tensionem.*

extensio ipsis non adversatur. Atque ita etiam , quia extensio cogitationi non adversatur , potest cogitatio in eodem simplici subiecto cum extensione subsistere , vel corpus extensum modificare; quamvis unum in alterius conceptu non comprehendatur.

*Quamvis  
cogitatio  
& extensio  
eidem sim-  
plici subje-  
cto possent  
inesse, non  
tamen id  
cireb cogi-  
tatio longa,  
lata, profunda, quadrata, ro-  
tunda; & extensio affirmata, negata, videns, audiens. Illa  
enim est nullius consequentiae. Nam quamvis illa attribu-  
ta eidem simplici subiecto inesset, servarent tamen sin-  
gula suam quamque differentiam: extensio enim ideo non  
fieret cogitatio: nec cogitatio fieret extensio: atque idcirco  
proprietas unius de alterâ affirmari non possent. Ve-  
affirmans, rum ipsum subiectum, in quo hæc duo attributa simul  
vel negans, existerent, rectè & verè posset dici longum, latum, rotun-  
dum, quadratum, ratione suæ extensionis, & ejus modi-  
rum; & simul cogitans, affirmans, negans, intelligens,  
volens, ratione cogitationis, quæ in illo existeret.*

*Quamvis  
de corpore,  
non autem  
de mente  
dubitare  
possimus;  
nihilominus  
mens potest  
esse qui-  
dam corpo-  
ris modus.*

Nec obstat , quo minus mens poslit esse modus corporis , quod de corpore dubitare , de mente verò dubitare nequaquam possimus , hoc enim illud tantum probat , quod, quamdiu de corpore dubitamus , illam certò ejus esse modum dicere non possimus. Interim tamen , cum illud corpus , de quo dubitamus , nihilominus possit subsistere ; cumque nulla sit ratio , cur non illud à mente queat modificari , ut ex iis , quæjam dicta sunt, satis est manifestum : hoc sufficit , ut mens , quæ est certa , istius dubii corporis possit esse modus : si sc . , aut quando illud corpus , de quo dubitatur , existit. Idque eo modo , ut si quis certus sit aliquem figuram ex. gr. crucis penes se habere ; dubius verò , an ille habeat num-  
mos : quamvis dubii sint mummi , poslet tamen certa illa  
crucis

crucis figura modus esse istorum nummorum , de quibus dubitatur. Imò etiamsi corpus planè negaretur , nihilominus mens posset istius negati corporis esse modus: quia corpus , quod negatur , nihilominus potest existere ; cum affirmatio vel negatio nostra rerum non tollat , nec constitutat existentiam , s̄æpeque cum rerum veritate non consentiat. Atque ideo hoc , quamvis negaretur , à mente tamen , quia nulla repugnantia est ratio , posset modificari.

Quod autem nullum horum , quæ dixi , implicet contradictionem , ex eo est manifestum , quod mens , sive sit substantia ; sive aliquod attributum , eidem subiecto cum extensione conveniens ; sive substantiæ corporeæ modus , quo illa modificetur ; quique ejus tantum sit accidens ; semper tamen est facultas cogitandi , in quâ generalis mentis essentia consistit.

Errant igitur , qui asserunt nos mentem humanam clare & distinctè , tanquam necessariò à corpore realiter distinctam , concipere. Cum ea , ut jam probavimus , æquè tale attributum , vel substantiæ corporeæ modus , ac substantia per naturam , ob divinam omnipotentiam , esse possit.

Et , si quis nihilominus diceret se mentem humanam clare & distinctè , tanquam necessariò à corpore realiter distinctam , concipere ; hoc tantam fidem mereretur , ac si quis diceret , se clarè & distinctè concipere animal necessariò esse hominem : cum illud , utpote genus , oppositæ speciei quoque competens , possit etiam esse bestia.

Atque hinc etiam illorum patet error , qui in illo mentis conceptu , quo illa ita concipitur , ut per naturam possit esse non tantum substantia , sed etiam attributum , vel modus quidam corporis , talem implicationem contradictionis

*stantia, & dictionis esse dicunt, qualis est in conceptu montis sine attributum, & modus corporis, non est contradicatio, quae est in conceptu montis sine valle.*

dictionis esse dicunt, qualis est in conceptu montis sine valle. Nam cum mons sit terra, vel saxum, vel aliud quid, ex humili adjacente terrâ sive valle, in satis magnum tuber subflatum; si à tubere isto terræ auferatur humile illud solum, nulla terræ ex illo erit eminentia, ac consequenter nullus mons. At verò, cum mens sit generalis illa cogitandi facultas, sive illa concipiatur, ut per se subsistens, hoc est, ut substantia; sive ut attributum antea explicatum; sive ut substantiarum corporearum modus: semper tamen concipitur, ut essentia cogitans, quæ in facultate illa generali cogitandi, tribus illis jam commemoratis speciebus, substanciali, attributivæ, & modali, competente, sive communi, consistat.

*Quamvis mens concipiatur ut substantia incorporea, potest nihilominus etiam concipi ut attributum, & ut modus corporicus.*

Nullius igitur momenti est hæc objectio: mens sive facultas cogitandi concipitur, vel concipi potest, ut substantia & quidem incorporea, ergo non potest rectè concipi ut attributum, vel modus corporeus. Hæc enim, tantundem à veritate recederet, ac si quis diceret, animal non posse concipi, quod sit irrationale; cum illud possit concipi, quod sit rationale. Affirmatio enim generis de unâ specie, non est negatio de alterâ oppositâ: cum genus omnibus suis speciebus, et si oppositis, communiter tamen competit, vel competere possit.

*Quatenus essentia sit necessaria, & quatenus contingens.*

Atque eatenus est mentis essentia necessaria, quatenus necessariò, in generali illâ facultate cogitandi consistit, & sine illâ subsistere non potest. Quatenus autem facultas illa generalis cogitandi, ob non repugnantiam naturæ, potest esse in variis suis speciebus, vel substantia, vel attributum, vel quidam substantiarum corporearum modus, & ita varias species constituere, eatenus est ejus essentia contingens. Ita ut mens humana, quæ, ut jam patet ex Verbo Dei, est substantia, à Deo ita potuisset fuisse facta, vel etiamnum ita posset fieri, ut ea esset talis substantiarum corporearum modus,

dus, vel tale attributum eidem subiecto simplici inhærens, quale modò fuit explicatum: & tamen easdem cogitativas, quas nunc exhibet, exhiberet & perageret actiones.

Atque hinc jam est perspicuum, non esse absolutè & necessariò verum, quod quicquid de alicujus rei essentiâ aliquando verum est, id semper sit verum. Hoc enim, ut jam vidimus, posset aliquando in nonnullis fallere, quorum sc. variæ sunt vel esse possunt species. Atque hoc, ut familiari aliquo exemplo rem illustrem, in horologio patet, cuius generalis essentia nunc in unius, nunc in trium, nunc in septem, nunc in plurium rotarum, nunc in spiræ, nunc in appensi ponderis, nunc in styli, nunc in arenæ, nunc in aquæ rectâ cum reliquarum partium adaptacione, varias horologiorum species, pro ratione variæ istius adaptationis, constitente, consistit: quodque hinc variam & contingentem, ratione variarum istarum specierum, quarum una sine aliâ esse potest, essentiam habet.

Essentia enim cujusvis generis subsistere potest, etsi non necessariò hæc vel illa species subsistat: potest enim tum subsistere in aliâ.

Vt itaque rem in pauca contraham, hoc volo: ut essentia animalis, vel horologii, potest subsistere, quamvis necessariò non sit homo vel clepsydra; sed bestia, vel horologium rotularium; ita essentia cogitans potest subsistere, quamvis non sit facultas cogitativa substancialis, sed attributiva, vel modalis.

Atque ita patet, quod generalis mentis essentia, ratione oppositarum suarum specierum, sit contingens, ac proinde, quod ex naturâ determinati non possit, an mens humana substancialia, an verò accidens, sit dicenda.

Quod autem mens humana sit substancialia, sive ens realiter à corpore distinctum, & actu ab eo separabile, quod-

*Non quicquid de essentiâ aliquid interdum verum est, id de eâ semper verum est:*

*Nam essentia generis potest subsistere, etsi non subsistat hac vel illa species.*

*Atque hoc in essentiâ animalis et horologii est manifestum: ac proinde etiam in essentiâ mentis humanae.*

*Quod mens  
humana sit  
substantia,  
indubitabi-  
le est ex SS.  
literis.*

que seorsum per se subsistere potest, id in Sacris literis, plurimis in locis, nobis est revelatum. Atque ita, quod per naturam, si accuratam ac indubitabilem, & non moralem, sive verisimilem, rerum veritatem & cognitionem quæramus, erat dubium, jam, per divinam in Sacris revelationem, est indubitatum.

*Nec mi-  
rum eß,  
mentem  
aliud quid  
esse posse  
quum eß.*

Et ne quis miretur, quod mens aliud quid esse possit, quam in Sacris, eam nunc esse, nobis est revelatum: consideretur hic mundus, qui millicuplo per divinam omnipotentiam præstantior, multisque aliis modis formatus, ac innumeris bestiarum, stirpium, aliarumque rerum, aliis speciebus prædictus, quam nunc est, esse posset.

*Neque his  
quisquam  
contradi-  
cit, nisi  
qui de o-  
mnipoten-  
tiâ divinâ  
dubitatur.  
Mens,  
quamdui  
est in cor-  
pore, est  
organica,  
sive orga-  
nus corporeus  
indigens:*

Atque hæc adeò vera sunt, ut nemo his contradicere possit, nisi qui de divinâ omnipotentiâ & rerum creatarum imperfectione, quæ in infinitum, sive perpetuò, ulterius à Deo perfici potest, dubitaverit.

Mens humana, quamvis sit substantia à corpore realiter distincta, in omnibus tamen suis actionibus peragendis, quamdiu est in corpore, ea, meo & multorum philosophorum, tritissimam hanc quæstionem ventilantium, judicio, est organica, sive corporeorum organorum indigens; ita ut planè nullas actiones sine corporeis organis perficere possit, eaque utatur corpore, corpus verò non utatur mente: cum mens intellectum & voluntatem, corpus verò nihil eorum habeat.

*Tum in co-  
gitationi-  
bus de re-  
bus corpo-  
reis, tum  
de incor-  
poreis.*

In omnibus enim actionibus saltem cerebro satis sanno, & satis rectè, secundum parenchyma, sanguinem, & spiritus, disposito indiget; ut passim in pueris, senibus, deliris, sanis, aliisque quotidiana docet experientia. Correctâ enim per ætates & sanationes temperie cerebri, corrigitur cogitationes; eâ verò per senectutem & morbos depravatâ, depravantur etiam mentis operationes: eâ denique per morbos omnino corruptâ, mox etiam cef-

sat

sat omnis nostra cogitatio , sive cogitandi actio , & homo tandem moritur. Idque non tantum in rebus corporeis, sed etiam spiritualibus & divinis considerandis, est comprehendendum.

Atque hoc ex eo patet , quod ut de corporeis , ita etiam de divinis & spiritualibus rebus non nisi corporeâ sensatione & imaginatione de humanis & corporeis rebus præcedente , & corporeis memoriarum notis cerebro impressis adjuvantibus, spiritibusque animalibus auxiliatis , quicquam cogitare possumus.

Quid autem ( ut alia brevitatis causâ prætereat ) spiritus animales hîc juvent , ex eo est manifestum , quod justâ illorum quantitate deficiente , nulla de Deo vel aliâ re , sive corporeâ sive incorporeâ , à mente fiat cogitatio , ut in somno profundo , apoplexiâ , & magnâ lipothymiâ , paßim observatur. Ita ut vel solus spirituum animalium defectus , cogitationes in homine penitus tollens , sufficiens organicae mentis constitutionis , sive ipsius organorum ad cogitandum indigentiae , sit argumentum.

Neque his sublimiores & diviniores quorundam moribundorum cogitationes & sermones adversantur. Nam & illæ à mente ope spirituum animalium perficiuntur , qui in moribundis saepe puriores & subtiliores ac generosiores ex eo sunt , quod ex partibus totius trunci corporis sensim frigescientibus spiritus in venas , & ex iis ad cor , atque hinc in cerebrum , copiosiores & limpidiores propellantur ; idque eo ferè modo , quo spiritus ex vino & cerevisiâ , sensim congelatis , ab exterioribus in interiora copiosius solent propelli. Cum itaque mens à rebus mundanis abstracta , eaque his instrumentis purioribus est instructa ; tum nihil est mirandum ægros illos , quamvis reliquum corpus sit debile , sapientiorum cogitationum proferre indicia.

*Idque patet ex sensatione , imaginatione , & reminiscientiâ hic necessariâ.*

*Sed præcipue ex spirituum necessitate.*

*Quomodo quidam moribundi sublimiores & diviniores habent cogitationes.*

*Cogitatio  
mentis, pro  
organorum  
varietate,* Atque ex his jam patet, cogitationem pro diversâ or- ganorum dispositione esse variam ; mentemque non semper actionem cogitandi exercere.

*est varia :* Sed hic forsitan objiciat aliquis : quod, ut corpus suâ exten- sione semper actu se extendit, ita mens suâ cogita- tione semper etiam actu cogitet. Verum respondetur, dissimillimam horum duorum esse rationem. Nam corpus sine ullius alterius rei auxilio, se perpetuò per se extendit. Mens verò, quamdiu est in corpore, actu non cogitat, nisi objecta cogitabilia, vel eorum phantasmatâ, ima- gines, aut notæ, mediantibus aptis instrumentis, ipsi offerantur. Quod cum non semper fiat, non est miran- dum, mentem non semper actu cogitare.

*Quamvis  
mens sit  
organica,  
non tamen  
idcirò ne-  
cessariò est  
modus cor-  
poris.* Neque tamen ex organica illa mentis constitutione sequitur, mentem non esse substantiam, sed esse tantum modum corporis ; corpusque mente uti, tanquam suo modo. Nam non quicquid instrumentis utitur, id est modus. Nec actiones præcipue instrumentis, sed ipsis, ut appellant, suppositis, vel causis principalioribus, in- strumentis utentibus, quæ hîc est anima rationalis, ad- scribuntur.

*Nulla cau-  
sa est, cur  
mentem in  
aliâ corpo-  
ris parte ef-  
fe ditamus,  
quam in  
sensorio  
communi,  
in cerebro  
existente.  
Cur vulgo,  
& à Sacris  
scriptori-  
bus, cogita-  
tiones in  
corde fieri  
dicantur.* Cum mens humana in solo sensorio communi, quæ est parva quædam cerebri particula, antehac designata, actiones cogitativas exerceat ; cumque ea ex nullis effe- ctis, in ullâ aliâ corporis humani parte se prodat, (nam ali- tura, & generatio, ut à solo corpore humano peragitur,) nulla est causa, cur eam in ullâ aliâ parte, quam in solo sen- sorio communi, existere statuamus.

Neque his adversatur, quod vulgus, &c cum eo S. Scri- ptura, dicat cogitationes in corde fieri. Talis enim, omnisque alia similis locutio, secundum apparentiam, & metaphorice, tantum est intelligenda. Nam ea ex eo est orta, quod, cum vulgus, ex cogitationum in cere- bro

bro contingentium varietate , varios oriri affectus , cor , mediantibus spiritibus cerebri animalibus , variè affi- cientes , observet ; hinc ipsas cogitationes , affectus il- los cordis excitantes , ipsi cordi verisimiliter sive apparen- ter per metaphoram adscribat .

Animæ rationalis actiones licet à bonâ corporis dispo-  
sitione juventur & à pravâ lădantur , cum illud animæ , Mens est  
incorrupti-  
bilia.  
ut jam vidimus , sit instrumentum ; ejus tamen essentia , utcumque corpus fuerit dispositum , semper manet immu-  
tata & incorruptibilis : cum hæc sit naturæ à formâ cor-  
poris humani , sive ab ejus temperie & conformatione , ex convenientiæ partium motu , quiete , situ , figurâ , &  
magnitudine ortâ , plane diversæ , utpote quæ in solâ fa-  
cultate cogitandi consistat ; nec ex illâ partium dispositio-  
ne oriri queat , cum ea tantum varios , & variè sibi mutuo  
occurrentes , ac inter se concurrentes , & se mutuò inse-  
quentes motus ; nullam verò vel minimam perceptio-  
nem , aut aliam , vel levissimam cogitationem , sive actio-  
nem cum conscientiâ conjunctam , producere possit , uti  
antehac pag . 44 fuit demonstratum ; ac proinde ab ea  
corrumpi non possit . Atque hinc intelligimus , corpore  
humano per morbos lethales corrupto , & homine per  
mortem extincto , mentem nihilominus superstitem &  
incorruptibilem , quod alii immortalem appellant , per-  
manere .

Atque hoc adeo verum est , ut etiamsi illa tantum esset  
quidam substantiæ corporeæ modus , ea nihilominus , Taliisque  
esset , et si ea  
tantum fo-  
ret corpo-  
reus mo-  
dus :  
propter causam jam dictam , necessariò incorruptibilis  
foret .

Neque obstat , quod illa , modaliter in corpore existens , Nec enim  
properea  
esset divi-  
sibilis : nam  
posset tum  
corpusculo esse in par-  
cum corpore subiecto dividenda , ac proinde ejus unitas  
rumpenda videretur . Nam , ut aliam responcionem præter-  
eam , illa tum in minima sensorii communis atomo , sive

*ticula in-  
divisibili.*

corpusculo propter parvitatem & soliditatem suam naturaliter indivisibili, posset existere, atque ita illa tum ab omni naturali divisione, cum corpore subiecto alicui forsitan metuendâ, esset immunis.

*Quamvis  
particulae  
insensibi-  
les sunt  
communi-  
ter divisi-  
biles; pos-  
sunt tamen  
nonnullae  
esse natu-  
raliter in-  
divisibiles.  
Mens non  
est tota in  
toto, & in  
singulis  
partibus to-  
ta, dicen-  
da.*

*Mens cor-  
pore est in-  
telligibi-  
lior.*

Quamvis enim insensibiles particulæ, sensibilia corpora constituentes, communiter, indefinitè sint divisibles, nihil tamen est absurdum, nonnullas dari vel dari posse, quæ propter maximam suam parvitatem, & soliditatem, & figuram, naturaliter ulterius dividi non possint.

Cumque mens, quam ex revelatione divinâ substantiam à corpore distinctam esse novimus, nullas partes, nec ullam extensionem in conceptu suo habeat, frustrâ queritur, an sit tota in à totô, & in singulis partibus tota. Corporum enim proprium est sese extendere; & totum vocari ab illis existentiis est alienum, quæ nullas partes habent. Et certè, si mens, quæ est substantia, esset extensa, esset etiam corpus; quippe quod nihil aliud sit, quam substantia in longum latum & profundum extensa.

Hæc, ut corpore est perfectior, quod ex nobilioribus ejus operationibus est manifestum; ita eo etiam est intelligibilior: Quia de corporis existentiâ semper naturaliter dubitare possumus, cum à potentissimo aliquo directore ita possimus disponi & affici, ut pro vero corpore nobis tantum apparens ejus imago offeratur: de mentis verò existentia nullus dubitandi superest locus; cum illa etiam per dubitationem, & falsam mentis imaginacionem, sit manifesta; nam nihil potest dubitare, vel falsum imaginari, quod non existit.

*Quia mens  
nostra ab  
imagina-  
riis, quæ  
evidenter  
atque à  
veris, potest  
affici, ideo*

Porrò, cum mens nostra, corpori arctissimè in unam substantiam unita, ejus sit naturæ, ut non tantum corpus afficere, sed etiam à corpore satis bene disposito diversimodè affici, & à variis motibus varia perceptionum & judiciorum cogitatio ipsi possit excitari; ut experientia in

in hominibus vario temperamento præditis, variasque cogitationes idcirco habentibus, evidenter testatur: cumque illi motus non tantum à corporibus veris, sed etiam à causis imaginariis, & à potentissimo directore, per summam ejus potentiam, tantum imaginariè productis, menti evidentissimè, & pari cum rerum verarum evidentiâ, offerri queant; Hinc videtur manifestum, quod mens nostra æquè evidenter ab imaginariis, atque à veris, in perceptione affici possit; quodque ideo, non moralem sive probabilem verisimilemque, sed exquisitam, accuratam, & indubitabilem veritatis cognitionem quærenti, per naturam mentis jam propositam, dubium & incertum sit, an ulla vera corpora, an vero imaginatio tantum phantasma à nobis percipientur, ullave de iis vera, an imaginaria nostra sint judicia: cum utrumque par possit esse perceptionum claritas & evidētia, ex eaque solā judicia nostra, etiam optima, ferri queant, & soleant.

Vanæ itaque & inanes eorum sunt gloriationes, qui ex naturâ apodicticam & indubitabilem rerum scientiam se habere, vel habere posse, jastant; cum ex eâ suprà verisimilitudinem nihil quicquam, ut ex dictis patet, haberi queat.

Neque his quicquam obest, quod multæ perceptio-nes, & judicia inde orta, videantur evidentissima, nullusque error in illis ab ullo unquam deprehendatur. Nam hoc tantum magnam modo eorum verisimilitudinem, nullam vero apodixin arguit. Cum enim hoc etiam ab evidentiâ & constantiâ imaginariæ apparitionis, & judicii nostri perpetuâ debilitate: non autem à solâ rei veritate fieri possit: proinde, ratione apodixios, dubium est, ab utrâ causarum hoc fiat.

Nec obest, si quis hic ita dicat: licet absolutam Dei potentiam in arctum cogendam esse non putemus, no-

*per natu-  
ram, du-  
biū est,  
vera, an  
imaginaria  
& tantum  
verisimilia  
percipia-  
mus.*

*Nec obest  
judiciorum  
nostrorum  
evidētia  
& constan-  
tia.*

*Nec, con-  
traria af-  
firmatio.*

vimus tamen , eum per meram clementiam sensus nobis reliquisse integros , ac præterea judicium mentis ; ita sc. ut imaginaria à veris, non verisimiliter, sed indubitabiliter possint discernere. Illud enim cum nullâ probatione naturali nitatur , imò cum eâ pugnet , pro merâ & nudâ assertione , quæ tam facile ab aliis rejiciatur , quam ab ipso afflirur , est habendum.

*Apodictica  
de rerum  
veritate  
scientia, est  
ex sola re-  
velatione  
divinâ, in  
cum & de  
SS literis  
nobis factâ.*

Verùm , qui intellectum habent , nec sunt ad fidem , ut mulus & equus , iis totum hoc dubium tollit divina in cum & de sacris literis nobis facta , revelatio , quâ indubitate est , Deum cœlum, & terram, & omnia , quæ iis continentur , creasse , & etiamnum conservare , hominemque ad imaginem suam fecisse , eumque vero & recto intellectu , & voluntate , donasse , judiciaque ejus aliquando esse bona , aliquando mala. Vnde patet , ea , quæ rectè percipimus , esse res veras , & non imaginarias ; judiciaque nostra esse realia , non putatitia ; sæpeque vera & recta. Atque ita magna illa dubitatio , quæ in animis rectè philosophantium per naturam necessariò utramque paginam , etiam in evidentissimis , faceret , per divinam revelationem , quæ nobis in cum & de Verbo Dei est facta , quæque per se manifesta , ac nullius probationis indigens , omnia alia , ut esse Biblia , & præcones Verbi Dei , aliaque , quæ in Verbo illo continentur , manifestat , penitus evertitur. Vnde rectè quilibet verus philosophus jam cum regio Prophetâ canit : *Verbum Dei est lucerna pedibus meis.*

*Nec obest ,  
quod hac  
revelatio  
enthusias-  
mus dicar-  
tur.*

Sed hic dicat forsan aliquis , hanc revelationem jam propositam esse merum enthusiasmum , qui meritò à quovis sapiente rejicitur. Respondeo igitur , enthusiasmum alium esse proprium , qui est afflatus divinus , eumque à nullo sapiente rejici posse ; atque hujus generis esse revelationem , in cum & de Verbo Dei nobis factam : alium improprium esse , qui est afflatus fanaticus atque insanus ; eumque

eumque à sapientibus meritò rejici ; verùm me de eo non loqui.

Nec obstat , si quis dicat per naturam constare , Deum esse , eumque non posse fallere ; cum hoc infinità ejus perfectioni videatur adversari ; quod tamen fieri posset , si ea , quæ à nobis percipiuntur & dijudicantur , non vera corpora , sed tantum res imaginariæ esse possent .

Responderi enim potest , Deum , pro summâ & liber-  
rimâ suâ , quam in omnia habet , potestate , fallaciâ pos-  
se uti , primò innocuâ & sapienti , quali ex. gr. Medici &  
prudentes patresfamilias utuntur ; & deinde pœnali , qua  
Deus utitur in improbis puniendis , quod testatur Scriptu-  
ra , cum dicit : *τα πέδωνεις αὐτεὶς ὁ θεὸς εἰς αἰδόνυον νῦν , & tra-*  
*didit ipsos Deus in sensu perversum , vel , si mavis , in pravam*  
*mentem , ad quam sensus etiam pertinet . Quia tales falla-*  
*cia ; si Deus iis uteretur , non imperfectionem , sed poten-*  
*tiam , bonitatem , sapientiam , & justitiam Dei arguerent .*

Verum respondeo potius , Deum non fore decepto-  
rem , si efficeret , ut res certo modo hominibus appare-  
rent , quæ quamvis tales forsan revera non essent , qua-  
les aliqui illas necessariò esse ex istâ apparentiâ fortassis colligerent ; magnam tamen , propter apparitionis eviden-  
tiam , verisimilitudinem præ se ferrent . Nam vera nihilo-  
minus illa talium rerum esset apparentia , veréque illi res sibi ita apparere cogitarent , ex eoque rectè verisimilitudi-  
nem earum colligere , & secundum illam actiones suas re-  
ctè instituere possent . Atque hoc totum esset verum , non fallax , Dei effectum , cum divinâ ejus veritate optimè con-  
veniens , & summam ejus potentiam , in apparentiis illis excitandis , hominibusque per eas dirigendis , arguens . Et , si homines hinc fallerentur , quod illas , tales res corporeas ex. gr. revera & necessariò esse , judicarent , quales ex ap-  
parentiâ istâ , per nimis præceps & pravum illud judicium ,

*Nec , quod  
Deus dica-  
tur non pos-  
se fallere .*

*Cum Deus  
citrà im-  
perfeccio-  
nem posse  
dolo in-  
nocuo , &  
pœnali .*

*Et quam-  
vis omniū  
rerum tan-  
tum imagi-  
naria ,  
veriſi-  
miles esſent  
apparentia ,  
non tamen  
idcirco  
Deus quen-  
quam deci-  
peret .*

colligerent; certè non Deus homines istos, sed isti homines seipso, per pravam illam sui judicii decisionem, & talem judicandi consuetudinem, fallerent: cum res verisimiliter esse tales judicare, judiciumque de necessariâ earum veritate, suspendere, vel præterire, atque errorem sic evitare, & interim actiones secundum verisimilitudinis judicium dirigere, atque ita tantum, quantum nobis à natura datum esset, agere possent.

*Atque hoc illustratur exemplo apparentis & verisimilis motus cœli & Solis.*

Ita, ex. gr., Deus non est deceptor, quod ex circumrotatione Telluris, circum axem sese circumvolventis, Solem faciat, secundum apparentiam & verisimiliter, oriri & occidere, quo plerique fallaci & pravo iudicio sese decipientes, Soli verum & necessarium motum, Telluri verò necessariam quietem tribuunt: cum judicium, de necessario motu Soli, & quiete Telluri necessariò attribuendâ, præterire vel suspendere, verisimilemque motum & quietem iis adscribere, & ita errorem evitare possunt. Quamvis enim Solem circum Tellurem quotidie moveri non sit verum, est tamen verisimile, ac proinde, qui ita judicaverit, non errare est dicendus.

*Nec obstat, quod axiomata quædam dicantur indubitate esse veritatis.*

Neque etiam obstat, quod indubitatæ per naturam veritatis videantur esse hæc axiomata: *totum est majus sua parte; centrum est in medio circuli; in omni triangulo sunt tres anguli duobus rectis aequales; idem non potest simul esse, & non esse; &c.* Cum enim nullum totum, nulla pars, nullus circulus, nullum centrum, nullus triangulus, nulla essentia vel existentia, cogitatione & rerum apparentiâ exceptâ, sit indubitabiliter cognita; cum horum cognitione sola sensuum verisimilitudine dependeat; nihil etiam quicquam de iis certò & indubitabiliter à quoquam enunciari potest.

*Nec, quod naturalis hinc inferatur scepticissimus.*

Neque etiam est, quod scepticissimus naturalis, sive ex naturâ sequens, nobis objiciatur. Quicunque enim omni-

omnipotentem & liberrimum cognoscit Deum , & imbecillitatis humanæ mentis sibi satis est conscius , talem omnium rerum verisimilitudinem , vel scepticismum naturalem, si ita libeat appellare , qualem proposuimus , negare non potest.

Quamvis autem , citrā divinam revelationem , nulla apodictica , sed sola moralis sive probabilis & verisimilis rerum extrā mentem nostram existentium sit certitudo : ea tamen omnibus vitæ humanæ actionibus satis bene peragendis & regendis sufficit : cum ad illas nihil aliud , quam moralis & probabilis veritas sive cognitionis certitudo , & verisimilitudo , requiratur . Quod ipse noster Servator innuit , cum dicit ; *in ore duorum vel trium consistit omnis veritas* : moraliter scilicet , sive verisimiliter , non apodictice : cum testimonium duorum vel trium s̄epe fit , & semper possit esse , falsum .

Cum autem , ut jam patet , fides sit testibus adhibenda , quamvis etiam optimorum testimoniūm testimonium tantum verisimilem & probabilem certitudinem pariat : hinc jam facile intelligimus , qualem fidem circumspeta nostra , quantum fieri potest , judicia , à nostris sensibus & diligentibus rerum observationibus ac traditionibus petita , mereantur , quamvis ea , etiamsi accuratissima fuerint , nullam tamen apodixin parere sive inferre possint . Certè , cum nostrūm ipsorum testimoniūm apud nos ipsos multo pluris sit , quam alienum , cui fidem tamen adhibendam jam probavi , tantam , quantam illa fidem merentur ; ut , meo iudicio , in vitæ humanæ actionibus peragendis sint inexcusabiles , qui eis fidem derogare audent : quia sine ea nihil hic inchoari , nedum perfici , quicquam potest .

Vinculum , quo anima cum corpore conjuncta manet , est lex immutabilitatis naturæ , quā unumquodque manet in eo statu , in quo est , donec ab alio inde detur .

*Quamvis  
citrā divi-  
nam reve-  
lationem  
nulla sit a-  
podixis ; est  
tamen ex  
naturā ve-  
risimilis  
certitudo :  
eaque ad  
vitam hu-  
manam  
sufficit.*

*Cum fides  
sit testibus  
adhibenda;  
idcirco ea  
multo ma-  
gis nostris  
sensibus  
debetur.*

*Vinculum ,  
quo mens  
cum corpo-  
re conjun-  
cta manet.*

betur. Cum enim anima humana , ut jam patet , sit substantia incorporea , nullus motus , quies , situs , figura , vel magnitudo , ullave alia partium corporis dispositio , ad eam cum corpore conjungendam vel retinendam , quicquam valere potest. Atque ideo , ubi ea in generatione per creationem divinam in corpore humano semel est producta , eique per utilem necessitatem , quâ corpore ad actiones suas peragendas indiget , est unita , ex solâ illâ lege necessariò in unione naturaliter perseverare debet : ab eo que tantum per legem aliquam supernaturalem separatur.

*Quomodo  
ea à cor-  
pore separe-  
tur.*

Neque enim solutio continui , vel intemperies , vel aliis similis morbus ; hic per se quicquam potest , quippe quæ non mentem , sed corporis motum , situm , quantitatem , & figuram tantum spectent. Atque hoc satis clarè arguit Lucas Evangelista cap. 16 : 22 . cum dicit Lazari mortui animam ab Angelis , sive causis supernaturalibus , portatam fuisse in sinum Abrahæ.

*De mentis  
origine  
quorun-  
dam opinio.*

De origine mentis humanæ , variæ eruditorum sunt sententiæ. Virgilius , ex Platonis opinione , his verbis ejus originem lib. 6. Æneid. complectitur :

*Principio cœlum & terram , camposque liquentes ,  
Lucentemque globum Lunæ , Titanaque astra ,  
Spiritus intus alit : tot amque infusa per artus ,  
Mens agitat molem , & magno se corpore miscet .  
Inde hominum pecudumque genus , viteque volantum :  
Et que marmoreo fert monstra sub aquore pontus .*

Vbi poëta existimat , totam universi materiam singula-  
que ejus partes mente esse instructas : mentemque pro di-  
versitate dispositionis materia diversimodè agere , ut ea ,  
pro diverso cerebri temperamento , in homine agit vel  
quiescit , insanit vel sapit , stupidia est vel ingenio valet. Ita-  
que secundum ipsum , cùm materia in generatione dispo-  
nitur convenienter naturæ , ex. gr. bovis , ea facit , ut bo-  
vem ;

vem ; cum asini , ut asinum; cum vulpis, ut vulpem ; cum hominis, ut hominem decet. Atque ita per materiæ variam in generatione dispositionem , varia putat produci animalia , animasque in materiâ latentes , per illam ejus dispositionem , de potentia in actum tantum educi. Alii animam in generatione recens produci existimant: idque vel per traducem seminalem , vel per emanationem spiritualem.

Sed, cum ea sit substantia, ut jam per revelationem divinam probavimus, & nova in generatione producatur; etissime sentire videntur ii , qui animam rationalem per immediatam creationem à Deo in generatione produci, eique substantialiter è ratione , ut jam dixi, uniri volunt.

Mens , sive facultas cogitandi humana , non indiget ad cogitandum ullis ideis, notionibus , vel axiomatis innatis , quæ vel quales in ipsa post antecedentes rerum perceptiones, ex reminiscientia, imaginatione, & judicio, in ipsâ observantur , vel quæ quoconque modo à quoquam fingi aut excogitari posint : sed ipsa sola , ad omnes cogitationes, tum priores , tum posteriores , peragendas , sine ullo tali innato auxilio , sibi ipsi sufficit.

Nam in primis cognitionibus imprimuntur menti, mediante organis , varii, pro varia objectorum & medium constitutione, motus, qui luminis, coloris, soni, odoris, saporis, doloris, voluptatis, aliarumque similium qualitatum nomine veniunt : iisque ex certo loco , certoque cum vehementiæ modo, ad organa venientes , significant menti rerum objectarum figuram, magnitudinem, numerum, situm, quietem, & localem translationem: adhæc ab illis motibus, ex certo loco cum certo modo venientibus, variæ menti imprimuntur rerum, ita secundum qualitates aliasque illas circumstantias perceptarum ; ideæ sive imagines : quas mens sive cogitandi facultas deinde considerat ,

*Quæ sit de  
ea vera  
sententia.*

*Mens non  
indiget id-  
eis, notioni-  
bus, vel a-  
xiomatis  
innatis.*

*Quomodo  
mens in  
prioribus  
& posterio-  
ribus cogi-  
tationes  
eas sibi  
conficiat.*

rat, perpendit, examinat, componit, dividit, inter se confert, aliisque modis tractat; atque ita sibi alias necessarias ideas & notiones, ad omnes alias posteriores suas cogitationes perficiendas, ita sufficienter ex iis conficit, ut nulla ratio, nec ulla necessitas, ad ullarum talium idearum vel notionum menti innatarum subsidium nobis configiendum esse, suadeat.

*Nulla ita-  
que est cau-  
sa, cur id-  
eas quali-  
tatum sen-  
sibilium  
menti inna-  
tas finge-  
mus.*

*Cur quali-  
tates sensi-  
biles non  
sub conce-  
ptu motus  
concipian-  
tur; cum  
tamen ni-  
hil aliud  
fint, quam  
motus.*

*Cur idee  
figurarum  
visaram  
sæpe non  
congruant  
cum  
imaginibus  
in oculo pi-  
ctis.*

*Nulla quo-  
que est cau-  
sa, cur ulla  
notiones  
communes  
nobis inna-  
tas esse di-  
camus.*

Non est itaque, quod ulla luminis, colorum, sonorum odorum, saporum, vel figuræ ideas nobis innatas esse fingamus: cum illæ in mente, ratione jam explicatâ, ab objectis recens producantur, vel antea ab iis in ea productæ, ab objectis vel eorum notis, excitentur.

Neque obstat, quod lumen, colores, odores, aliaque sensibiles qualitates, à nobis sub confuso quodam alio, & non sub motus conceptu, concipientur. Hoc enim non ex eo fit, quod nobis qualitatum istarum ideæ sunt innatae: sed quod motus isti ab objectis excitati, in quibus qualitatum istarum natura consistit, fiant ab insensibilius corporum objectorum particulis, atque ideo, propter earum parvitatem, non distinetè, sed confusè tantum, à nobis percipi & concipi possint.

Vti nec obest, quod sæpe alias de rerum figuris ideas mente nostrâ concipiamus, quam sunt earum imagines, quæ in fundo oculorum nostrorum pinguntur. Hoc enim non ex ideis innatis, sed menti, per perceptiones antea aliter factas, impressis, ut posteà magis patebit, contingit.

Nec est quod ulla notiones nobis insculptas, quæ vulgo communes dicuntur; quales sunt, totum est majus suâ parte; quod factum est, infectum fieri nequit; idem non potest simul esse, & non esse; agere præsupponit esse; si ab æqualibus demas inæqualia, reliqua sunt inæqualia; quæ æqualia sunt uni tertio, inter se sunt æqualia; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; similes-

similesque ulla<sup>s</sup> alias , menti nostræ , ad actiones suas recte peragendas , innatas esse dicamus .

Illas autem omnes , similesque alias quaslibet , ex observationibus rerum , primò per singularem individuorum perceptionem , & deinde per multorum singularium collectionem , & inde factam inductionem , universales notiones inferentem , ipsi formavimus , vel ex alienâ traditione illas ab aliis accepimus . Atque hoc cuivis , qui primam notionum istarum in animis nostris nascentium productionem recte mecum consideraverit , est manifestum .

Idque eò etiam confirmatur , quod puer vel quilibet alius , hæc per se vel ab aliis nondum edoctus , & cui res ipsa non offertur , si de iis interrogetur , nunquam rectè & cum intelligentiâ de iis sit responsurus ; imò ne terminos quidem istarum notionum sit intellecturus .

Neque his adversatur puer , qui in Platonis Menone à Socrate de iis , quæ anteà ignorasse dicebatur , interrogatus , recte respondet . Nam puer ille non de communi & universalis notione , sed re singulari interrogatur , eaque sensibus ipsius præsens cognoscenda proponitur , iisque ab ipso percipitur , & deinde imaginatione ejus augetur , & imminuitur , aliterque mutatur . Ibi itaque nulla communis notio innata docetur ; sed omnis cognitio singularium ex sensibus oritur , & quæcumque alia ibi fuerit , ea imaginatione sensus sequente recens formatur .

Nihil quicquam etiam obstat , quod notiones illæ dicantur universales , observationes verò rerum sint singulares . Ad hoc enim , ut notiones illæ sint acquisitæ , & non innatæ , sufficit , quod ex singularium perceptione , & collectione , ac inductionis ratiocinatione interveniente , in mente nostrâ sint productæ .

Neque mirum est , quòd , ex paucorum singularium à

*Omnis autem illæ notiones , communes dictæ , ex rerum observatione sunt ortæ .*

*Probatur hoc exemplo imperiorum .*

*Quomodo puer apud Platonem potuerit rectè respondere de iis , quæ anteà ignorabantur .*

*Notiones communes , et si sint universales , sunt tamen ex singularibus acquisitæ .*

*Quomodo  
hoc possit  
fieri, ita  
ut non sit  
mirum.*

nobis observatorum collectione , universales notiones inferri possint. Nam notiones illæ , ex singularium quorundam observatione per inductionem collectæ & acquisitæ , eatenus tantum sunt universales, quatenus illæ propter similitudinem , quam habere creduntur cum aliis quibusvis singularibus , quæ à nobis per sensus non fuerunt observata , universis , hoc est , quibusvis aliis similibus singularibus , competere judicantur. Neque hoc ullam etiam admirationem meretur. Vniversalia enim nihil aliud sunt quam singularia quælibet , absque notis individuationis , *hoc, hic, nunc*, per imaginationem detractoriam , considerata , quorum similia in aliis inveniuntur , vel saltem inventi possunt. Atque hoc verum esse ex eo patet, quod universalia de singularibus rectè affirmentur , ut appareat in hoc axiomate, *Petrus est homo* : & quod ex. gr. hæc universalis enunciatio , *omnis homo est animal*, huic æquivaleat, *quilibet singularis homo est animal*.

*Quare con-  
ceptus, &  
uniuersali-  
es, & sin-  
gulares, ar-  
guant id-  
eas acqui-  
fitas.*

Itaque ut rem paucis absolvam, sive conceptus singulares, dicendo ex. gr. *video hunc equum*, ergo *habeo hos meos oculos* ; sive universales, dicendo ex. gr. *cogito, ergo sum aliquid*, & non nihil , à mente concipientur , nullæ earum ullas innatas ideas arguunt. Nam singulares immediate à sensibus ; universales verò mediante, ut jam dixi, imaginatione & judicio ab iisdem originem ducunt.

*Mens non  
potest sine  
sensibus  
generales  
conceptus  
formare.*

Atque hinc patet falsum esse , si quis afferat mentem ex se , sine sensibus , & per se solam , tales conceptus , ut *opto aliquid*, ergo *non sum perfectus*, & alios similes generales, posse formare : cum illi ex conceptibus singularibus, mediante sensu , imaginatione , & judicio , ut cuivis rem mecum bene perpendenti est manifestum , oriантur.

*Idea Dei  
nobis non  
est innata;  
sed ex ob-  
servatione.*

Imo ipsa idea Dei , mentibus nostris insita, quæ sc. non est ex revelatione divinâ , ea non est innata , sed ex rerum observatione , per sensus reminiscentiam imaginationem & judi-

& judicium nostrum factâ, in nobis est orta. Nam in ente summo, quod Deum appellamus, humanum ingenium nihil aliud considerat, quam bonum aliquod, quod quotidie in homine observatur, qualia sunt sapientia, justitia, misericordia, potentia, existentia, duratio, similiaque alia: eaque à nobis indefinite multiplicantur, & defectus omnes, mentis operatione, ab iis detrahuntur; atque ita idea entis perfecti, seu Dei à nobis in mente per sensus, imaginationem, & judicium primò producitur, eaque ita à nobis producta aliis traditur, ab iisque discitur.

Hic autem conceptus de Deo, sive idea Dei, in mente nostrâ ita producta, in eâque existens, non est satis validum argumentum, ut quidam perperam existimant, ad existentiam Dei probandam. Cum non omnia existant, quorum ideæ, sive conceptus, in nobis observantur; atque hæc idea, utpote à nobis concepta, id- que imperfectè, non magis, quam cujusvis aliùs rei conceptus, vires nostras cogitandi proprias superet.

Nec obest, quod in ideâ sive conceptu Dei existentia necessaria & actualis comprehendatur. Nam hinc non sequitur, quod Deus jam necessariò & actu existat; sed tantum, quod ille, si aut ubi existit, non contingenter, sed necessariò existat; sive tum non possit non existere: cum ipsum existentem, utpote omnium potentissimum, nihil possit destruere. Ita in conceptu hominis necessariò quidem includitur ratio: hinc tamen non sequitur, quod jam homo necessariò & actu sit rationalis; sed tantum, quod ubi ille actu est, necessariò etiam actu sit ratione prædictus.

Neque est, quod hoc miremur. Nam attributa alicuius rei essentialia, in conceptu ejus à mente tantum comprehensa, non sunt vera, nisi cum res ipsa, men-

*funt vera, nisi res ipsa existat.* te à nobis concepta, actu existit. Antequam enim ipsa res existat, quamvis ejus ideam in mente habeamus, ipsa tamen est merum nihil, cuius nulla attributa existentia necessaria vel contingentis, nec ulla alia esse possunt.

*Quod probatur ex exemplo trianguli.*

Ita ex. gr. in conceptu trianguli comprehenditur hæc proprietas, quod ejus tres anguli sint duobus rectis æquales, quod tamen non est verum, nisi triangulus mente conceptus in rerum naturâ actu existat: quomodo enim possunt alicujus rei proprietates esse veræ, ubi ipsa res, cui illæ sunt adscribendæ, verè non existit.

*Quare quadam aeterna veritatis esse dicantur.*

Nec obest, quod hujusmodi axiomata, quale est, homo est animal rationale; ter tria sunt novem; trianguli tres anguli sunt duobus rectis æquales; similiaque alia, æternæ veritatis esse dicantur. Nam talis assertio hoc tantum significat, ab æterno verum esse, fuisse, & fore, quod quandocunque homo, ter tria, & triangulus actu exsisterint, tum ter tria sint novem, & homo sit rationalis, & trianguli tres anguli duobus rectis æquales ita necessariò sint futuri, ut nunquam hæc falsa esse possint.

*Quamvis in conceptu nostro de Deo plures perfectiones objectivæ involvantur, quam in omnibus aliis simul sumptis; hoc est, quod objectum omnibus aliis rebus præstantius & perfectius per illum significetur, res finitae non sequitur.*

*nam hinc sequitur Deum actu existere.* Et quamvis in nostro conceptu de Deo plures perfectiones objectivæ involvantur, quam in omnibus aliis simul sumptis; hoc est, quod objectum omnibus aliis rebus præstantius & perfectius per illum significetur, res finitae non sequitur, & cognoscatur: hinc tamen non sequitur, quod illud præstantissimum & perfectissimum objectum jam actu existat; sed tantum, quod illud, quia id sive ejus idea qualicunque modo à nobis recte concipitur, existere possit. Nolque magnam habere ingenii vim, qui ex indefinitâ perfectionum in aliis rebus observatarum multiplicatione, & imperfectionum ablatione, talem conceptum perfectissimi entis, nostrâ qualicunque imaginatione, formare possimus. Neque enim verum est, realitatem idearum nostrarum objectivam, sive objecta significantem,

ficantem , & menti repræsentantem , requirere causam , in qua eadem ipsa realitas non tantum objective , sed etiam formaliter vel eminenter , scilicet secundum essentiam rei per ideas significatae & repræsentatae , continetur.

Nam ad ideam aliquam , quâ res aliqua repræsente-  
tur , vel significetur , formandam , nihil aliud requiri-  
tur , quam ut mens tali cogitandi facultate , sive tali id-  
eas , res significantes & repræsentantes , formandi vi sit  
prædita ; quamvis ipsa mens , vel aliud quid ab eâ distin-  
ctum , quod istius ideae sit causa , perfectiones rei per id-  
eam significatas vel representatas , nec eminenter nec  
formaliter , per se vel ab alio , habeat . Atque hinc factum  
est , ut multi ex ideatum rerum observatarum conjunctio-  
ne , multiplicatione , divisione , aliisque mentis imagi-  
nantis operationibus , sibi innumerorum mundorum ,  
Pandoræ omnibus perfectionibus donatae , oratoris ab-  
soluti , reipublicæ perfectæ , aliorumque multorum id-  
eas sibi in mente formaverint ; quamvis res , per ideas  
illas significatae vel representatae , nusquam existerent .

Fateor equidem , causam non posse producere effe-  
ctum se ipsâ præstantius : ac proinde mentem non posse  
efficere rem , quæ ipsa sit præstantior . Verum hinc non se-  
quitur , mentem imaginando non posse per se formare  
ideam rei seipsâ præstantioris , ut ex . gr . totius universi ,  
vel Dei . Quamvis enim res ipsa per ideam in mente re-  
præsentata , hoc est totum universum & Deus , præstan-  
tiâ mentem supereret ; ipsa tamen idea totius universi &  
Dei , utpote quæ sit tantum accidentis quoddam à sub-  
stantiâ mentis conceptum , & in eâ existens , quæque res il-  
las tantum inadæquatè & imperfectè repræsentet , sive  
significet , menti præstantiâ cedit : ac proinde propriâ vi  
mentis formari potest . Quam imperfectè autem & inad-

*Quid ad  
ideas ali-  
cuas rei ,  
etiam præ-  
stantissima ,  
formatio-  
nem vel  
conceptio-  
nem requi-  
ratur.*

*Idea Dei à  
mente no-  
strâ conce-  
pta , non est  
nobis ipsis  
præstan-  
tior : atque  
ideo per nos  
ipsos for-  
mari pot-  
est.*

æquatè totum hoc universum & infinitum illum Deum mente per ideam concipiamus , ex eo quilibet facilè colligat ; quod nullius culicis , acari , vel eujusvis vilissimi animalculi , perfectum & adæquatum conceptum habeamus.

*Nec facultas nostra, quâ ideam Dei in nobis formamus vel concipi-pimus, est ob imperfectionem suam, satis validum argumentum, ad existentiam Dei probandam. Malè illa facultas appellatur idea Dei.*

Cumque hinc jam pateat, quam imperfecta sit illa nostra mentis facultas , quâ ideam Dei in animis nostris formamus , frustrâ quidam ab illâ facultate, quam male , ad errores suos incrustandos, & nova effugia invenienda , ideam Dei appellant , argumentum , ad Dei existentiam probandum , omnium validissimum proferri posse simulant. Cum enim hæc mentis facultas tantam habeat imperfectionem , ut de ente illo infinito nihil infiniti positivè , sed tantum negativè , comprehendere possit, atque illud , quod etiam positive de eo comprehendit , sit exiguum & imperfectum, idcirò ad perfectissimi istius entis existentiam probandam hinc argumentum satis validum desumi planè nequit ; nam ea, ut aliæ nostræ imperfectæ facultates, nobis per nos ipsos competere, aut ab aliâ imperfectâ naturâ data esse , potest.

## C A P V T II.

### *De Intellectu ; ubi primum de Sensu.*

*Habitus mentis.*

**C**Ogitatio mentis est duplex : intellectus & voluntas. Vtriusque varii in homine sunt habitus , seu cogitandi promptitudines ; iisque sunt vel innati , vel acquisiti; quo pertinent etiam illi , qui infusi à Theologis appellantur.

*Hi sunt, vel in mente, & sunt ejus modi; vel consistunt in*

Habitus illi vel sunt in mente , quibus ipsa per se ad intelligendum vel volendum est promptior: iisque sunt mentis quidam modi , ut figura & situs sunt modi corporis , quibus hoc variè modificatur , & actiones varias peragit. Vel habitus

habitus isti consistunt in organorum corporis constitutio-  
nem ad cogitandum necessariam: ut quando sensoria , spi-  
ritus , & cerebrum , ad motus inter cogitandum requisi-  
tos , sunt expeditiora ; vel quando cerebrum pluribus  
signis , ad cognitionem necessariis , est instructum.

Intellectus est cogitatio , quâ homo res objectas co-  
gnoscit. *Intellectus.*

Eaque est perceptio , & judicium.

Cognitio enim rerum in percipiendo & dijudicando  
consistit: resque bene cognitæ existimantur , cum illæ  
bene perceptæ & dijudicatae fuerint.

Perceptio est intellectus , quo res mente percipimus ; *Perceptio.*  
sue objecta cum attentione recipimus.

Hæc triplex est ; sensus cogitativus , reminiscientia , &  
imaginatio.

Sensus cogitativus , qui synecdochicè sensus dicitur , *sensus.*  
est perceptio , qua motus , à corpore aliquo objecto fibril-  
lis nervorum impressus , & in cerebrum delatus , ac sen-  
sorio communi sive conario , mediantibus spiritibus ani-  
malibus , ventriculis cerebri contentis , communicatus , à  
mente in sensorio communi percipitur.

Cum enim , ut ex antedictis patet , nervi constent dua-  
bus partibus , membranâ scilicet duplice , ab utrâque me-  
ninge cerebri ortum habente , atque in tubulos excavatâ ,  
& fibrillis tenuissimis ab ipsâ cerebri substantiâ ortis , ac in  
partes sive sensoria per medios tubulos productis , iisque  
inclusis : & tubuli isti nervorum semper aliquantum à spi-  
ritibus animalibus sint inflati & distenti , ita ut inclusæ  
fibrillæ , licet se mutuò multis in locis leviter contingant ,  
attamen , cùm sint ab omni pressione liberæ , si ab obje-  
ctis moventur , motum suum etiam per membra flexa &  
incurvata , quibus intenduntur , ad cerebrum transimit-  
tant ; quemadmodum fides testudini intensa & plectro  
mota ,

mota, ad extremos suos fines motum diffundit: Cumque ventriculi cerebri perpetuò à spiritu animali in vigiliâ, instar veli à vento tumidi, sint distenti; & conarium sive glandula pinealis, quæ est in medio ventriculorum cerebri, à spiritibus animalibus undique cingatur & perfundatur: Itaque, quicunque motus, fibrillis nervorum impressus, ad cerebrum diffunditur, is necessariò etiam contiguis spiritibus, in ventriculis cerebri existentibus, imprimitur, ac illorum ope, glandulæ pineali, & ibidem animæ communicatur.

*Ad sensum  
nulla re-  
quiruntur  
species in-  
tentionales;  
sed solus  
motus ad  
illum ex-  
citandum  
sufficit.*

Quod autem ad sensus excitandos, nec species intentionales, nec qualitates spirituales, nec aliæ res non intelligibiles requirantur, sed solus motus localis ejusque varietates hîc sufficient, ex titillationis, doloris, sonorum, & luminis, ab objecti corporis motu orti, perceptione, est manifestum. Ictus enim pugni, oculo vehementius ilitatus, facit, etiam in tenebris, scintillarum & variorum colorum sensationem; idem aures feriens producit perceptionem soni; idem aliâ corporis parte exceptus excitat dolorem. Frictio laterum & plantæ pedis facit titillationem. Imò in singulorum sensuum explicatione postea patebit, motum localem in iis fieri, nec quicquam præterea in iis posse demonstrari.

*Cur ex va-  
riis moti-  
bus varia  
nobis o-  
riantur co-  
gitationes.*

Porrò variis isti motus, organis variis recepti, & menti in sensorio communi oblati, diversas tales sensationum cogitationes nullam aliam ob causam excitant, quam quia à naturâ ita comparati sumus, ut mens ab illis variis motibus itâ variè cum conscientiâ afficiatur.

*Cur quali-  
tates sensi-  
biles non  
sub distin-  
cto motus  
conceptu,  
sed alio  
confuso, à*

Quamvis autem qualitatum sensibilium sensationes, nihil aliud sint, quam motuum quorundam localium, ut jam dixi, perceptiones, à mente in cerebro factæ; illæ tamen sub motus conceptu à mente non solent percipi: cuius rei hæc est causa, quod motus isti, in quibus qualitatum

litatum istarum natura consistit, sunt particularum insen-  
sibilium; qui cum ob eorum parvitatem distinctè percipi  
non possint, hinc sit, ut illi sub solito confuso luminis,  
coloris, soni, odoris, saporis, aliarumque sensibilium qua-  
litatum conceptu, à mente percipientur.

Animam verò nervorum ope in solo capite, non in aliis  
membris, sentire, innotescit ex somno; quippe qui omnem  
sensem adimat, quamvis ille solùm cerebrum occupet:  
item ex eo, quod solo cerebro graviter lœso, & reliquis  
membris existentibus integris, reliquum corpus sit sine  
ullo sensu, quamvis illud varia objecta moveant.

Itaque membra non sentiunt, sed sunt tantùm organa  
externa, quibus mens nostra sentit; quemadmodum ba-  
culum est cæci organum, quo ille lutum, lapidem, a-  
quam, & alia objecta percipit, & dignoscit, quamvis istud  
planè nullo sensu sit præditum.

Sensus, quatenus externo perficitur instrumento, ex-  
ternus; quatenus interno, sive sensorio communi, inter-  
nus dicitur.

Sensus est quintuplex: visus, auditus, olfactus, gu-  
stus, tactus.

Hæc sensuum discrimina tum ex eo oriuntur, quod  
nervorum fibrillæ tenuitate & crassitie valdè inter se diffe-  
rant: tum, quod sensoria variè sint conformata: tum, quod  
corpora moventia, tām objecta, quām media, sint varia.  
Hinc enim variii oriuntur motus, qui diversimodè perce-  
pti varios faciunt sensus.


Fibrillæ visoriæ omnium sunt subtilissimæ; auditoriæ  
sunt subtilitate secundæ; tertiae sunt odoratoriæ; quartæ  
gustatoriæ; quintæ, quæ tactui inserviunt.

Atque hinc jam est manifestum, cur color non poscit  
audiri, nec sonus videri. Nam organum visus ita est con-  
formatum, ut à sono rectè, ad visionem faciendam, affici-

## C A P V T III.

*De Visu.**Visu.*

**V**Isus est sensus, quo ex justo fibrillarum nervi optici in  
fundo oculorum R S T motu, eoque in cerebrum



7, 8, 9, & ad sensorium commune sive conarium 10 de-  
lato,

lato , anima lumen , colorem , situm , distantiam , magnitudinem , numerum , & figuram , rerum objectarum visibilium , ex. gr. V X Y , percipit .

Lumen est impulsus , quo globuli ætherei , à luce , per intervalla corporum diaphanorum , in momento propelluntur .

Lux est celerrimè reiterata pressio corporum lucidorum , quâ perpetuò globulos æthereos , undique circum se ad lineam rectam , per intervalla corporum diaphanorum , premunt .

Corpora lucida sunt , quorum minimæ particulæ , celerrimo & vario motu agitatæ , globulos æthereos circumstantes , celerrimè reiteratis vicibus , ad lineam rectam , versus res illustrandas & afficiendas , propellunt . Talia sunt ferrum candens , carbo ignitus , candela ardens , Sol , stellæ fixæ : quorum insensibilium particularum varius motus ex eo est manifestus , quod multa corpora in vapores & fumos vehementissimo horum motûs impetu disjiciantur ; cum hoc , sine motu particularum eorum vario , non magis , quam lapidis projectio , sine motu brachii vel alterius corporis projicientis , fieri possit .

Lineæ rectæ , secundum quas globuli isti , ex lege naturæ ( quâ unumquodque mobile ad lineam rectam , quantum potest , tendit ) premuntur , sunt radii lucis .

Luminosa ista globulorum æthereorum pressio facile intelligetur , si in memoriam nobis revocemus , à re lucidâ usque ad rem illustrandam , omnia spatia intermedia , & poros corporis intermedii diaphani , ipsis globulis æthereis compleri , globulosque illos esse solidos , & in propulsione ista contiguos . Propulsis itaque à re lucidâ globulis , qui eam contingentes undique circumstant , propelluntur eodem momento omnes intermedii globuli , qui ad rem illustrandam usque pertingunt . Atque ita per pro-

*Quomodo  
radii lucis  
in momen-  
to propel-  
lantur .*


pulsionem istam videntur uno momento stellæ, Sol, candelæ, & aliæ res lucidæ, ut cæcus, per baculi sui protrusionem, lignum, lapides, lutum, aliasque res objectas in momento attingit.

*Cur ablatâ  
re lucidâ  
mox cesset  
lumen: non  
calor.*

Cessat autem lumen mox à rei lucidæ ablatione, perseverante tamen aliquamdiu calore, qui à lumine est excitatus: quia lumen fit per globolorum æthereorum satis validam pressionem, ad lineam rectam factam, atque ideo re lucidâ, globulos æthereos ad lineam rectam satis validè premente, ablatâ, mox globorum pressio ad lineam rectam satis validè facta, seu lumen, etiam cessare debet; dum interim partes terrestres, à lumine variè agitatæ, atque ita calefactæ, varium illum partium intensibilium motum, seu calorem, aliquamdiu post ablatum lumen servant.

*Corpora  
diaphana.*

Corpora diaphana, sunt corpora globulis æthereis, ad tantam radiorum copiam, eamque eo modo ad oculum transmittendam, pervia, ut lineamenta & colores objectorum commodè possint percipi; quod tum demum fit, ubi plures radii A, B, C, ab uno objecti punto, ex. gr. D in-



retinâ, ob oculi convexitatem, ad idem punctum E colliguntur, quo sufficiens retinæ in fundo oculi fit motus, ad visionem


visionem rectam necessarius, qui à singulis radiis A, B, vel C, ob eorum imbecillitatem, in oculi retinâ E excitari non potest. Talia sunt aëris, aqua, vitrum, crystallus, adamas.

Itaque pro diaphano hîc non habetur corpus, quod solummodo aliquos lucis radios transmittit, ut charta alba, nubes, nix.

Lumen est transiens, vel rediens.

Non divido lumen in directum, reflexum, & refractum; quia partes hujus distributionis non sunt opposita: nam reflexum lumen sàpè etiam est directum; quale

*Luminis  
differentia.*




est lumen A B, quod scilicet perpendiculariter in corpus objectum E B F à quo reflectitur, incidit.

Transiens lumen est, quod à corpore lucido per apertos diaphani poros propellitur. Estque directum, vel refractum.

Transiens directum est, quod linea rectâ G B I per diaphanum E B F protruditur. Quod fit, quia istius luminis, perpendiculariter in corpus illud E B F incidentis,

*Lumen  
transiens  
directum.  
Vnde hoc  
oritur.*



phana diversa, ex. gr. aëris & vitri, in superficie EBF se mutuò contingentia, movetur.

*Ejus origo;* Hæc refractio oritur à luminis AB, obliquè in corpus EBF incidentis, determinatione, ex laterali v. gr: AG & descensoriâ GB, compositâ; quarum descensoria, ob luminis in corpus stabilius ingressum, acceleratur; vel, ob luminis in corpus fluidius introitum, retardatur: alterâ, scilicet laterali, manente immutatâ, cùm corpus, quod radii hi transeunt, isti determinationi non sit oppositum, atque ideo eam nec juvet nec impediat, item nec acceleret neque retardet.

Refractum lumen est duplex.

*Et differ-*

*rentia.*  
*Refractum*  
*ad perpen-*

*diculum.*

*A perpen-*

*diculo.*

Vel enim accedit ad perpendiculum BI, ut hîc vide-re est in radio BC; ubi scilicet radius AB ex aëre ve-niens, obliquè ingreditur pellucidum stabilius, quale est vitrum, vel aqua; tumque angulus refractionis FBC, est major angulo incidentiæ ABE.

Vel refractum lumen recedit à perpendiculo BI, ut conspicitur in radio BD; quando scilicet radius AB, ex vitro vel aquâ veniens, obliquè intrat pellucidum flu-i-


dius, tantum una, ex. gr. descensoria, est determinatio. Atque ideo in nul-lam partem defle-cti, infringi, vel in-curvari potest.

Transiens refrac-tum est, quod fra-ctâ seu angulari li-neâ, ex. gr. ABD, vel ABC, per dia-

dius, quale est aér. Tumque angulus refractionis FBD,  
est minor angulo incidentiæ ABE.

Lumen rediens est, quod à corpore objecto, in quod à <sup>Lumen re-</sup>  
relicidâ est impulsu, & per quod transire non potest,  
resilit. Estque reciprocans, vel deflectens.

Reciprocans lu-  
men est, quod cādem  
viā A B reddit, quā  
in corpus objectum  
EBF perpendiculariter  
processit. Quod  
fit ob simplicem, v.  
gr. descensoriam A  
B, determinationem,  
quā idcirco à corpo-  
re opposito EBF,  
tamen in directe  
contrariam, v. gr. af-  
censoriam BA, mutari potest.



Deflectens lumen est, quod à viā obliquā CB, quā in <sup>Deflectens.</sup>  
corpus objectum EBF processit, per aliam obliquam,  
ex. gr. BD, ab cā recedit: Idque vel in unam partem,  
ut fit, cum radii incidunt in corpus politum & æquale; <sup>vid. fig.</sup>  
vel in varias partes, quod fit ob corporis objecti superfici-  
em asperam.


Deflexio luminis fit à determinatione ejus obliquā C <sup>Ejus causa.</sup>  
B, ex descensoriā ex. gr. GB, & progressivā lateri CG  
compositā, quarum una, nempe descensoria GB, in con-  
trariam oppositam BG, ab objecto corpore EBF muta-  
tur, alterā lateralī progressivā, cui corpus illud objectum  
non adversatur, manente integrā. Vnde necessariò lumi-  
nis, in punctum B obliquè incidentis, fit versus D,  
non autem versus A vel C, reflexio.

Lumen

Ejus diffe-  
rentia.

Lumen rediens deflectens est triplex.

Vel enim illud nec magis nec minus, quam radius oblique incidentis ex. gr.



C B, à perpendiculo A B receditur hinc videre est in radio reflexo B D. Vbi scilicet radii C B, obliquè in corpus E F punto B incidentis, motus neque acceleratur, neque retardatur.


Tumque angulus incidentiae C B E

est æqualis angulo reflexionis D B F.

A perpen-  
diculo.

Vel illud recedit magis à perpendiculo F C, quam

radius obliquè incidentis A C, ut hinc videre est in radio reflexo C B: quando radii illius A C, obliquè, punto C, in corpus D E incidentis, motus retardatur. Tumque angulus reflexionis B C E, est minor angulo incidentiae A C D.



Ad perpen-  
diculum.

Vel lumen rediens deflectens recedit minus à perpendiculo F C, quam radius obliquè incidentis B C, ut hinc conspicitur in radio reflexo A C: cum sc. radii B C, obliquè in corpus D E punto C incidentis motus accele-



ratur.

ratur. Ac tum angulus reflexionis A C D , est major angulo incidentiæ B C E .



Atque hæc , quæ de anguli reflexionis & refractionis magnitudine æquali , majore vel minore diximus , ex iis , quæ de motus determinatione simplici vel composita , antehac lib. I. cap. 7. sunt dicta , satis innotescunt .

Cùm verò , propter situm varium superficierum corporis occurrentis sive objecti , in quo jam explicata luminis fit refractio vel reflexio , radii incidentes A B C interdum

*Cur radie  
reflexi &  
refracti in-  
terdum  
congregen-  
tur , inter-  
dum segre-  
gentur .*





congregentur in uno puncto , v. gr. L , ut hîc apparet in corpore ferreo D D , & vitro E F ; vel ii à se mutuò segregentur ad varia puncta M N O , ut hîc videre est in





ferro polito G H , & vitro lævigato I K . Cumque in corporibus , circulari , parabolicâ , sphæricâ , conchoide , vel

A a a aliâ

aliâ figurâ curvâ præditis (quippe quæ , ut superiùs pagin. 17. diximus , ex multis lineolis rectis vel superficieculis planis constent ) etiam similis varia partium superficie in iis sit positio ; idcirco pro varia curvitatis corporum convexorum vel concavorum adaptatione , congregantur iis radii A B C , in unum punctum L , uti fit in





segmento speculi concavi P Q , & lenti crystallinæ convexæ R S ; vel ii à se mutuò ad varia puncta M N O longius segregantur , uti contingit in speculo convexo





T V , & lente crystallinâ concavâ X Y . Idem etiam apparet in his additis corporum figuris , ubi earum ope  
radii ,

radii, ab uno objecti puncto A venientes, in unum B congregantur, ut hic conspicitur in lente crystallinâ con-



vexâ 1. 2, & speculo concavo 3. 4; vel à se mutuò ad varia puncta C D E ii disgregantur, ut licet videre in speculo convexo 5. 6, & lente vitrâ concavâ 7. 8. Ea-



que omnia ex iis, quæ de refractione & reflexione luminis jam diximus, satis sunt perspicua.

Aaa 2

Atque

Atque ex his jam intelligimus, & postea intelligemus, quomodo radii multi à singulis objecti punctis venientes, ope convexitatis oculi, ad unum retinæ punctum, ut distincta fiat visio, congregentur. Ac præterea quomodo in myopibus radii, qui ad oculum veniunt, auxilio perspicilli concavi nonnihil disagregati, & in presbytis ope vitrorum convexorum paululum convergentes, visum juvent.

*Color.*

Color autem est luminis, secundum globulorum ejus æthereorum processus, & circumvolutionis proportionem, modificatio-

Dum enim radii luminis à re lucida propelluntur, globuli illi ætherei, qui radios istos constituant, vel æquilater vel inæqualiter, diversâ proportione, ob variam corporum occurrentium constitutionem, protruduntur & circumvolvuntur. Atque ex illâ variâ eorum processus & circumvolutionis proportione, omnes modificationes luminis, sive colores, originem ducunt.


*Coloris origo.*

Hæc modificatio oritur, vel à solâ radiorum reflexione; ut fit in radiis à corpore aliquo opaco reflexis. Vel à refractione solâ; ut appareret in prismate vitro. Vel à reflexione & refractione simul; ut fit in iride & nubibus.

*Quod coloris natura in globulorum luminis, secundum processum & circumvolutionem proportionem, consitiat.*

Quod autem omnes colores ex ista processus & circumvolutionis proportione originem ducant, & eorum natura in eâ consistat, id ex prismate vitro est manifestum. Cùm enim à Solis A B C radiis, prismate vitro M N P, fulcro perforato D P F incumbente, refractis, omnes colores in pariete albo H G F producantur, nec quicquam præter illam globulorum æthereorum processus & circumvolutionis variam proportionem ibi possit vel opus sit demonstrari, & eadem proportio ex reflexione radiorum, in corpora opaca in-

*supra.*




eidentium, possit oriri: meritò tota colorum natura in eo est statuenda; præsertim cùm entia non sint multiplicanda absque necessitate. Hoc autem hic fieri, ita demonstro:

Sit ex. gr. prisma seu triangulum vitreum M N P, fulcro perforato D P incumbens, radii que solis A B C, in superficiem istius prismatis, ad quadraginta vel triginta gradus inclinatam M N, perpendiculariter incidentes, penetrant obliquè ad alteram ejus superficiem N P, circa foramen D E, quod ex. gr. unius pollicis latitudine patet, & umbram circa foraminis utramque pattem D & E, radiis transseuntibus D F, E H exhibet: certum est per experientiam, radios, obliquè, per foramen illud, ex vitro in aërem tum transeuntes, refractum iri, & ad superficiem albam H G F pervenientes, ab H usque ad F varios colores hoc ordine ibi exhibituros. Primo loco, circa H, colorem cœruleum

A a a 3 & vio-

& violaceum; deinde viridem; tertio seu medio loco, circa G, album; quarto flavum; quinto, circa F, rubrum.

Nihil aliud autem in toto illo negotio contingit, quam quod radiorum istorum, in superficiem prismatis inferiorem N P eodem inclinationis modo incidentium, globuli, qui sunt circa D, à sinistra versus D N umbram, globulos æthereos tardè motos continentem; à dextrâ verò versus E P lumen, globulis æthereis celeriter motis præditum, habeant: atque ideo multò celerius circum centrum suum rotentur, quam ad lineam rectam propelluntur; idque eo modo, ut globulus 1 2 3 4, ab V in superficiem aquæ Y Y obliquè versus X descendens, eamque puncto suo 3 contingens, dum latere suo 3, quo superficiem illam primò contingit, non nihil retardatur, manente eadem celeritate in globuli parte I, & hinc necessariò, secundum ordinem characterrum 1 2 3, circumrotatur. Eaque circumrotatio multò celerior quam ejus progressio evadit, si globulus S, tardius ipso motus, circa partem globuli 3 2 ipsi subiectus, ipsius progressum retardet; globulus verò Q, supra ipsum circa partem 4 1, collocatus & celerius ipso motus, ipsum vehementius propellat, atque ita ejus circumvolutionem progressu multò celeriorem efficiat. Contrà verò contingit, ut illi globuli, qui sunt circa E, à dextra versus E P, habeant umbram, in qua globuli ætherei tardè moventur; & à sinistrâ versus D N, lumen, quod continet globulos celeriter motos; atque ideo multo tardius circum centrum suum circumrotentur, quam ad lineam rectam protruduntur. Idque eodem planè modo, ut globulus 1 2 3 4, ab V in superficiem aquæ Y Y obliquè versus X descendens, eamque puncto suo 3 primò contingens, valde tardè se secundum ordinem



ordinem numerorum 1 2 3 4 circumrotat, si à parte 1 subiectum habeat globulum R tardiùs ipso motum, & eo hujus rotationem impedientem; à parte verò 3 ipsi sit oppositus globulus T, qui celeriorem ipso habeat motum, atque ita globulum 1 2 3 4, secundūm ordinem prædictorum numerorum se rotare conantem, celeriore suo motu, retineat, atque ita ejus circumvolutionem progresu multò tardiorum reddat.

Atque ex his intelligimus, quòd quò luminis, per foramen D E transeuntis, radii, magis ad umbram sinistram D accedunt, tantò major sit ejus globulorum æhereorum circumvolutio, quàm processio; quantò verò magis accedunt ad umbram dextram E, radiorum globuli tantò tardius circum centrum suum rotentur, quàm procedunt. Quodque ii globuli qui in medio istius luminis circa G existunt, æqualem retardationem & accelerationem circumvolutionis ab umbra dextra & sinistra accipiunt,

*Color Albus.*

piant, atque ideo æqualem circumvolutionis & processus habeant proportionem; cumque albus color ibi pingatur, albedinem in illâ proportione consistere: aliorum verò colorum, ut cærulei, viridis, flavi, rubri naturam sitam esse in variâ circumvolutionis celeritate vel tarditate, processionem eorum superante. Ita ut

*Ruber.*

Ruber color, qualis pingitur circa D, sit luminis modificatio, in quâ globuli multò celerius circumrotantur, quam procedunt.

*Flavus.*

Flavus, qualis pingitur paulò remotius ab illâ umbrâ, sit luminis modificatio, in quâ eorum circumratio est paulò celerior, quam processio.

*Cæruleus.*

Cæruleus, qualis conspicitur circâ H, oriatur à globulorum circumvolutione, quæ processu multò est tardior.

*Viridis.*

Viridis, qui pingitur paulo remotius ab H versus G, profiscatur à circumrotatione globulorum, quæ processu paulò est tardior.

*Violaceus.*

Violaceus verò color, qui prope cæruleum, supra H in charta alba conspicitur, & ad naturam rubri accedit, ex eo oritur, quod quidam globuli luminis, ibi in tardos umbræ globulos inclinando impingentes, atque ideo illac se rotare nequeentes, per resultum rotationem in contrarium faciant, atque ita à globulis vicinis, ab altera parte eos celeriore motu in sequentibus, celerius circumrotentur, quam procedunt.

*Nigredo.*

Nigredo etiam inter colores numerari solet, sed illa nihil aliud est, quam certa dispositio partium insensibilium corporis, à quâ impulsorum globulorum æthereorum motus sistitur. Atque hoc patet ex tenebris, & profundis foraminibus, quæ ideo nigricant, quia nulli ab illis radii resiliunt.

*Colores non  
sunt divi-  
dendi in  
veros &  
apparentes.*

Colores vulgò distinguuntur in veros, & apparentes: sed male. Quia omnes apparentes dicti sunt veri, quia verè

verè apparent ; & veri appellati, quotiescumque sunt conspicui sunt apparentes , quia apparent videntibus.

Hoc autem discriminis est inter colores apparentes, & veros dictos , quòd apparentes plerumque ex lumine , in diaphanis corporibus certo modo dispositis refracto , & interdum etiam reflexo ; ast veri dicti plerumque ex lumine , in corporibus opacis certâ dispositione præditis reflexo , originem ducant.

Nec opinandum est , colores veros dictos , corporibus opacis certo modo dispositis , formaliter , ut ajunt , inesse , sed tantum materialiter vel effectivè : nam corpora illa opaca à luce illustrata , hos colores per certam suam particularum insensibilium dispositionem , & luminis refexionem in oculo ita producunt , ut acus , formaliter nullum dolorem habens , ubi in cutim vehementius agitur , dolorem , per suum motum , duritatem , & figuram , producere sentitur.

Itaque cùm pro ipsa illa particularum insensibilium corporis opaci dispositione , qua illud , pro dispositionis suæ varietate , aptum est globulos luminis incidentes diversimodè , secundùm certam proportionem circumvolutio nis & processionis , jam explicatam , modificare , & ita sensationem coloris cærulei , viroris , rubedinis , flavedinis , vel albedinis , aut etiam nigredinis efficere , ipse colore ponitur , tropus , sc. metonymia effecti , ibi est admittendus.

Colores cum lumine percipiuntur , ex perceptione modificationis luminis jam descriptæ , & oculis per foramen pupillarum & reliquas diaphanas eorum partes in retinâ receptæ , & in cerebrum usque delatæ.

Vt regio sive situs aliorum sensibilium certis sensoriis ; sic visibilium sine ullis speciebus intentionalibus , per solum impulsu m , ex certâ regione versus certas cerebri

*Quomodo  
different  
colores ve  
ri , &  
parentes  
dicti.*

*Corpora  
colorata di  
cta non ha  
bent colo  
rem , sed  
coloris sen  
sum in no  
bis effi  
ciunt.*

*Color ipsis  
corporibus  
objectis tri  
buitur per  
metony  
miam effi  
cit.*


*Quomodo  
videatur  
lumen &  
color.*

*Quomodo  
videatur  
rerum si  
tus.*

partes venientem, oculis ab anima percipitur. Ab illâ enim parte res visibilis sita videtur, unde radiorum ejus impulsu[m] venire sentimus: idque in speculorum inspectione, & aliâ quâvis radiorum directorum, vel reflexorum, vel refractorum receptione, est manifestum.

*in loco suo  
apparen-  
tium.*

Ita candelam ex.gr. A B, solo oculo E D B per radios directos visam, in loco suo A B sitam esse judicamus;



quia ex illo loco, ubi objectum visibile est situm, radiorum impulsu[m] venire sentimus.

*Et quidem  
rectus,  
quamvis  
eversa in  
oculi fundo  
pingantur  
imagines.  
Demon-  
stratur,  
quomodo  
imagines in  
oculo ever-  
tantur.*

Atque hinc etiam patet res visibiles solis oculis visas per impulsu[m] illum radiorum, ex certâ regione per radios directos venientium, erectas necessariò percipi; quamvis, teste ratione & autopsiâ, everse in oculis nostris earum pingantur imagines.


Et quantum ad rationem attinet, quæ everse in fundo oculi imagines pingi doceat: Cum in oculum, ob pupillæ angustiam, fere nulli directi, sed soli fere obliqui intrare possint radii; atque idcirco obliqui illi radii, ex. gr. A B à summâ, & obliqui C D ab imâ candelâ, in oculum per angustiam pupillæ E concurrendo ingressi, postea

postea ad retinam DB in fundo oculi à se mutuò descendendo perveniant, necessariòque illi, ultrâ pupillam E progressi, idcirco decussentur, sive cruciatim se mutuò ita intersecant, ut pars radii superioris fiat inferior, & inferioris pars evadat superior; hinc pars candelæ summa A, inferius circa B, ima verò C, superius circa D, in oculi fundo pingitur, eversaque candelæ imago in oculo exhibetur. Idque oculis conspicitur, si alicujus animalis majoris oculus, cui omnes musculi & membranæ præter unicam retinam in fundo sunt ademtæ, foraminis cubiculi obscuri parvo apponatur, eique foris lucerna AC apponatur, & intus in cubiculo fundus oculi appositi inspiciatur. Similis imaginis visibilis eversio in cubiculo obscuro, unico parvo foramine, per convexam lentem crystallinam, lumen & colores, ab objectis foris existentibus, in charta alba justo loco adhibita, recipiente, & imagines rerum foris existentium accuratissime quidem delineatas, sed eversas, exhibente, demonstrari solet.

Verùm quia radii oculum ingredientes, propter suam reflexionem vel refractionem ante oculi ingressum ab ipsis passam, per lineas non tantum angulofas, sed etiam decussatas, & præterea propter certam oculorum dispositionem ad radios rectè recipiendos necessariam, aliunde veniant, quam unde impulsus eorum in oculum ultimò procedit, eumque afficit; hinc contingit, ut res visibles sèpissimè non tantum extra suum locum sitæ, sed etiam eversæ appareant; ita ut dextræ sinistræ; superiores inferiores, magnæ parvæ, & parvæ magnæ videantur.

Sic, si objecta visibilia T, V, X $\alpha$ , X $\beta$ , Y, Z, &, &  $\gamma$ , per vitra N, O, P, P $\delta$ , & speculis Q, R, S, S $\epsilon$ , ab oculis A, B, C, C $\lambda$ , D, E, F, F $\theta$  conspician-

*Quomodo  
objecta ex-  
tra suum  
locum sita,  
item inver-  
sa, majora,  
& minora,  
quam sunt,  
appareant.*



tur; tum apparebunt illa esse in locis G, H, I, I $\zeta$ , K, L, M, M $\varsigma$ : Et V, ac Z, minora; & verò, atque X $\alpha$ , majora, quam sunt; X $\beta$  verò, ac & $\gamma$ , minora, ac simul inversa videbuntur.


Quomodo  
videatur  
distantia.

Distantia cognoscitur, primò, ex variâ oculi figura-  
tione:

tione: nam in rebus longinquis videndis dilatatur oculi pupilla, & movetur crystallinus humor versus retinam, ac oculus redditur rotundior; in propinquis verò, arctaatur pupilla, lens crystallini humoris procedit versus anterius, & oculus producitur in longitudinem. Deinde cognoscitur distantia ex distinctâ vel confusâ repræsentatione; nec non ex fortitudine vel imbecillitate luminis, unde tota radiorum longitudo aliquo modo innotescit. Quæ enim confusè vel imbecilli lumine illustrata percipiuntur, longinqua; quæ verò distinctè & forti lumine perfusa sentiuntur, propinqua videntur.

Modus videndi magnitudinem est comprehensus in perceptione sitûs & distantiae rei objectæ. Dum enim per radiorum decussatorum A B, C D, ex regione summâ & imâ objecti A C, in oculum E venientium, impulsu, rei objectæ angulus visionis A E C; perque impulsu

*Quonodo  
percipiatur  
magnitudo.*



sûs istius modum, longitudo istorum radiorum cognoscitur: necessariò etiam anguli istius subtensa A C, quæ est ipsa rei objectæ magnitudo, fit manifesta. Quoniam autem longitudo longiorum radiorum non exquisitè satis ex modo impulsu cognosci potest, præcedens distantia

scientia hic in auxilium est vocanda. Sic ex. gr. si distantia cognoscatur esse magna, & angulus visionis sit parvus, res objecta longius distans judicatur magna; si distantia sciatur esse parva, & angulus visionis sit magnus, objectum judicatur esse parvum. Si verò distantia objecti longius dissiti sit incognita, nihil certi de ejus magnitudine decerni potest.

*Quomodo  
videatur  
figura.*

Figura æstimatur potissimum ex opinione sitū diversarum partium corporis objecti, ex aliis præcedentibus perceptionibus, quibus imagines illas aliter in oculo pingi antea percepimus, natā; & non semper ex imaginum, in fundo oculi pictarum, cum objecto similitudine: illæ enim plerumque sunt ellipticæ ex. gr. & quadratæ oblongæ, cum nobis, ob præcedentes alias perceptiones, circulos & quadrata æquilatera videnda exhibent.

Verùm si rei visibilis imago aliâ figuratione nobis antea oblata non fuisset, opinio nostra de rei visæ figurâ, & consequenter ipsa visio, cum imaginis in fundo oculi pictæ figurâ planè congrueret.

*Quomodo  
percipiatur  
rerum nu-  
merus.*

Numerus rerum visibilium percipitur non tantum ex unâ vel pluribus imaginibus, per radiorum impulsū ab objecto uno vel pluribus, in oculum venientibus; sed præcipue ex partium cerebri, unde nervi visorii originem ducent, ab objectis motarum tali positione, qua anima ad certum locum, eumque vel unum vel plures, attendere solebat. Atque ideo, cùm neuter duorum nostrorum oculorum per vim à naturali situ est detortus; licet geminæ in fundis utriusque oculi pingantur unius objecti imagines, res tamen simplex & foris loco suo sita percipitur. Contra verò, ubi per vim alteruter oculorum, cum annexâ cerebri parte, à justo cum altero parallelismo, per pressionem ex. gr. digitii admoti N, est deturbatus, omnia gemina apparent. Idque eodem planè fit modo, quo cæcus, duabus

Vid. figur.  
pag. 364.

bus manibus unam eandemque rem contrectans, eam judicat esse simplicem; decussatisque baculis objecta varia contingens, sinistrâ manu dextrum, & dextrâ sinistrum, & utrumque certo loco situm percipit, & per totam baculorum longitudinem mentis attentionem ex impulsu modo dirigit. Ejusdem verò manus indice & medio digito sibi mutuo decussatim insidentibus, si unicum globulum inter utrumque circumvolvat, eum non unum, sed geminum censem.

Motus & quies oculis videntur, dum imagines rerum visibilium in retinâ repræsentatæ, & in cerebrum delatae, Quomodo motus & quies.


vel moventur, vel quiescunt.

Ipsas autem imagines, carumque magnitudinem, numerum, & reliquias circumstantias, anima in oculo non videt: nam ipsa alioquin indigeret oculis in oculo. Sed ex solo motu ejusque modo, solaque motæ in retina partis extensione & numero eas percipit; quemadmodum punctum duram unam vel plures aciculæ in cute minores esse, quam ictum baculi in toto dorso receptum, per extensio- nem sentimus & discernimus.

Atque ex his facile innoteſcat, quomodo reliqui alii sensus situm, distantiam, magnitudinem numerum, motum, & quietem rerum objectarum, percipient.

Porro ad rectè videndum requiritur objecti justa ab oculo distantia, ut commodus multorum radiorum, à singulis objecti punctis venientium, concursus in singulis retinæ punctis fieri possit; & deinde ut rei videnda imago satis magna & perceptibilis in fundo oculi pin- gatur.

Si enim objectum oculo nimis est propinquum, radii isti multi ex. gr. A, B, C, ab uno objecti punto D ve- nientes, tam oblique in convexam oculi superficiem A C incident, ut retina E, ante punctum concursus radio- rum Cur objec- tum viſi- bile juſtant ab oculo debeat ha- berē di- stantiam.



rum ex. gr. F , existat, eaque propterea à radiis istis, nondum satis congregatis , quantum ad distinctam visionem est necessarium , affici nequeat , nec ulla perceptibilis imago ibi in fundo oculi pingi possit.

*Quo artifi-  
cio hoc ocu-  
li vitium  
corrigi  
possit.*

Atque ideo ubi objectum oculo nimis est propinquum, quām ut solis oculis recte videri queat ; lens crystallina, quæ justam ratione oculi convexitatem habet , si oculo adhibeatur , facit ut radii ; qui antea , nisi opacitas retinæ obstitisset , post retinam tantum, ex. gr. circa F , potuisse colligi , jam in ipsa retina E , per additam lentis convexitatem , radios nimis divergentes colligentem , collecti , rectam visionem efficiant. Atque hoc quotidie in presbytis sive senilem visum habentibus , qui , literas ex propinquuo videre nequeunt , convexis perspicilli lentibus visum suum juvant , observari potest. Idem observatur in illis , qui convexâ lente pulicariâ oculo adhibitâ , pulicis pilos & alia minutissima corpuscula , oculo proximè adhibitâ accuratissimè conspicere & discerne-re queunt.


*Cur res per  
vitrum  
convexus  
visa magna  
apparent.*

Hic autem res visibles tum majores , quam sunt , appa-rent , quia propter convexitatem vitri , radios congre-gantem , angulus visionis augetur ; & objectum oculo proxime adhibitum , propter magnam radiorum cum decussatione oculi pupillam versus retinam ingredien-tium

tium divaricationem , in fundo oculi magnam imaginem pingit.

Vbi verò objectum visibile est nimis longinquum, pau-  
ci veniunt radii in oculum à singulis objecti punctis ; ac  
prætereà radii , ex. gr. A B , A C , A D , à singulis ob-  
jecti istius punctis ex.gr. venientes, nimis ad parallelismum

*Cur objecti  
nimis lon-  
ginq[ue] non  
distingui,  
vel nulla  
fit visio.*



accedunt, atque ideo congregantur ii circa E, anter retinam F , qui deinde rursus à punto illo concursus E sese segregantes , retinam , quantum ad rectam visionem requiritur , satis movere non possunt ; ideoque vel obscurum , vel nullum objecti visum efficiunt.

Adhæc in rebus valde distantibus videndis angulus visionis valde parvus, aut planè nullus est ; atque ideo, vel nulla, vel nimis exigua in fundo oculi pingitur rei videntiae imago , quo de illa nihil quicquam videri potest.

Atque ideo, ubi objectum nimis est longinquum, quam ut solis oculis commodè videri queat, lens crystallina concava , justam ratione oculi cavitatem habens , vel telescopium extubo , cuius extremitates lente convexâ & concavâ sunt armatae , constans, si oculo rectè adhibetur , facit ut radii , qui antea solâ oculi convexitate nimis convexâ ante retinam ex. gr. circa E congregati , & deinde in ipsa retina F rursus segregati , aut obscuram aut nullam visionem faciebant , hujus cavi adhibiti vitri ope,

*Quomodo  
huic malo  
remedium  
adhibe-  
atur.*

Ccc quia

quia hoc radios, à singulis objecti punctis ad oculum per se nimis convexum venientes, non nihil divaricatos defert, in ipsa retina F ope convexitatis oculi congregentur, & ita distinctam & accuratam visionem faciant. Atque hoc in myopibus, aliisque res longinquas non bene per se videntibus, qui vitrorum concavorum & telescopii usu rectam rerum fungi distantium perceptionem, ratione jam explicatâ sibi exhibent, passim animadvertis.

*Cur per telescopium res distantissima magna apparent, & distincte conspiciantur.*

Præterea telescopium sive tubus opticus, cuius jam minimums, hanc utilitatem præbet, quod faciat, primò ut res videnda, propter magnam tubi pupillam, pluribus radiis, & ob extimi vitri convexitatem radios congregantem, sub majore visionis angulo videatur; & deinde, ut radiorum, pupillam sive rotundam tubi extremitatem extimam cum decussatione versus retinam oculi ingredientium, magna, ob tubi longitudinem, fiat divaricatio, eoque magna objecti visibilis in fundo oculi pingatur imago: atque hinc contingit, ut res distantissimæ magnæ appareant, & distincte conspiciantur.

*Cur res, per vitrum concavum visa, parva apparent.*

Vbi autem per solum vitrum concavum objecta visibilia conspicuntur, apparent illa minora quam sunt, propterea quod angulus visionis, propter vitri concavitatem radios disgregantem, imminuitur.

*Quomodo radii corporis, oculum per pupillam intrantes, variorum colorum sensationem eodem tempore efficiant.*

Sed ne quis in admirationem rapiatur, radios luminis, quos dicimus esse corporeos, diversimodè secundūm variorum colorum modificationem affectos, per foramen pupillæ, quod sæpiissime est quam angustissimum, ad retinam tunicam transire, & eodem tempore albedinis, nigredinis, viroris, rubedinis, aliorumque colorum sensationem nobis, sine dimensionum penetratione, efficere; ideo monendum est, radios, non tantum diversis coloribus modificatos, sed quovis alias, copiosè à variis & distantio-

distantioribus locis venientes, non eodem individuo tempore, sed diversis momentorum vicibus, se mutuo quām cellerrimē consequentibus, per angustias pupillæ in retinam impingere, motumque suum ibidem aliquantillum relinquere, donec alii radii, per pupillam postea intrantes, motus suos aliis retinæ partibus vicissim imprimant, ibidemque eos cum aliis aliquantillum relinquant. Cūm itaque illæ diversorum radiorum, diversis temporibus pupillam intrantium, vices tam sint celeres, ut sensus noster eas discriminare non possit, motusque eorum aliquantillo tempore simul in retinâ maneat, ingressus illi diversorum radiorum eodem tempore fieri videntur, atque ita eodem tempore diversorum colorum fit sensatio. Sic pueri bacillum, in extremitate ignitum, celerimē circumrotantes, pingunt in oculis nostris igniti circuli imaginem: non quia bacillus ille ignitus eodem tempore in diversis circuitus istius locis exsistit; sed quoniam ille tam celeriter movetur, ut nos partium istius processus vices discernere nequeamus: & motus radiorum ignis, oculo impressus, etiam tum in quibusdam retinæ partibus manet, quando bacillus ad alias circuitus sui partes transivit.

Propter has tam celeres radiorum transeuntium vel reciprocantium vices, & ob motum eorum aliquantillo tempore in retinâ perseverantem, contingit; ut duo se mutuò intuentes, eodem tempore, ope istorum radiorum corporeorum, sine ullo mutui occursum obstaculo, eodem tempore se mutuò videant, quamvis radii isti non eodem individuo tempore in utriusque oculum incidant.

Cūm autem rerum lucidarum particulæ variè, ut docet experientia, moveantur, mirum non est earum radios non eodem tempore, sed vicissim alios post alios, à par-

*Quomodo  
radius cor-  
poreis duo  
se mutuo  
eodem tem-  
pore vi-  
deant.*

*Particula  
rerum luci-  
darum non  
feruntur  
omnes eo-*

dem in-  
stanti ino-  
mnes par-  
tes.

ticulis istis variè motis, in varias partes propelli, atque ideo non eodem individuo instanti in omnium oculos revera venire; quamvis, propter celerrimas eorum motus vices, eodem tempore in omnes partes protrudi videantur.

## C A P V T I V.


## De Oculo.

**A** Ntequam ad reliquorum sensuum explicationem progrediar, proponendus est oculus, quo, visus habet explicatus, peragitur.

*Conforma-*  
*tio & usus*  
*oculi.*

*Cur qua-*  
*dam oculi*  
*partes sunt*  
*diaphana.*

*Cur oculus*  
*sit conve-*  
*xus; &*  
*certum*  
*convexitati*  
*modum*  
*habeat.*




Hic constat primò aliquibus partibus diaphanis, nempe tunicâ corneâ B C B, & humoribus, aqueo E F K F E, crystallino L, & vi- treo NG H M I N; ut scilicet radii luminis ad fibrillas retinæ G H I, sive nervi optici Z H, fundo oculi im- plantati, commodè moven- das, pertingere possint.

Secundo est convexus, ut radii luminis, à singulis objecti punctis venientes, qui per se soli sunt imbecilles, convexitate ejus in retinâ Z G H I, ad singula puncta u-

niantur & congregentur, iisque ita uniti sufficientem vim habeant, quæ nervi optici fibrillas H Z ibidem satis mo- vere valeat.


Habet autem convexitas oculi talem proportionem ad retinæ distantiam, ut radii multi, à singulis objecti punctis in oculi superficiem incidentes, in ejus fundo, ubi retina est, ad certa puncta congregentur; uti hic apparet in ad-

in additâ iconâ, ubi radii A, B, C, ab uno objecti visi-




bilis punto D venientes, in uno tunicæ retinæ punto E, justâ convexitate oculi ABC E, congregantur.

Nam si concursus ille radiorum fieret cis sive ante re-



tinam, ex. gr. in punto E; vel ultra sive post retinam,



ex. gr. in punto F; nulla vel obscura fieret visio, quia  
CCC; retina

retina tum à radiis, utpote separatis, non satis afficeretur.


Tertiò habet oculus tunicam uveam G E F, I E F, cuius exterior superficies E F, E F, ob varium colorem, quo prædita est, iris dicitur.

*Iris, & pupilla oculi.*

Hæc in medio perforata est parvo foramine F K F, pupilla dicto; quod in illo pupula, à radiis in superficie oculi ibi repercuttis, cuivis oculum inspicienti appareat.

*Vrilitas pupilla.*

Hoc foramen facit, ut nulli fere alii radii, quam obliqui, quales ex. gr. A B, C D, & quidem decussati per



pupillam E, ad fundum oculi D B, à singulis objecti punctis distinctè pervenire possint. Quo fit, ut radii illi modificationes suas luminis ibi servent, nec ab aliorum radiorum, utpote ad diversa & alia retinæ loca pervenientium, modificationibus vitientur; atque ita in fundo oculi accuratam rei objectæ, ex. gr. candelæ D B, imaginem pingant; eaque, per motus ad cerebrum delatos, à mente in sensorio communi distinctè percipi possit.

*Cur pupilla modò constringi, modò dilatari possit.*

Hæc tunica habet vim, ut, instar musculi se dilatando & constringendo, pupillam latiore vel angustiorem reddit; ad moderandum scilicet radiorum ingressum, qui modò sunt plures, modò pauciores, modò fortes, modo imbe-


imbecilles, atque ideo certo moderamine, ad rectè videntem, indigent.

Hujus tunicae interior superficies nigrore quodam, in-  
star interioris superficieis uvæ nigræ, est obducta; ut radii  
in retinam G H I incidentes, & inde in uveam resilien-  
tes, ibidem ab illo nigrore extinguntur, ne, iterum in-  
de in retinam reverberati, visum perturbent.

Quartò in oculo est tunica arachnoides, in cuius medio  
hæret crystallinus humor L, suâ etiam convexitate  
præditus, quæ vim habet, ope processuum ciliarium  
B N, NB, per arachnoïdem tunicam dispersorum,  
crystallinum humorem ( in quo ob densitatem & solidi-  
tatem majorem, præcipua fit radiorum refractio, & ob  
majorem ejus convexita-  
tem maxima eorum versus  
retinam unio ) vel propius  
vel remotius à retina movendi, eumque, ut & totum  
oculum, vel magis vel minus convexum reddendi, pro-  
ut distantia major vel minor objecti requirit; sicuti supe-  
riùs, in distantia videndâ, fuit doctum.

Quintò denique in fundo oculi est membrana reticu-  
laris seu retina G H I, quæ contexta est ex infinitis fi-  
brillis nervi optici H Z. Hæ à radiis, auxilio convexita-  
tis oculi & præcipue humoris crystallini collectis, move-  
tur, motumque qualem acceperunt ( quia extremitates  
nervi optici, ex quibus retina præcipue constat, sunt al-  
bæ ) cerebro communicant, & animæ ibidem offerunt,  
atque ita sensationem rerum visibilium efficiunt.

Adhæc



*Cur tunica  
uvea inter-  
rius sit ni-  
gra.*

*Vitilas  
processuum  
ciliarium,  
& conve-  
xitatis cry-  
stallini hu-  
moris.*

*Vitilas  
retina  
tunica.*

Adhæc oculus habet musculos A O, quibus ad varia objecta videnda convertitur.

## C A P V T V.

*De Auditu, Olfactu, Gustu, & Tactu.**Auditus.*

**A**Vditus autem est sensus, quo ex justo fibrillarum nervi auditorii motu, auribus impresso, & in cerebrum, ad sensorium commune delato, anima sonos percipit.

*Sonus.*

Sonus est motus tremulus particularum aëris, nervum auditorium satis mouere aptus.

*Tremoris  
soni proba-  
tio.*

Tremor soni in campanis, fidibus, aliisque rebus, aërem tremore suo moventibus, vel ab aëris tremore motis, & ita sonantibus, ad oculum est perspicuus.

*Quid sit  
sonus acu-  
tus &  
gravis.*

Aëris tremuli in tremendo celeritas acutum, tarditas gravem sonum efficit; uti in fidium testudinis percussione oculis conspicitur.

*In quo con-  
sistat reli-  
qua sono-  
rum diffe-  
rentia.*

Reliqui istius motus tremuli varietates producunt reliquias sonorum differentias. Sic alium aëris tremorem facit bos boando; alium leo rugiendo; alium asinus ruddendo; alium homo loquendo, alium canendo; & ita de cæteris.

*Loquela &  
cantus dif-  
ferentia.*

Loquela autem & cantus differunt clangore, sive tremoris soni magnitudine: quæ major in cantu est, quam in loquela.

Major ille cantus clangor oritur ex foraminum narium palatum oris ingredientium, item buccarum & reliqui interioris oris, majore apertione & expansione, unde aëris moti & vocis major fit tremor.

*Cantus  
quomodo  
delectet; &  
varios af-  
fectus ex-  
citet.*

Cantus delectat varietate, & vocum, se mutuò consequentium, & simul concinuentium, justâ tremoris, secundùm tempora & intensionem, proportione.

Idem

Idem varios affectus excitat , dum vario suo tremoris motu spiritus & fibrillas cerebri , ad fibras cordis diversas dilatandas vel contrahendas ( ut in affectibus , à judicio vel alia causa ortis , fieri solet ) variè determinat & adaptat.

Visus fit motu globulorum æthereorum , qui , cùm sint solidi , in se non confidunt : auditus verò motu aëris , cuius particulæ ramosæ & flexiles in se flectuntur & confidunt ; ac ideo non possunt hæ motum suum vicino , & deinde longinquò aëri tam celeriter communicare. Atque hinc est auditus visu , qui in instanti fit , multò tardior. Et hoc ex unâ globulorum fictilium , & alterâ vesicarum inflatarum continuâ & propulsâ serie , est perspicuum. Series enim illa globulorum in momento , vesicarum verò longiore temporis tractu , tota propellitur.

In auditu requiritur justa inter aurem & rem sonoram distantia , ut partes aëris satis commodè , ad diversas illas tremulationes , diversos sonos constituentes , efficiendas , disponi possint.

Auditùs organum exterius , est instar infundibuli excavatum & latum , ut aëris motus tantò copiosius meatum auditorium ingrediatur , nervumque auditorium sufficierenter afficiat.

Quia sonus , non uno momento , ut lumen , provehitur , sed lapsu & successu temporis ad sui propagationem indiget ; ideo nonnunquam à sono edito oritur echo , seu vocis editæ , post aliquod tempus , reiteratio : Cùm scilicet , sono priore in viciniori aëre extincto , aliis oritur ab aëre remoto , qui à corpore duro longiusque remoto potea reverberatus , aërem auribus vicinum rursus , vel semel , vel pluries , verberat.

Odoratus est sensus , quo ex motu fibrillarum nervi odoratorii , circa basin anterioris partis cerebri pro-

*Cur visus  
auditus sit  
celerior.*

*Cur rei so-  
nantis de-  
beat justa  
ab aure esse  
distantia.*

*Cur auris  
sit excava-  
ta.*

*Odoratus.*

**Odor.** pe os cribiforme siti , anima in cerebro odores percipit.

Odor est halitus quidam, ex re odorifera in nares exhalans , qui nervum odoratorium , naribus insertum , certo modo movere est habilis.

*In quo consistat odorum differentia.*

Cumque ille halitus , pro varietate suarum particularum , nervum odoratorium variè possit movere , hinc in illa particularum varietate discrimina odorum consistunt.

*Cur nares sint cavae.*

Atque hīc multitudo halituum, ob eorum subtilitatem , requiritur , quæ cavitate narium collecta , & ad cerebrum delata , odoratum excitare possit.

*Cur res odorifera à naribus aliquantum distare debent.*

In odoratu requiritur justa inter nervum odoratorium & rem odoriferam distantia , ut particulæ odoriferæ per aërem diffundi , & à se mutuo , ad odoratum excitandum , separari possint ; ut sagittæ , ad lādendum , ex pharetra emitti , separarique debent.

*Gustus.*

Gustus est sensus , quo ex motu nervi gustatorii , linguæ inserti , anima sapores percipit.

*Sapor.*

Sapor est dispositio certa insensibilium particularum , rem sapidam constituentium , quæ nervos gustatorios , linguæ implantatos , certo modo movere est apta.

*In quo consistat saporum differentia.*

In varietate dispositionis istarum particularum consistit omne saporum discriminem. Quod ex sale , aceto , aquâ , & aliis , est perspicuum. Nam quia sal constat particulis oblongis & duris , atque ideo linguæ fibrillas punctim ferentibus , idcirco ipsi salsus sapor competit ; aceto verò quia sunt particulæ , præter aquosas , linguam scissim moventes , ideo acer ipsi tribuitur. Et quia aqua habet particulas oblongas , & flexiles , quæ linguam vehementius movere nequeunt , idcirco insipidas ipsi adscribitur. Et quia acetum , cui cerussa sive scobs plumbi est immacerata , & saccharum Saturni , habent particulas scindentes mollibus particulis involutas , ideo dulcedinis exhibent saporem.

Res

Res verò multæ exustæ quia intortas & duriusculas habent particulas , ideo amaror ipsis attribuitur. Atque hinc alii omnes sapores , saltem in genere , satis intelligi possunt.

Tactus est sensus , quo ex motu nervorum tactiorum , *Tactus.*  
per totum corpus diffusorum , calor , frigus ; humiditas ,  
ficcitas ; gravitas , levitas ; mollities , durities ; asperitas ,  
lævitas ; dolor , titillatio ; aliæque tactiles qualitates , ab  
anima percipiuntur.

Vbi enim particulæ insensibiles alicujus corporis variè celeriusque quàm nostri corporis particulæ moventur , sentitur earum calor ; ubi tardius , frigus. Vbi corpora stabilia , liquore sensibili percipiuntur perfusa , sentitur humiditas ; ubi illa insensibili liquore sentiuntur prædicta , percipitur ficcitas. Vbi corpora vehementius deorsum tendunt , sentitur gravitas ; ubi tardius & imbecilliùs , levitas. Vbi corporum partes resistunt tactui , sentitur durities ; ubi cedunt tactui , mollities. Vbi particulæ corporis æquali superficie cutim movent , sentitur lævitas ; ubi inæquali , asperitas. Vbi partes nostri corporis tam vehementer moventur , ut lædantur , sentitur dolor ; ubi vehementius citra læsionem moventur , percipitur titillatio sive voluptas tactilis. Et ita deinceps , quomodo aliæ tactiles percipientur qualitates , facile explicari potest.

Gustus & tactus non requirunt distantiam , qua objectum à sensorio distet , nec etiam ullam in sensorio manifestam desiderant cavitatem : quia objecta eorum , tum ob partium crassitatem , tum quia corpori proximè applicantur , satis validè in sensoria agunt.

*Quomodo  
percipiann-  
tur tactiles  
qualitates.*

*Curgitus  
& tactus  
nec distan-  
tiam obje-  
cti , nec ca-  
vitatem  
organis re-  
quirant.*

## CAPUT VI.

*Defallaciis, quæ sensibus attribui solent.*

*Quomodo  
ex mala  
sensatione  
fallacia o-  
riantur.*

**A**Tque ita sensus jam est explicatus. Antequam verò ad reminiscientiam & imaginationem progrediar, monendum est sensationem sxpè non satis esse bonam, atque ideo per naturam verisimiliter observabilem ex ea interdum oriri fallaciam: primò cum organum est vitiatum; uti sit in visu & gustu, cùm oculus vel lingua flavâ bile est imbuta: unde omnia flavo colore, & amarore imbuta videntur.

Secundò, cùm medium est ineptum, vel diversum; ut contingit in rebus per aërem nebulosum, vel vitrum coloratum, vel partim per aquas, partim per aërem conspicendi.

Tertiò cuj objectum nimis vehementer aut leviter agit; uti usuvenit, cum radii Solis nimis fulgidi vel obscuri excipiuntur.

Quartò, ubi objectum justo intervallo à sensorio non distat; uti sit in rebus videndis, quæ multis milliaribus vel uno tantùm digito ab oculis absunt.

*Cur Sol &  
stella  
quamvis  
quietantur  
videantur  
oriri & oc-  
cidere; &  
celeriter na-  
vigatoribus  
arbores in  
ripa vi-  
deantur  
progredi.*

Quintò cum mens nostra falsum aliquod præjudicium de motu ex. gr. vel quiete alicujus rei habet; atque ideo quia præjudicium falsum habemus de Telluris quiete, Sol & stellæ nobis oriri & occidere, & Sol annuo spatio totum zodiacum percurrere videtur. Et quia, in nave celeriter provectâ sedentes, quiescere oculos nostros falso opinamur, hinc arbores & homines, ex. gr. in ripâ stantes & quiescentes, celeriter provehi apparent: atque hinc ait etiam Poëta, *Provehimur portu, terraque ur- besque recedunt,*

*Aut ubi simile aliud requisitum sentiendi deest.*

Si

Si nulla harum conditionum deficit, nulla talis observabilis fit sensuum, aut ex sensatione, fallacia.

## C A P V T VII.

*De reminiscientia, & imaginatione.*

**R**eminiscientia est perceptio, quâ rerum antea perceptarum idex, menti in sensatione vel aliâ perceptione impressæ, per earum vestigia, vel imagines cerebro impressas, vel voces aut alia earum signa oblata, animæ, mediantibus spiritibus animalibus, insensorio communi, rursus offeruntur.

Dico autem ideas rerum menti, dum res objectas sentit, imprimi: nam nisi hoc fieret, notæ rerum cerebro impressæ, vel alia earum signa oblata, quæ sâpe cum rebus perceptis vel exiguum vel nullam habent similitudinem, nequaquam res ipsas menti rursus offerre, vel in eâ denuo excitare possent.

Quamvis autem menti tales rerum perceptarum idæ, ex perceptionis impressione, insint; rerum tamen antea perceptarum, quia mens, quamdiu est in corpore, est organica, sine earum notis cerebro inhærentibus, vel aliis earum signis, menti oblatis, ipsa recordari non potest: quod ex morbis cerebri, oblivionem inducentibus, videatur esse manifestum.

Reminiscientia est vel spontanea; dum, ex cerebri vel spirituum motu, imagines istæ sive notæ sponte animæ in conario objiciuntur. Vel ea est voluntaria; dum anima, ope glandulæ pinealis & spirituum animalium, imagines in cerebro pictas quærit & invenit, easque interdum variè inter se confert.

Imaginatio est perceptio, quâ novæ imagines & idæ, è vestigiorum cerebri variâ mutatione, vel spirituum ani-

*Imagina-  
tio.*

malium certâ dispositione & motu , vel aliâ novâ imaginum & idearum antea perceptarum oblatione , genitæ vel productæ , menti offeruntur.

*Quomodo ea fiat per mutatio-nem vesti-giorum cerebri.*

Mutatio illa vestigiorum cerebri fit , dum vestigia ista vel composita , vel ampliata , vel imminuta , vel separata , vel detorta , vel inter se comparata aut collata , menti ob-jiciuntur. Ita ex coniunctione imaginis , sive notæ ignis , capitis leonis , thoracis & ventris capri , ac caudæ ser-pentis , producitur per phantasiam chimæra : atque ex detractiōne extensionis corporeæ à re agente vel existen-te , fit cogitatio de rebus incorporeis , quales sunt Deus , angelus , mens : atque ex detorsione imaginis sive notæ ex. gr. nasi , fit imaginatio de naso monstroso.

*Quomodo per certam spirituum dispositio-nem.*

Dispositio verò illa spirituum oritur ex certo eorum in vestigia cerebri impulsu & resultu , quemadmodum varias imagines ex impulsu & resultu aquarum in fon-tibus & fluminibus oriri videmus. Item ex peculiari spi-rituum temperamento , quo , ad has vel illas imagines suscipiendas , vel per varium suum motum , ad has vel istas cogitationes exhibendas , sunt apti : ut appareat in maniacis , phreniticis , melancholicis , sanguineis , biliosis , qui hinc varias habent imaginationes.

Vt enim per consuetudinem facti sumus , ut ubi audi-mus certos motus vocum , ut ex. gr. vocis *homo* , quia id-eam ejus in mente impressam habemus , cogitemus de animali rationali , cum quo vox illa nullam similitudinem habet ; ita per naturam facti esse videmur , ut per certum motum spirituum , ut ex. gr. melancholicorum , tristes & deliræ ; & per motus spirituum maniacorum , iracun-dæ & feroce cogitationes , quarum ideæ antea in men-te ab objectis erant impressæ , in mente producantur ; quamvis ille spirituum motus cum rebus illis cogitatis ni-hil similitudinis habeat.

Per-

Perceptio universalium ad imaginationem pertinet. *Vniversalium perceptio quod sit referenda.*  
 Vniversalia enim, ut ex antedictis patet, sunt singularia, in abstracto, sine notis individuationis, hoc, hic, nunc, ut loquuntur Scholastici, considerata, quorum sc. similia in multis aliis inveniuntur, vel saltem inveniri possunt.

Vniversalia dico esse singularia: alioqui enim de singularibus affirmari non possent, quod tamen recte de iis fit, ut appareat in hoc enunciato, Plato est homo.

Imaginatio est vel vigilantium, & synecdochice phantasia vocatur; vel dormientium, & dicitur insomnium.

Phantasia est imaginatio, quæ homini vigilanti perpetuo oboritur, à motu conarii sive sensorii communis, quod in vigilia, vel sponte in hanc vel illam partem determinatur, vel fortuitò ab arteriis illud involventibus huc vel illuc agitatur: & mediantibus spiritibus animalibus in vestigia cerebro impressa impellitur; vel à novis imaginibus, ex motu spirituum animalium recens genitis, movetur.

Insomnium est imaginatio, quæ in somno oboritur, *Insomnium.* cùm, nervis à cerebro pressis, conarion, ob spiritus animales satis copiosè in cerebro nascentes, à subsidentia & pressione cerebri liberum, ab arteriis in vestigia ejus impellitur, vel ipsæ imagines, sive cerebro impressæ, sive recens ex spirituum agitatione genitæ, conario imprimuntur.

Variæ autem sunt phantasie & insomnia, pro varietate vestigiorum cerebro impressorum; vel temperamenti, quo spiritus apti sunt diversimodè figurari, aut sensoria interna movere, & hinc varias cogitationes excitare; vel consuetudinis, qua conarion in has vel illas cerebri imagines vel magis vel minus solet propendere. *Vnde oriantur variae phantasie & insomnia.*

## CAPUT VIII.

*De Iudicio.**Iudicium.*

**A**TQUE HÆC DE PERCEPTIONE. SEQUITUR JUDICIJ; QUOD EST INTELLECTUS, QUO MENS NATURAS, CIRCUMSTANTIAS, ATQUE ACCIDENTIA RERUM PERCEPTARUM, PERPENDIT & DIJUDICAT.

CIRCUMSTANTIÆ RERUM, SUNT EARUM CAUSÆ, EFFECTA, SUBJECTA, ADJUNcta: QUALIA SUNT EX. GR. VERUM, FALSUM, UTILE, INUTILE, JUCUNDUM, TRISTE; ITEM DISSENTANEA, COMPARATA, TESTIMONIA.

JUDICIJ PARTES DUÆ SUNT: PERPENSIJ & DECISIO.

*Perpensijs.*

PERPENSIJ EST REI PERCEPTÆ & EJUS CIRCUMSTANTiarum CONSIDERATA EXAMINATIO.

*Ea debet esse accurata.*

HÆC NISI ACCURATA & EXACTA FUERIT, FACILE IN DECIDENDO COMMittitur ERROR, VEL SALTEM CULPA; CÙM, QUÆ MINÙS EST ACCURATA, IN ERROREM DUCERE POSSIT. ATQUE HOC RATIO DICTAT, & EXPERIENTIA SÆPÈ PROBAT.

*Decisio.*

DECISIO EST DE RE PERCEPTA & PERPENSA SENTENTIÆ PROLATIO.

*Libertas decisionis.*

EAQUE EST VEL AFFIRMATIVA, QUA REBUS CONSENTANEA ATTRIBUIMUS; VEL NEGATIVA, QUA DISSENTANEA AB IIS REJICIMUS.

DECISIO POTEST LIBERÈ, PRO ARBITRIO NOSTRO, SUSPENDI VEL PROFERRI: EJUSQUE LIBERTAS, SEU INDIFFERENTIA, NON TANTUM IN EO CONSISTIT, QUOD NON SIT COACTA, SED QUOD SEMPER DECISIONEM POSSIMUS INDIFFERENTER, PRO ARBITRIO NOSTRO, SUSPENDERE, PROFERRE, VEL IMMUTARE; CÙM SEMPER COGITALIONES NOSTRAS AD ALIA CONVERTERE, & SÆPISSIME, AN REM SATIS BENÈ PERCEPERIMUS VEL EXAMINAVERIMUS, DUBITARE QUEAMUS.

*Decisionis Iudicii libertas non probat.*

NEC EST, QUOD EX HAC JUDICIJ LIBERTATE, QUÂ NOBIS LIBERUM EST DECISIONEM PRO ARBITRIO NOSTRO COHIBERE VEL PERAGERE,

gere, aliquis inferat judicium ad voluntatem esse referendū. Nam inde hoc tantum sequitur, quod voluntas sāpē cum judicio nostro concurrat, quemadmodum illa cum perceptionibus concurrere solet, quas volentes peragimus; ut cum volentes ex. gr. hanc vel istam imaginem vides; hujus vel istius rei pro arbitrio nostro recordamur; vel de hac vel illa re imaginamur: non autem quod judicium vel perceptio sit voluntas, vel ad voluntatem sit referenda.

Judicium aliud est vacillans, quo in decidendo, quia ex *Iudicium* *vacillans* *vel fir-*  
perpensione non satis sumus determinati, vacillamus: aliud *mentis illu-*  
firmum, quo, ex perceptione, perpensione, vel mentis illu-*mum.*  
stratione bene determinati, quæstionē firmiter decidimus.

Deinde judicium aliud est rectum, aliud pravum.

Rectum est, quod de rebus, quantum potest, clare & *Rectum*  
distinctè perceptis, & rectè perpensis; secundùm rationis *vel pra-*  
instītā dictamen judicans, humanæ vitæ vel rei objectæ *vrum.*  
conveniens appetet.

An autem satis clarè & distinctè rem perceperimus & *Vnde con-*  
examinaverimus, mens secundùm apparentiam tantùm *flet, an rem*  
dijudicat. Illique tamdiu acquiescendum, donec contrariū *satis perce-*  
vel aliud, per experientiam, vel aliā ratione, fuerit *perimus &*  
probatum. Alioqui enim nihil in humanâ vitâ decidi vel *djudica-*  
peragi posset. Pravum judicium contrario modo se habet. *verimus.*

Judicii modus est vel noëticus, vel dianoëticus.

Noëticus est, quo mens, axiomaticâ duorum argumentorum, sive terminorum, aut notionum dispositione, rem dijudicat: talis est in his enunciatis; Sol est exortus; quia Sol est exortus, jam est dies; &c.

Dianoëticus est, quo mens, ab uno axiomate, vel enunciato, ad aliud discurrit, & ex diversorum collatione aliquid colligit.

Ilque est syllogismus, vel methodus.

Syllogismus sive ratio cinatio est, quam mens, ex trium *Syllogis-*  
Eee notio-*mus.*

notionum sive terminorum collatione , consequentiam infert ; unde quid consequens sit , quid inconsequens , dijudicat . Talis ex.gr. his verbis comprehenditur : Homo est mente prædictus , Homo est animal , ergo aliquod animal est mente præditum .

*Methodus.* Methodus sive ordinatio est , quâ mens , per plures è notionibus compositas sententias discurrens , eas sibi mutuò homogeneas , pro naturæ suæ claritate , præponit & in ordinem redigit ; unde ordinis & confusionis judicium , in rerum examine , consequitur . Talis , in rerum longioribus tractatibus , pañim observatur .

*Prater intellectuum jam explicatum, non est intellectus purus statuendus.* Cum autem per has intellectus facultates , jam explicatas , omnes ejus operationes explicari possint , nihil opus est , ut illis intellectum purum , vel quemvis alium , tanquam ab his distinctum , addamus .

Per intellectum autem purum quorundam , est imaginatio & judicium nostrum intelligendum .

## C A P V T IX.

### *De Voluntate.*

*Voluntas.*

**A**Tque hæc de intellectu dicta sint . Voluntas est cogitatio , quâ homo res intellectas liberè amplectitur , vel rejicit .

Dico intellectas : quia rei non intellectæ nulla voluntas , juxta illud vulgatum : *ignoti nulla cupido.*

*Quæ intellectio voluntatem antecedat.*

Intellectio autem , quæ voluntatem antecedit , est vel sola perceptio , vel perceptio & judicium simul . Multa enim percepta , citra ullum de bono vel malo antecedens judicium , à nobis arripiuntur vel rejiciuntur : multa etiam non arripiuntur vel rejiciuntur , nisi judicium antecederit .

Quod verò ea , quæ tantum sunt percepta , & non dijudicata , possimus velle vel nolle , inde patet , quod antecedens

cedens perceptio, ad amplectendum vel rejiciendum, sive ad volendum & nolendum, sufficiat; uti per se est manifestum, & in pueris aliisque imprudentioribus, rem perceptam citra antecedens judicium saepissime voluntibus vel nolentibus, passim observatur.

Libertas autem voluntatis, quæ in rebus naturalibus est, in eo consistit, quod quamvis ipsa frequentissimè judicium & consilium intellectus sponteasque inclinatio-nes sequatur, & ea amplectatur, quæ intellectus judica-vit esse bona & amplectenda, fugiat verò, quæ ab intel-lectu reprobata sunt; ipsa tamen habeat plenissimam po-testatem etiam illa volendi, quæ intellectus judicio quam maximè contrariantur, modò possibilia tantum credan-tur: & quæ jam vult vel aliàs voluit, ea & nunc & quovis alio tempore & potuerit & possit nolle, & iis adversa velle.

Ea itaque planè sui juris est, & seipsum per se proximè circa obiectum propositum determinat, quemadmodum intellectus per se rem objectam proximè intelligit. Nec est tantum non coacta, sed etiam ad opposita, tam adversa quam contradicentia & disparata, eodem tempore & quo-vis alio, indifferens. Nec ab intellectus judicio absolute de-pendet, quamvis in alteram partem saepe sit proclivior.

Hujus rei nullam aliam adfero rationem, quam quod quilibet veritatem hujus assertionis, non tantum ubi æqua-lia, sed etiam inæqualia, imò ubi opposita voluntati sunt proposita, in se experiatur. Cùm enim aliquid à no-bis ex voluntate est factum vel omisum, ipsa nostra con-scientia testatur, nos tum temporis contrarium potuisse præstare, vel illud saltem potuisse omittere. Atque ideo novimus facta cujuslibet honesta, quatenus à voluntate sunt profecta, non tantum in exemplum aliorum, vel ad-monitionem ejus qui ea fecit, sed etiam ob meritum rectè remunerari; & si ea sint inhonesta, justè puniri. Nemo e-

*Libertas  
voluntatis  
in rebus  
naturali-  
bus.*

*Voluntas  
sui juris  
est; & se-  
ipsum de-  
terminat,  
sive per se  
hoc vel  
illud percep-  
tum vult.  
Eius pro-  
batio.*

nim se præmio vel pœnâ, ob sua secundum voluntatem facta, justè afficiendum putabit, qui, quod voluit & fecit, se aliter veile & facere non potuisse novit. Atque hinc qui libet in se experitur, intellectum voluntatis esse consilium, non imperatorem, vel coactorem, vel ullius necessitatis autorem.

*Voluntas non est cœca dicenda.* Nec obstat, quòd quidam voluntatem, propterea quod ea non sit ipse intellectus, potentiam cœcam esse dicant; eamque idcirco se ad hoc vel illud volendum determinare non posse putent. Sufficit enim, ut voluntas ad rem propositam volendum sese determinet, hoc est, ut ea hoc vel illud actu velit vel nolit, quòd eadem mens, quæ vult vel voluntatem liberè exercet, habeat etiam intellectum rem propositam percipiendi & discernendi, ac dijudicandi. Et deinde non minus absurdè voluntas, quia non intelligit, dicitur cœca, quam si quis visum, quia non audit, surdum diceret: quia neutri intelligendi & audiendi habitus suâ naturâ inest. Verum, ut unus idemque est intellectus, qui per se visu videt, & auditu audit: ita una eademque est mens, quæ intellectu intelligit, & voluntate rem, antea à se intellectam, per se vult.

*Si idem eidem rursus offeratur, potest illud non tantum eodem, sed etiam diverso modo, appeti.* Si itaque queratur, an, si idem objectum, aut per omnia ei quid simile, nobis, eodem planè modo habentibus, iterum vel saepius offeratur, simus id eadem omnino ratione volituri. Respondeo forsitan eadem, forsitan diversâ; cum ad utramque voluntas nostra indifferenter sese habeat.

*Voluntas non est idem, quod judicium ultimum practicum.* Atque hinc est perspicuum, voluntatem non esse idem, quod est intellectus practicus, seu judicium, quo judicamus rem aliquam esse faciendam, vel non faciendam: cum voluntas isti judicio semper possit adversari, & saepissimè adersetur; ut appareat, cum bonum propositum fugimus, & malum cognitum amplectimur. Et deinde sunt

sunt diversi actus judicare & velle, cùm non mox velimus  
& faciamus, quæ facienda censemus.

Nec semper volumnus bonum verum vel putatitium;  
nec semper malum verum vel putatitium nolumus: cùm  
etiam vera bona, ab intellectu cognita & proposita, sàpē  
fugiamus; & mala vera cognita amplectamur: quod o-  
mnium nostrum nomine testatur Medea apud Ovidium  
his verbis:

*Video meliora, proboque:*

*Deteriora sequor.*

Imò hoc quilibet testari potest, qui contra conscienciam delinquit.

Nec tamen hinc sequitur, quòd voluntas sive mens rem malam interdum velit, quatenus vel quia illa est mala: sed tantùm, quòd ipsa, sui juris existens, eam simpliciter, citrà considerationem, vel cum contemptu boni vel mali, velit. Quod non est mirum, cùm res perceptæ, antequam judicatae sunt esse bonæ vel malæ, à voluntate, ut superiùs est demonstratum, appeti vel rejici possint.

Atque hinc patet non satis vera esse, quæ hic vulgo circumferri solent, quale est illud: finis non potest non appeti: Summum bonum necessariò appetitur; & similia alia. Possimus enim, ut ex antedictis constat, omnem finem, & omne bonum, etiam summum in rebus naturalibus nolle. Nec his adversatur, quod voluntas à nonnullis appetitus rationis vel rationalis appelletur, propterea quod illam rationis seu intellectus judicium necessariò sequi putent. Nam illa ita tantùm nuncupatur, quòd cum ratione seu cogitatione sit conjuncta; cùm bestiarum appetitus sine ratione seu cogitatione ac conscientia fiat; vel, ut cum aliis etiam loquar, quòd illa rectam rationem sive rectum judicium sequi possit & debeat, non autem quòd necessariò illud sequatur.

Voluntas est bona, mala, vel errans.

Ecc 3

Bona

Mens sàpē  
rejicit bo-  
num cogni-  
tum; &  
malum,  
quod intel-  
ligit esse  
malum,  
amplecti-  
tur.

Idque sim-  
pliciter,  
quia vult.

Summum  
in natura-  
libus bo-  
num à  
mente rejic-  
ti potest.

Cur volun-  
tas appelle-  
tur appeti-  
tus ratio-  
nalis.

*Voluntas bona.*

Bona est, quæ bonum intellectum amplectitur, vel malum cognitum fugit.

*Mala.*

Mala, quæ bonum intellectum fugit, vel malum cognitum amplectitur.

*Errans.*

Errans est, quæ malum sub opinione boni amplectitur; vel bonum sub opinione mali fugit.

*Bonum.*

Bonum est, quod quavis ratione, ad nos & nostra conservandum, vel perficiendum, est utile. Ita Deo parere, Magistratui obedire, temperanter vivere, suum cuique tribuere, aliaque similia sunt bona, quia nos & nostra conservant, & perficiunt.

*Bonum utille; honestum, & incundum.*

Quia autem bonum aliud vitæ necessitatibus utilia; aliud existimationem & honorem; aliud verò voluptatem nobis tribuit: hinc bonum aliud utile; aliud honestum; aliud jucundum vulgo dicitur.

*Malum.*

Malum est, quod quavis ratione ad nos & nostra destruendum, vel perfectionem nostram impediendum, est comparatum. Ita Deo non parere, Magistratui refragari, intemperanter vivere, suum alteri adimere, aliaque similia, sunt mala, quia nos & nostra destruere, & perfectionem nostram impedire apta, sunt nata.

*Virtus.*

Voluntas bona sæpius reiterata parit virtutem. Hæc enim est habitus bonum intellectum amplectendi, vel malum cognitum fugiendi.

*Vitium.*

Voluntas mala, si sæpius reiteretur, producit in nobis vitium; quod est habitus bonum ab intellectu propositum fugiendi, & malum cognitum amplectendi.

## C A P V T X.

### *De motu arbitrario.*

*Modi voluntatis.*

**A** amplectimur autem & rejicimus res cognitas, vel solo animo, vel animo simul & corpore.

Atque

Atque huic posteriori voluntatis modo infervit motus *Motus arbitrariorum.* arbitrarius ; quo corpus nostrum , pro mentis arbitrio, ad res prosequendas vel fugiendas, de loco in locum, per spiritus, in musculos , qui justis valvulis membranis & poris sunt instructi , à mente determinatos, eosque contrahentes , & partes alligatas moventes , transfertur.

Spiritus enim animales , qui , ut antehac explicuimus, *Quomodo ille à mentis determinatione spiritibus & musculis, perficiatur.* in ventriculis cerebri perpetuò gignuntur , moventur , & ad reparationem eorum, qui dissipati sunt, per totum corpus semper distribuuntur , ut plurimum animæ imperio parent , ita ut mens eorum motum è cerebro pro arbitrio suo in hanc, illam , vel aliam partem determinet. Quod inde patet , quod quælibet animo agitare , & quamlibet corporis partem , per hanc spirituum validissimè motorum in certos musculos determinationem, pro libitu movere possumus. Adhæc musculi sunt partes , aliis solidis partibus adnatæ , quæ constant carne laxiore seu porosiore , & membranâ densâ , eam undique vestiente & claudente , nec non nervo, qui valvulis & poris in muscularum cavitatem spectantibus , atque idèo spirituum influxum admittentibus , regressum verò impedientibus , est præditus. Spiritus itaque animalis in eos per nervorum valvulas & poros satis copiosè & fortiter à mente determinatus & immissus , regredique ex iis ob valvularum fistulam non potens , necessariò illos inflando , secundum latitudinem expandit , secundum longitudinem verò contrahit , & partem , cui illi sunt annexi , pro arbitrio mentis de loco in locum movent.

Omnis autem arbitrarius membrorum motus est in contrarias partes alternatus : ita ut pars quælibet pro arbitrio dextrorum , sursum , vel antrorum mota , postea vicissim motu arbitrario sinistrorum , deorsum , vel retrorum moveatur. Quod ut commodè intelligatur , duorum musculo-


*Et in contrarias partes alterne- tur.*

*Id in motu  
duorum op-  
positorum  
oculi mu-  
scularum  
ostenditur.*

*Eorumque  
fabrica de-  
scribitur.*

muscularum, in oculo vel alia parte sibi mutuò oppositorum fabrica, & alternata agitatio antehac in motu spontaneo descripta, hīc est repetenda; inde enim omnium aliorum muscularum constitutio, & eorum motus, pro arbitrio alternatus, facile innotescent.

Musculi itaque oculum A, modò ad dextram modò ad sinistram moventes, duo sunt B, C: iisque singuli suum peculiarem habent nervum; dexter quidem nervum D E, sinister verò nervum F G. Præterea circa principium,




ubi illi sunt conjuncti, communi membranā H à se mutuò sunt discriminati, quæ circa D & F tales habent membranaceas valvulas, quæ suo situ, versus cavitatem muscularum spectante, spiritibus nervos è cerebro ingredientibus liberum transitum in musculos præbeant, redditum verò ex iis in cerebrum præcludant. Adhæc in mediaстino nervorum pariete H, duæ aliæ sunt valvulae, poris suis I K appositæ; quarum una G spectat è dextro nervo D E, in sinistrum F G; & altera E vergit ex nervo sinistro F G, versus dextrum D E. His partibus musculi illi instruti, præbent pro mentis arbitrio aptum, tum quietis, tum motū ad dextram vel sinistram flexi, vel ad utramque alternati, vel in rectum tensi, instrumentum.

*Arbitra-  
ria oculi  
quies.*


Primò enim, ubi nullus spiritus per nervos D E & F G, in oculi musculos B C vehementius impellitur, valvulae omnes connivent; & spiritus, qui pauciores sunt in singulis muscularis, eos tendere nequeentes, leniter ultro citroque ab uno musculo in alterum, per valvularum rimas & poros vicissim fluunt & refluunt; oculum-

culumque A, citrā ullam tensionem, quietum relinquunt.

Vbi verò spiritus, per utrumque illum nervum æquali <sup>Oculitensio.</sup>  
vehementiâ, ex cerebro in musculos  
B C copiosius à mente determinantur,  
utraque valvula G & E cum poris suis  
clauditur, ac impedit, quo minus spiri-  
tus ab uno musculo in alterum possit  
transire: & valvulae D F, à spiritibus,  
ex musculis versus cerebrum per nervos  
D E & F G redire conantibus, expan-  
sæ, præcludunt viam, ne spiritus ingressi  
ex musculis B C, in nervos versus ce-  
rebrum reverti queant. Atque ita ex  
mentis arbitrio tenetur oculus à mu-  
sculis, utrimque æqualiter inflatis, in  
rectum tensus.




Cum autem spiritus, paulò vehementius in alterutrum  
nervum, ex. gr. D E, à mente deter-  
minatur, clauditur valvula E, ita ut  
nullus spiritus ex musculo dextro B,  
per eam, in musculum sinistrum C,  
possit transire, & simul aperitur valvula  
G; ut spiritus in musculo sinistro C ex-  
istentes suo impetu, quo perpetuò,  
quantum possunt, ad lineam rectam  
tendunt, ex eo transeant in musculum  
dextrum B, cumque cum spiritibus  
per nervum D E, è cerebro vehemen-  
tius ob determinationem mentis in-  
fluentibus, inflando dilatent, & abbre-  
vient, atque ita oculum I, versus dex-  
trum ex C in B inflectant.



Contrà, ubi spiritus per nervum F G, in musculum  
F ff fini-

*Flexio ocu-  
li ad fini-  
stram.*



sinistrum C, paulo fortius quam per alterum nervum, è cerebro à mente determinantur, tum clauditur valvula G, ita ut nullus spiritus ex musculo C, per eam in musculum dextrum B possit transire; & simul aperitur valvula E, ita ut spiritus in musculo dextro B existentes, suo impetu, quo perpetuo, quantum possunt, ad lineam rectam tendunt, ex eo transeant in musculum sinistrum C, eumque cum spiritibus per nervum FG ex cerebro vehementius, quam per alterum DE, propter mentis determinationem fluentibus, inflando dilatent & abbrevient, oppositumque musculum B prolongent, atque ita oculum K, versus sinistrum, ex B in C, pro mentis arbitrio convertant.

*Hinc omnium aliarum partium motus arbitrarii innotescunt.*

*In voluntario motu nullus novus excitat motus.*

*Vt mens per se habet vim intellegendi, &*

Atque ita ex his jam clarum est, quomodo ex vehementiore spirituum in nervum DE vel FG influxu, alternatim à mentis determinatione facto, alternata etiam oculi, nunc ad dextram, nunc ad sinistram oriantur arbitraria inflexio: unde reliquæ aliæ, non tantum oculorum, sed etiam omnium aliarum partium inflexiones & tensiones arbitrariæ intelligi possunt; cum illi similibus instrumentis & simili modo perficiantur.

Hinc etiam patet, in motu voluntario, uti etiam in spontaneo, nullum novum excitari motum; sed tantum novam spirituum, vehementius à subtili materiali motorum, in hanc vel illam partem fieri determinationem, indeque partium motum sequi; dum spiritus motum suum, vel ejus partem, membris movendis tribuunt.

Mens, quamvis non habeat vim corpus de loco in locum movendi, habet tamen per se vim spiritus motos in hanc

hanc vel illam partem determinandi; quemadmodum per se habet vim intelligendi & volendi. Nec opus est, ut menti vim motricem attribuamus, cum motus spirituum ad motum in partibus excitandum sufficiat. Neque etiam rationi hoc est consentaneum, cum mens sine spiritibus, satis vehementer motis, nullum motum, in aliquâ vel minimâ parte, excitare queat.

Statuimus autem, in muscularum & fibrarum nervis, valvulas, & poros, quia his positis ratio motus spontanei & arbitrarii est intelligibilis, qui, iis negatis, vel non positis, intelligi non potest. Nec obest, quod illa oculis non sint conspicua. Multa enim invisibilia recte statuuntur, ut spiritus animales, mens humana, aliaque plurima, quae tamen recta imaginationis & judicii nostri ratio statui jubet.

## C A P V T X I.

*De Animi affectibus.*

**A**TQUE ita intellectus & voluntatis cogitationem, quâ omnes actiones cogitativæ perficiuntur, absolvimus.

Actiones autem cogitativæ, quæ etiam cogitationes dicuntur, (quia mens, in iis peragendis ab objectis excitata, sese ad eorum attentionem cogit,) sunt vel sine, vel cum vehementiore spirituum animalium, in ventriculis cerebri existentium, motu. Vbi ab illis vehementior spirituum motus abest, illæ sunt pacatæ & tranquillæ, simplicibus que variarum intellectus & voluntatis specierum & partium jam enumeratarum nominibus designantur. Cum verò inter cogitandum spiritus illos vehementius in ventriculis cerebri moveri contingit, tum inquietantur & turbantur ab illo vehementiore motu cogitationes, mensque & corpus vehementius ab illis afficiuntur & patiuntur,

tur, atque ideo latinè animi affectus, vel passiones & perturbationes, & græcè pathemata nuncupari consueverunt.

*Animi affectus.*

Animi affectus itaque est cogitatio, cum vehementiore spirituum animalium, in ventriculis cerebri existentium, motu conjuncta, quo animus sive mens cum corpore vehementius afficitur.

Dico affectum esse *cognitionem*, quia est actio, quam ad rem attendentes peragimus: *eamque cum vehementiore spirituum cerebri motu, mentem corpusque vehementius afficiente, esse conjunctam*; quia id vehementes in corpore motus, & mentis perturbationes, quæ sine illo fieri non possunt, probant.

*Affectuum sedes primaria, & secundaria.*

Quia affectus sunt cogitationes, exque in solo cerebro à mente hant, mentemque ibidem immediate & præcipue afficiunt; idcirco eorum sedes primaria & præcipua est cerebrum: quia verò à spirituum illo motu etiam cor aliæque corporis partes fortius afficiuntur, quæ deinde mediantibus nervis cerebrum & in eo mentem vicissim afficiunt, ideoque etiam cor aliæque partes, ab iis affecta, & mentem deinde etiam afficientes, eorum quoque sedes, sed secundaria, dici possunt.

*Motus spirituum vehementiores, qui in affectibus observantur, sunt vel à mentis determinatione; vel à temperamento spiritum; vel ab objectis.*

Motus ille spirituum animalium, qui illas cogitationes comitatur, mente inque & corpus vehementius afficit, oritur vel à determinatione mentis cogitantis; vel ab ipso spirituum temperamento; vel ab objectis spiritus illos moventibus: exque causæ se mutuo sæpiissime excitant, conservant, vel augent, & interdum etiam immutant.

Ita enim à naturâ comparati sumus, ut mens nostra motum spirituum animalium ope glandulæ pinealis cerebri, quæ semper à spiritibus animalibus & subtili materia agitatur, variè, pro cognitionum varietate, determinet, ipsaque istâ variâ determinatione, ut & corpus, variè afficiatur: sed præcipue, ut motus spirituum, ab objectis & tempe-

temperamento excitati , mentem & corpus quam maxime afficiant , variasque affectuum cogitationes & corporis perturbationes , pro motus & determinationis suæ varietate , in ipsâ , per varium spirituum in varias partes influxum , excitent , vel excitatas immutent .

Et hinc , quia in vehementioribus istis cogitationibus , spiritus aliter nonnunquam à mente determinantur , quam illi à suo temperamento vel ab objectis moventur : imo , quia mens sæpiissime spiritus animales , inter cogitandum , modo hac , modo illâ ratione determinat , ideo sæpe contingit , ut variis , imò contrariis in nobis oriantur affectus ; qui ab aliis luctæ carnis & spiritus , ab aliis facultati rationali & irrationali mentis malè adscribi solent . Mens enim nostra tota est rationalis , quamvis ratione sive cogitandi facultate non semper bene utatur , & à rebus extensis sæpe magnopere perturbetur .

Ita ex. gr. contingit , ut juvenis castus temperamento sanguineus , si pulcherrimam formam conspiciat , ex motu spirituum , ex castitatis officii judicio proficisci ente , Venoris aversationem habeat ; à spiritibus verò ab ætate juvenili & temperie ejus sanguineâ , item à pulchritudinis aspectu , vehementius motis , eodem illo tempore libidinis affectu vexetur . Et vir honestus , sed egenus , pecunias alienas in loco ab arbitris remoto videns , potest eodem tempore habere pecuniae istius cupiditatem , à spiritibus ab egestatis judicio & pecuniae conspectu ortam ; & ob spiritus animales ex justitiae ratiocinatione aliter determinatos , simul etiam argenti istius aversatione teneri .

Et quia spiritus sæpiissime à suo temperamento vel ab objectis tam fortiter & celeriter moventur , ut illorum motus mentis diligentiorem attentionem vel determinationem antevertat , vel à mentis attendentis determinatione mutari vel sisti non possit ; hinc sæpe fit , ut vel non

*Atque hinc  
patet unde  
variis &  
contrariis  
in nobis o-  
riantur af-  
fectus.*

*Et quomo-  
do inviti  
ad affectus  
quosdam  
interdum  
rapiamur:  
isque in  
nobis perse-  
verent .*

satis attendentes, vel res non satis bene pensiculantes, vel quamvis interdum etiam ad rem attendamus, inviti tamen, ad affectus quosdam rapiamur, & quamdiu validus ille spirituum motus durat, illi in nobis perseverent.

Atque hoc in ebriis ex. gr. & libidinosis, libidini, etiam renitente mentis judicio, operam dantibus, patet.

*Et cur quidam magis, quidam minus, affectus suos frenare posse possint.*

*Spirituum in affectibus motus potest per consuetudinem mutari, vel superari.*

*Fortitudo vel debilitas mentis in affectibus.*

*Quomodo pravos affectus evitare vel mutare queamus per rectum*

Facultas enim seu vis mentis, quâ spirituum illum motum potest determinare, vel determinationem eorum mutare, non est infinita, sed suos habet limites: iisque in variis, imo iisdem hominibus, ob temperamentum, vel innatum, vel ex consuetudine, aut ex aliâ causâ acquisitum, sunt varii: Atque hinc posunt alii magis, alii minus affectus suos frenare.

Quamvis autem spirituum animalium motus, à temperamento vel objectis ortus, sàpiissime valde sit fortis; at tamen ille, à mentis, per consuetudinem cum cerebro ex impressione quorundam observatorum axiomatum roboratae, vel interdum etiam subito ex affectus alicujus notis repente impressis mutatae vi, sàpiissime magnam partem potest superari, vel totaliter mutari, & alii affectus in nobis queunt excitari. Atque hoc in timidis, castra & alia loca periculosa diu frequentantibus, & inde fortitudinem acquirentibus; & in iis, qui, rem aliquam, quâ antea delectabantur, subito valde folidam vel fætidam percipientes, ab illa postea penitus abhorrent, est manifestum.

Fortitudo itaque vel debilitas mentis in eo consistit, quod mens spirituum motum magis vel minus, pro arbitrio suo, determinare possit.

Quoniam autem spiritus, pro variâ nostri judicii cogitatione, varie à mente determinatur, atque inde varii oriuntur affectus, idcirco diligenter attendendum, ne inter judicandum fallamur, & ita pravam spirituum determinationem ac consequenter pravum & inconvenientem in nobis

nobis affectum excitari patiamur , & si pravus affectus ex *judicium*,  
 pravo judicio jam fuerit ortus, laborandum, ut mox muta- *vel mentis*  
 to judicio determinationem spirituum immutemus, & ita *ad alia*  
*contrario affectu priorem corrigamus, vel mentem ad alia conversio-*  
*nem.*  
 convertamus. Ita ex. gr. iram possumus præcavere vel  
 compescere, de re aliâ cogitantes, vel judicantes rem esse  
 contemnendam , quia nimirum vel nullam , vel exigua  
 injuriam infert.

Atque hinc Lucretius , de affectibus , ex vitioso judicio  
 ortis , loquens , ita ait:

*Quid dubitas , quin omne sit hoc rationis egestas ?*

*Omnis cum in tenebris præsertim vita labore.*

*Nam veluti pueri trepidant , atque omnia cœcis*

*In tenebris metuunt : sic nos in luce timemus*

*Interdum nihil que sunt metuenda magis , quam*

*Quæ pueri in tenebris pavitant , finguntque futura.*

*Hunc igitur terrorem animi , tenebraque necesse est ,*

*Non radii solis , neque lucida tela diei*

*Discutiant , sed naturæ species , ratioque.*

Quod autem mentis ad alia conversio affectus compe-  
 scat vel præcaveat , patet ex Platonis consilio , qui ira-  
 scentem , antequam vindictam sumeret , literas alphabe-  
 ti mente percurrere volebat. Mente enim hac ratione,  
 ab objecto iram concitante, ad alia conversâ , & spirituum  
 motu hinc per moram languescente , affectus excitatus  
 vel imminuitur , vel tollitur.

Et quia motus , ab objectis perceptis ad cerebrum de- *Cur sola*  
*lati, spiritus cerebri diversimode determinant, ac proinde voce vel*  
*varios affectus in nobis non satis attendentibus, vel res non gestu ad*  
*satis bene examinantibus, excitant : hinc sæpiissime fit , ut, affectus in-*  
*à sola voce, vel gestu leniore, ad amorem, favorem, vel mi-*  
*sericordiam ; ab asperiore ad odium , iram , vel insultatio-*  
*nem, quamvis nulla alia justa talium affectuum adsit causa,* *soi rapia-*  
*pene mur : &*  
*quid hic*  
*fit remedii.*

pene inscii rapiamur. Quod præcavebimus, vel corrigemus, ad rem ipsam bene attendendo, & bene de ea judicando.

Atque id in duobus ex. gr. eandem rem à nobis petentibus, sed diversâ voce & gestu utentibus, est manifestum. Nam qui blandâ voce, humili corporis inflexione, & lacrimis, inter petendum utitur, nos ad favorem alliciendo, rem petitam, interdum etiam iniquam, à nobis obtinebit. Contra, qui vultu austero, voce asperâ, & gestu superbo, eandem rem, licet forsan æquam, à nobis petiverit, odium nostrum excitando, repulsam interdum patietur. Verùm hoc non fieri, si ad rem ipsam attendentes bene judicemus.

*Cur ab eodem objecto variis affectibus in variis & iisdem hominibus excitantur.*

Et quoniam temperamenta & judicia hominum sunt varia, atque hinc varii spirituum motus ab eodem objecto in hominibus excitantur, idcirco, ab eodem objecto, in variis, imo etiam diverso tempore in iisdem hominibus, variis producuntur affectus.

Ita puer ex. gr. & senex, ob temperamentum & judicium suum, oderunt *ἀρρενία* & honores; quos iidem, vel alii, cum sunt juvenes vel viri, ob diversam corporis temperiem diversumque mentis judicium, amant, cupidiisque prosecuntur.

*Cur in variis affectibus variae partes à spiritibus afficiantur.*

Et quia spiritus animales, in ventriculis cerebri existentes, pro vario suo motu affectus excitante, apti sunt, instar variarum clavium, varios cerebri & nervorum apertare poros, hinc, quoniam in variis affectibus est varius spirituum motus & determinatio, fluunt etiam spiritus, in variis affectibus, varie in diversas partes, easque deversimode afficiunt; ut ex risu, & rubore, qui gaudium, & ex fletu & pallore, qui tristitiam comitantur, est manifestum.

*Affectus species.*

Affectus, ob duplē spirituum motum hos excitantem, sunt duo: voluntas & dolor.

Voluptas est affectus, per gratum spirituum animalium *voluptas.*  
motum, mentem jucunditate perfundens.

Hic à naturâ in illum usum datus est, ut res voluptatem *Eius utili-*  
facientes, utpote nos juvantes, diligentius prosequamur. *tas.*

In voluptate ita spiritus animales, tum ab objectis, tum *Cur haec*  
à corporis temperamento, tum à mente, sæpe determini- *calorem*  
nantur, ut illi apti evadant copiosius influere in cordis & *& rubo-*  
*eius vasorum fibras dilatatorias & expulsorias; quo fit, ut* *rem;*  
sanguis, in cor copiosius ingressus, ibique intentius ca-  
lefactus, & deinde largius per corpus distributus, gratum  
totius corporis calorem & ruborem excitet.

In eodem voluptatis affectu, spiritus sæpiissime ita de- *Risum, la-*  
terminantur, ut illi ita fluant in musculos faciei & pectoris, *rimas;*  
easque partes ita contrahant, & concutiant, ut cachinnus  
& risus hîc sæpe oriatur; qui nonnunquam tantus est,  
ut lacrimales oculorum poros, concussionis istius vi, tan-  
topere aperiat, ut lacrimæ præ risu ex voluptate orto, sa-  
tis copiose ex oculis emittantur.

In hoc affectu mittuntur interdum spiritus, ob suam *Et tremo-*  
determinationem hic acquisitam, tam fortiter in bra- *rem pa-*  
chiorum, crurum, aliarumque partium musculos, ita  
ut valvulas eorum inordinate modò claudant, modò ape-  
riant, quo illi, ab unis musculis in alteros vicissim ma-  
gnâ cum celeritate transeuntes, tremorem in voluptate  
producunt.

Dolor est affectus, per ingratum spirituum animalium *Dolor.*  
motum, mentem molestiâ afficiens.

Hic à natura datus est in illum usum, ut res dolorem fa- *Eius usus.*  
cientes, utpote nobis nocentes, diligentius fugiamus. Vnde  
patet affectus non plane esse vitandos, quod olim Stoici  
voluerunt.

In dolore spiritus animales in cerebro, tum ab objectis,  
tum à mente, sæpe ita determinantur, ut illi ex cerebro

Gg g fese

*Affectus*  
*non sunt*  
*planè rejiciendi.*

*Cur à do-*  
*lore oria-*  
*tur corpo-*

*ries refrigeratio & pallor;*

fese insinuent in fibras, quæ cordis orificia & vasa arctant, & copiosi sanguinis in illud ingressum, & ex eo egressum, impediunt: in liene vero crassas sanguinis partes à reliquis separent, quæ deinde ad cor delatae dilatabilitatem justam sanguinis ibidem tollunt, unde postea corpus universum, ob sanguinem non satis calefactum, & parcè distributum, refrigeratur, & pallore perfunditur.

*Item gestus plorantis, & lacrimatio;*

In eodem affectu spiritus animales saepissime ita determinantur, ut illi copiose fluant, partim in musculos genarum; atque ita plorantium in iis gestum producant: partim in fibras, quæ aperiunt poros vasorum, quæ sunt circa glandulas lacrimales; unde fit, ut poris illis per horum influxum apertis, partes serofæ sanguinis, à corde cum reliquo sanguine eo propulsa, in oculis largiter separantur, & ex iis lacrimarum solitâ specie expellantur.

*Nec non gemitus, & ejulatus;*

Sæpe etiam illi ita hic determinantur, ut identidem & vehementius, fluant in musculos exspirationi inservientes; atque hinc tum in dolore oritur gemitus & ejulatus.

*Act tremor;*

Et quia spiritus hic saepe, ob suam determinationem, valde languide mittuntur in brachiorum & crurum musculos, quo eorum valvulae non satis bene clauduntur, hinc fit, ut spiritus illi per conniventem illas muscularum valvulas, ultro citroque quam citissime fluentes, tremorem saepe in dolore producant.

*Item fuga, ut à voluptate prosecutio & accessus.*

Vt dolor determinat spiritus in musculos fugæ inservientes, fugamque producit: ita à voluptate determinantur spiritus in musculos rei prosecutioni ministrantes, prosecutioque rerum ab ea excitatur.

*Distinctio doloris & voluptatis secundum varias cogitationes,*

Affectus voluptatis & doloris afficiunt hominem, vel in perceptione sensus, reminiscientiæ, & imaginationis; ac præcipue in sensu tactus. Ac tum vel voluptatis & doloris sensitivi, vel synecdochicè generali voluptatis & doloris nomine designantur: quia affectus voluptatis & doloris,

ris, qui sensibus & præsertim tactu percipiuntur, fortius, *Georūm  
variano-  
mina.*  
quam ullæ aliæ voluptatis vel doloris cogitationes, nos afficiunt.

Vel afficiunt nos in judicio; & appellantur lætitia & tristitia.

Vel afficiunt nos in volendo; & vocantur amor & odium.

Vel denique ab his affectibus afficimur in rebus intellectis, per motum arbitrium, fugiendis vel prosequendis; & illi alacritatis vel languoris appellatione insigniri consueverunt.

Affectus perceptionis, ut ab illo auspicemur, est cum vehementius inter reminiscendum, imaginandum, sed præcipue inter sentiendum, à re gratâ vel ingratâ afficiunt: atque ideo dolor sensitivus & voluptas sensitiva, ex quibus reliqui perceptionis affectus facile intelligi possunt, hic à nobis explicabuntur.

Est autem dolor sensitivus, dolor ex ingrato nervorum motu, ad cerebri spiritus sensoriumque commune delato, & ibidem à mente percepto, ortus.

Quia organa sensoria sunt varia, variaque sunt objecta sensibilia, idcirco motus ille ingratus, dolorem in variis sensationibus efficiens, etiam est varius. Atque hinc alias dolor est, qui ab ingrato sapore in lingua; alias, qui ab ingrato odore in naribus; alias, qui ab ingrato lumine in oculis; alias, qui ab ingrato sono in auribus; alias, qui ab ingrata tactili qualitate in nervis tactoriis excitatur.

Dolor autem tactorius, quia magis est obvius, & vehementius præ cæteris nos afficit, fere solus, inter ingratas sensationes, doloris nomine vulgo indigitari solet.

Isque oritur ab omni vehementiore sensoriorum tactiorum, ut cutis, carnis, nervi, & similium motu, partes lacerare apto.

*Is est à ve-  
hemente  
motu.*

*Cur à calore & aliis similibus fiat dolor.*

Atque ideo à vehementi calore, frigore, punctione, scissione, verberatione, contusione, tensione, aliisque similibus causis, motum talem vehementiorem, in instrumentis tactoriis producentibus, originem ducit.

*Is non semper est à solutione continui.*

Neque ulla est causa, cur semper in dolore tactorio solutionem continui adesse dicamus: sufficit enim hīc ad doloris productionem solus motus justo vehementior, partes lādere aptus; quippe qui, teste experientiā, sāpissime per calorem & frigus, item acrimoniam, similesque alias intemperies, citra ullam continui solutionem, in illis partibus excitetur.

*Cur ille inducat vigilias, spasmum, lipothymiam, inflammations, tumores.*

Hic inducit vigilias & inquietudines, vehementi illo suo motu spiritus ventriculosque cerebri vehementius dilatando: spasmum & convulsiones, valvulas quorundam nervorum inordinatè aperiendo: lipothymiam, spiritus in cordis fibras constrictorias determinando: inflammations & tumores, poros quorundam vasorum nimis recludendo.

*Voluptas sensitiva.*

Voluptas sensitiva est voluptas, ex grato nervorum motu, ad cerebri spiritus, sensoriumque commune delato, & ibidem à mente percepto, profectus.

*Hac pro organorum varietate est varia. Voluptas tactilis.*

Hæc, pro organorum sensoriorum & objectorum sensibilium varietate, est varia: alia enim est voluptas, quæ ex jucundo objectorum visibilium visu; alia quæ ex aliorum sensibilium grato sensu oritur. Potissima autem sensitiva voluptas est tactilis, quæ ex tangibilium jucundo tactu, hoc est, citra lāsionem forti, proficiscitur, & titillatio vulgo dicitur, quippe quæ fortius nos afficit, & pluribus partibus competit.

*Voluptas sensitiva maxime juvat, si non pariat negligenter.*

Voluptas sensitiva, præ cæteris voluptatibus, hominem quam maximè afficit, spiritusque in cerebro ita determinat, ut illi convenientissime per totum corpus diffundantur; atque ideo, nisi negligentiam aliarum re-

rum

rum patiat, omnes hominis actiones quam maximè juvat.

Non est autem prætereundum, ad dolorem & voluptatem sensitivam pertinere, ubi citra judicium, à solo spirituum motu, ab aëris vel sanguinis bona vel mala temperie excitato, aliquando nos solito alacriores ac hilariores, vel languidiores & mœstiores sentimus.

Atque hæc de affectibus perceptionis, sequuntur judicii: lætitia sc. & tristitia.

Lætitia est voluptas, ex judicio rei gratae orta.

Tristitia est dolor, ex judicio rei ingratæ natus.

Pro ut autem res, quas gratias vel ingratias judicamus, sunt variæ, ita hi lætitiae vel tristitiae affectus variis gaudii vel mœroris; spei vel metus; beneficentiae vel iræ; misericordiae vel insultationis; favoris vel invidiae; gloriæ vel pudoris; constantiae vel pœnitentiæ; promptitudinis vel fluctuationis; congratulationis vel zelotypiæ; læta vel tristis admirationis, æstimationis, vel contemptus; item desiderii vel hilaritatis; aliisque nominibus designari consueverunt.

Gaudium est lætitia ex judicio boni acquisiti.

*Gaudium.*

Mœror est tristitia ex judicio mali, quod sumus naucti.

*Mœror.*

Vterque affectus, si subitus & vehemens fuerit, hominem subito potest occidere. Ille; dum sanguis nimis copiosè in cor, subito nimis dilatatum, subito ingressus, & ibi ob nimiam copiam incendi nequiens, calorem ventriculorum cordis suffocat. Hic; dum calor cordis, ob justum sanguinis ingressum, ex nimia constrictione cordis ventriculorum subito facta, subito impeditum, subito extinguitur.

*Quomodo*

*utique hic affectus hominem possit occidere.*

Spes est lætitia ex opinione desideratum bonum adipisci.

*Spes.*

Metus est tristitia ex opinione desideratum bonum non acquirendi.

*Metus.*

*Cur hi duo affectus se mutuo plerumque committentur.*

*Eius rei utilitas.*

*Securitas.*

*Cur ea saepe pericula & incommoda paret.*

*Desperatio.*

*Quomodo ea saepe maxima incommoda supereret.*

*Beneficentia.*

*Ira.*

*Cur praे irâ expallescentes magis sint metuendi.*

Quia autem plerumque argumenta, quibus bonum aliquod desideratum acquirendum vel non acquirendum esse judicamus, non plane indubitata; sed tantum verisimilia, & ita contingentia censemus, ita ut contrarium, quam speramus vel metuimus, credamus posse evenire, hinc spem comitatur plerumque metus, & metum spes.

Atque hoc illam præbet utilitatem, ut nos in omnem eventum, adversus omnia incommoda, prudenter, & quantum fieri potest, armemus.

Spes omni metu destituta securitas dicitur.

Hæc quia omnem periculorum & incommodorum imminentium adimit cogitationem, impedit quo minus adversus ea nos armare possimus, ac ideo særissime nos in maxima pericula & incommoda præcipitat.

Metus ab omni spe vacuus desperatio appellatur.

Hæc, quia særissime ingens vindictæ desiderium adversus incommoda & pericula imminentia excitat, maximam in nobis producit spirituum agitatem, quâ pericula & incommoda magnâ vi aggredimur, & interdum etiam præter opinionem superamus. Hinc dicit Poëta:

*Vna salus viciis nullam sperare salutem.*

Beneficentia est lætitia, ex opinione beneficij accepta, & desiderio illud beneficio compensandi comitata.

Ira est tristitia, ex opinione iuriæ illatæ nata, & vindictæ cupiditate conjuncta.

Irati, in quibus tristitia vindictæ desiderio est vehementior, præ ira solent expallescere, ob spiritus ex magnâ illâ tristitiâ, in fibras cordis vasorumque ejus constrictorias fortius determinatos, ac justam sanguinis incalcentiam & in faciem reliquumque corpus distributionem impedientes. Verum ipsa vindicta præ aliis vehementius ab his institui solet; quod ipsorum spiritus hic lentius in cerebro moti, lentes quidem, sed circumspectas

& acres

& acres ipsis de doloris illati vindictâ concedant cogitationes. Atque ideo hi etiam magis sunt metuendi.

Quorum vero ira habet vindictæ desiderium tristitiam majus, in his spiritus ex magno illo desiderio vehementius in cordis fibras dilatatorias & expulsorias vicissim determinati, & sanguinis poros ad vehementiorem incalcentiam, à subtili materiâ faciendam, adaptantes, faciunt ut sanguis copiosius in cor ingrediatur, vehementiusque ibi incalefacat, & uberior per totum corpus distribuatur; unde in his sequitur faciei erubescens, & spirituum animalium in cerebro magna effervescentia, quæ magnum quidem vindicandi producit impetum; verum, cum hic celeres de vindicandi modo fiant cogitationes, per pensioque circumspecta hic impediatur, effervescentia que illa sanguinis non diu duret, hinc illorum ira minus confuevit esse efficax, ac proinde minus metuenda.

Insultatio est lætitia, ex judicio mali alteri, cui male *insultatio*. cupimus, illati orta, cum contumeliae inferendæ desiderio conjuncta.

Si contumeliae istius inferendæ desiderium risu teste- *irrisio*. mur, ea tum irrigio dicitur.

Misericordia est tristitia, ex judicio mali, ab altero, cui *Misericordia*. bene volumus, accepti.

Favor est lætitia, ex judicio boni ab altero, cui bene cu- *Favor*. pimus, acquisiti.

Invidia est tristitia, ex judicio boni, ab altero, cui male *Invidia*. cupimus, comparati.

Gloria est lætitia, ex judicio acquisiti vel acquirendi à *Gloria*. nobis honoris.

Pudor est tristitia, ex opinione imminentis reprehensionis vel dedecoris orta, & cum desiderio dedecoris fugiendi comitata.

Si tristitia hic præcellat, adest, ob cordis ex hac con- strictione.

*Cur ex eo  
quidam  
expalles-  
cant, qui-  
dam erube-  
scant.*

*Constantia.*

*Poeniten-  
tia.*

*Mala con-  
scientia.*

*Promptitu-  
do.*

*Fluctuatio.*

*Congratu-  
ratio.*

*Zelotypia.*

*Lata &  
tristis ad-  
miratio.*

*Cur admi-  
ratio stu-  
pore parat.*

*Lata &  
tristis esti-  
matio.*

*Latus &  
tristis con-  
temptus.*

strictionem , expallescentia. Sin præcellat desiderium, adest , ob sanguinem ex eo in vultum copiosius , propter vehementiorem dilatationem cordis , determinatum , erubescensia.

Constantia est lætitia ex judicio nostri facti , quod factum volumus . Si ex eo facto aliquid boni speremus , vocatur bona conscientia.

Poenitentia est tristitia ex judicio nostri facti , quod factum nolumus . Si ex eo facto aliquid mali metuamus , vocatur mala conscientia.

Promptitudo est lætitia , orta ex judicio certum quid eligendi ex rebus variis & dubiis.

Fluctuatio est tristitia ex eo orta , quod ex rebus variis nullam præ aliis aggredi , vel perficere , vel aggrediendam judicare queamus.

Congratulatio est lætitia , ex judicio boni ab alio acquisiti vel acquirendi , quod nobis commune censemus.

Zelotypia est tristitia ex judicio boni , ab alio acquisiti vel acquirendi , quod nobis deberi existimamus.

Lata admiratio est lætitia , ex judicio excellentis & rarae in objecto percepto bonitatis orta.

Tristis admiratio , est tristitia ex judicio excellentis & rarae pravitatis nata.

In admiratione spiritus sæpe ita fortiter in partes determinantur , ut partes immotæ ac tensæ maneant , hinc ait Poëta : *Obstupui , steteruntque coma , vox faucibus hæsit.*

Lata æstimatio est lætitia , ex observato magno rei amatæ pretio.

Tristis æstimatio , est tristitia ex observato magno rei exosæ pretio.

Latus contemptus est lætitia , ex vili pretio in re exosâ observato.

Tristis contemptus est lætitia , ex vili in re amatâ observato pretio.

Deside-

Desiderium est tristitia ex bono amissio , cum recuperandi cupiditate conjuncta.

Deside-  
rium.

Hilaritas est lætitia ex malo superato.

Hilaritas.

*Post perceptionis & judicij affectus* , sequuntur voluntatis , & motus arbitrariorum.

Affectus  
voluntatis.

Voluntas item duos habet affectus: amorem sc. & odium.

Amor.

Amor est rei intellectus cum voluptate amplexio.

Odium.

Odium est rei intellectus cum dolore reiectio.

Vnde varia  
eorum o-  
riantur  
species.

Pro ut autem res intellectus sunt variæ , ita hi affectus variis cupiditatis , vel aversationis; simplicis amoris , vel odii ; amicitiae , vel inimicitiae : benevolentiae , vel malevolentiae : libidinis , vel coëundi horroris ; venerationis , vel abominationis ; superbiæ , vel humilitatis , aut generositatis ; crudelitatis , vel lenitatis ; item philautiæ , vel odii sui ; gratitudinis , vel ingratitudinis ; vel aliis nominibus distinguuntur.

Cupiditas .  
Aversatio.

Cupiditas est amor rei acquirendæ.

Amor &  
odium sim-  
plex.

Aversatio est odium rei comparandæ.

Amicitia.

Amor simplex est amor rei acquisitæ.

Inimicitia.

Odium simplex est odium rei comparatæ.

Benevolen-  
tia.

Amicitia est amor ejus , quem nobis parem putamus.

Inimicitia est paris existimati odium.

Benevolentia sive familiaritas est amor , quo personam aliquam , beneficii conferendi gratiam , amamus.

Malevo-  
lentia.

Malevolentia est odium , quo alium nocendi causa prosequimur.

Libido.  
Coëundi  
horror.

Libido sive concupiscentia , est amor , quo personam aliquam Veneris exercendæ causâ diligimus. Coëundi horror , contra.

Veneratio.

Veneratio est amor ejus , quem supra nos existimamus.

Abomina-  
tio.

Abominatio est odium ejus , quem valde pravum censemus.

Crudelitas.

Crudelitas est graviter aliis nocendi desiderium.

H h h

Lenitas

*Lenitas.*

*Lenitas* est aliis parcendi amor: vel alieni nocimenti averatio.

*Gratitudo.*

*Gratitudo* est personæ, unde beneficium accepimus, amor.

*Ingratitudo.*

*Ingratitudo* est personæ, unde beneficio sumus affecti, odium.

*Superbia.*

*Superbia* est magni honoris desiderium.

*Humilitas.*

*Humilitas* est magni honoris averatio.

*Generositas.*

*Generositas* est libertatis nostræ & rerum nobis propriarum amor, cum omnium aliarum, quæ nobis auferri possunt, contemptu conjunctus.

*Cura est**remedium**ad omnes**prænos affe-**cias fre-**nandos.*

Hæc præstantissimum remedium est ad omnes affectus inordinatos evitandos vel compescendos. Quis enim magnopere ex. gr. ob injuriam irascetur, ob damnum tristabitur; ob lucrum gaudebit, ob honores gloriabitur, vel ob dedecus animum suum demittet; qui per generositatem hæc omnia contemnere didicit?

*Philautia.*

*Philautia* est sui amor: cui opponitur sui odium.

*Sui odium.*

*Denique* affectus, quo mens in rebus per motum arbitrarium prosequendis vel fugiendis afficitur, item, ut superius diximus, duplex est: alacritas & languor.

*Alacritas.*

*Alacritas* est voluptas, ex rebus per motum arbitrarium prosequendis vel avertendis orta.

*Languor.*

*Languor* est dolor, ex rebus per motum arbitrarium prosequendis vel avertendis profectus.

*Vnde varia**eorum or-**rientur spe-**cies.*

Hi duo affectus, si res prosequendæ vel fugiendæ cum periculo & difficultate judicantur conjunctæ, audaciæ vel timoris; si magnæ, animositatis vel pusillanimitatis; si nostri officii, diligentiaæ vel ignaviæ nominibus designari solent.

*Audacia.*

*Audacia* enim est, in rebus difficilibus & pericolosis aggrediendis, alacritas.

*Timor.*

*Timor* est, in rebus difficilibus & pericolosis aggrediendis, languor.

Ani-

Animositas , est alacritas , in rebus magnis aggredientis. Eaque in rebus magnis , ad exemplum aliorum , aut cum aliis certatim aggrediendis , vocatur æmulatio.

Pusillanimitas est languor in aggrediendis rebus magnis. Pusillanimitas.

Diligentia est , in peragendis rebus officium nostrum spectantibus , alacritas.

Ignavia est rerum nostri officii peragendarum languor. Ignavia.

Atque ex his satis commode omnis affectuum natura & varietas intelligi , innumerorumque problematum solutione exhiberi posse videtur. Ita enim ex. gr. si quis quærat , cur homines invidi sæpe sint corpore macilento & livido ? Resp. quia ex tristitia dolore , cor nimis arctatum sanguinem non bene concoquit , eumque parcum & nigrum in corpus diffundit.

Item , cur claudi , gibbosí , coclites , aliique gravioribus conformatio- nis vitiis laborantes , sæpe sint irriſores ? Quia , cum sciant se propter sua vitia à plurimis contemni , & derideri , gaudent alios sui similes inveniri , eosque in solatum doloris , quam ex suâ ab aliis acceptâ derisionis contumeliâ habent , quâvis datâ occasione derident , seque ita oblectant.

Item , cur pueri , fœminæ , & senes , magis , quam viri adulti & cordati , è tristitia sint in lacrimas proni , easque copiosius profundere soleant ? Respondeo , quia præ aliis plus seri in sanguine habent , laxioribusque caruncularum lacrimalium poris sunt prædicti ; & judicio minus valentes vehementiore tristitia dolore ab objectis ingratiss afficiuntur.

Item , cur juvenes ad prodigalitatem , senes vero ad avaritiam , sint proclives ? Resp. quia juvenes , ob temperamentum corporis juvenile , magis opum usu , eas consumente , quam earum possessione ; senes vero , ob

*Animositas.*

*Pusillanimitas.*

*Ignavia.*

*PROBLEMATVM*  
*quorundam solutio-*  
*tio.*

*Cur invidi  
sint maci-  
lenti & li-  
vidi.*

*Cur vitiis  
sæpe sint  
irriſores.*

*Cur pueri  
fœminæ &  
senes facile  
plorent.*

*Cur juve-  
nes sint  
prodigi;  
senes vero  
avari.*

*Cur stupidi & ingeniosi nihil admirentur.* Item, cur stupidos, & ingeniosos ac rerum peritos, nunquam aut raro admiratio capiat? Resp. quia illi ob ingenii stuporem admiranda rerum dijudicare nequeunt; his verò, ob magnam ipsorum perspicaciam & rerum peritiam, vix quicquam novi & rari occurtere potest.

*Cur timentibus interdum alvus laxetur.* Item, cur nonnullis præ timore alvus laxetur? Resp. quia in illis spiritus ex timore in cerebro ita determinantur, ut illi fortius ex cerebro fluant in fibras intestinorum oblique descendentes, quæ excretioni alvi inserviunt.

*Cur lacrimæ dolorrem levent.* Item, cur lacrimæ largius profusæ tristitiam levent? Resp. quia sanguinem puriorem, ac proinde ad tristitiam ineptiorem, reddunt.

*Cur valde marentes non lacrimantur.* Item, cur in ingenti mœstitia lacrimæ non fluant? Quia per eam cor ita constringitur, ut serum, quod lacrimarum est materia, cum sanguine in oculos satis copiose propelli non possit.

Item, cur plerique mortalium voluptatibus sensitivis, corporeis vulgo dictis, sunt quam maxime addicti? Resp. quia illæ quam maxime præ cæteris nos oblectant.

Item, cur corporis pulchritudo maximè amorem conciliet? Resp. quia illa oblectat visum omnium sensuum principem.

Item, cur maxima sit honorum invidia? Resp. quia illi inter res mortalium maximi censentur.

Item, An primi affectuum inconvenientes impetus, qui non à mentis determinatione, sed ab objectis, vel spirituum temperamento excitantur, sint culpandi? Resp. illos culpandos esse; quia eorum inconvenientiam vel consuetudine prava produximus, vel bona consuetudine corrigeremus negleximus.

Item, an dolor sensitivus, qui vulgo dolor corporis appellatur,

*Cur valde marentes non lacrimantur.*

*Cur bonorum maxima sit invidia.*

*Cur primi affectuum impetus vitiosi sint culpandi.*

*Cur dolor sensitivus inter affe-*

pellatur, recte inter affectus animi, & quidem præcipuos, numeretur? Resp. illum recte inter eos numerari; quia ille animum, à quo percipitur, præ omnibus aliis doloribus, quam maxime afficit.

*Etus animi  
sit nume-  
randus.*

Item, an dolor recte in unum, qui animi, & alterum qui sit corporis, vulgo dividatur? Resp. divisionem illam esse malam: cum omnis dolor sit animi, à quo solo percipitur; corpus vero nihil percipere possit; quippe quod sit tantum instrumentum, quo mens omnes rerum objectatum perceptiones peragit.

*Cur dolor  
male in u-  
num ani-  
mi, & al-  
terum cor-  
poris, divi-  
datur.*

Item, an ideo, ut vulgo existimant, visu, auditu, olfactu, & gustu dolor percipiatur, quia sensoria istorum sensuum etiam tactu dicuntur prædicta? Respondeo, quod illa sententia à ratione planè sit aliena. Nam tactus, in quacunque corporis parte statuatur, solarum tactilium, ut caloris, frigoris, duritiei, mollitiei, asperitatis, lævitatis, gravitatis, acrimoniæ, lenitatis, similiumque aliarum qualitatum; non autem coloris, odoris, soni, saporis grati vel ingratii potest esse index. Atque ideo dolores sive molestiæ à fœtore, pravo sapore, ingrato sono, vel nimio lumine ortæ, ad solum partium odoratum, gustum, auditum, & visum quibus illæ percipiuntur, nequaquam ad earum tactum sunt referendæ.

*Cur dolor  
visu, audi-  
tu, olfactu,  
vel gustu  
perceperit.  
ad tactum  
non sit re-  
ferendus.*

Neque prætereunda videtur celebratissima illa quæstio, qua quæritur, an voluptas summum hominis bonum, & dolor summum ejus malum sit censendus: Ad quam per negationem respondeo. Voluptas enim & dolor sunt tantum stimuli, in illum usum à naturâ dati, ut horum, cum recto judicio usurpatorum, ope, summum bonum, quod est nostra perfectio & conservatio, tanto alacrius prosequamur; & summum malum, quod est nostra destructio, diligentius fugiamus. Præterea, summum bonum semper est appetendum, summum malum semper fugiendum:

*Cur volu-  
ptas non sit  
summum  
hominis bo-  
num; nec  
dolor sum-  
mum ejus  
malum cen-  
sendus.*

Sæpe autem contingit , ut dolor sit prosequendus , ut ex. gr. in gangrenâ brachii extirpandâ ; & voluptas sit fugienda , ut ex. gr. in febribus ardentibus , aliisque morbis , ubi ab alimentorum jucundorum voluptate est abstinentia , clarè appetet. Adhæc summum bonum absque omnî voluptatis affectu esse potest : ubi sc. homo perfectione suâ , à naturâ ipsi concepsa , sine ullo vehementiore spirituum motu , voluptatis affectum pariente , tranquillâ mente fruitur.

*Cur affectus quandoque sunt boni, quandoque mali.*

Affectus omnes moderati , & personis loco ac temporis convenientes , sunt boni : quia naturam nostram juvant. Immoderati verò , intempestivi , & loco personisque inconvenientes , omnes sunt mali : quia judicium nostrum pervertunt , & in magnas molestias , morbosque , & alia mala nos præcipitant.

*Cur vita nostra beatitudine & miseria in recto & malo affectuum regimine consistat.*

*Quomodo felicitas vita sit procuranda.*

Quia autem plerique nostræ actiones cogitativæ affectibus doloris vel voluptatis sunt comitatæ , hinc fere omnis nostræ vitæ beatitudo vel miseria in bono vel malo affectuum regimine consistit. Qui itaque felicem hanc desiderat vitam , omnem adhibeat operam , ut dolorem tactorum per remedia medica , reliquosque affectus per rectum judicium , & rectorum judiciorum , bonorumque affectuum notas , cerebro impressas , ac subinde etiam per mentis ad alia conversionem , ut superius monuimus , discat moderari. Neque hoc erit difficile , exerceamus nos tantum diligenter , quemadmodum in aliis addiscendis & exercendis artibus solemus , nec quicquam procrastinemus.

*Cur plerique mortali misere vivant.*

Verùm dum plerique hic sese exercere detrectant , totam vitam , sub gravissimâ pravorum affectuum tyrannie , miserrimè ducunt.

## C A P V T XII.

*De Sexu, Æstatibus, Tempestatibus anni, Terræ regionibus, & Consuetudine, quatenus temperiem corpori inducunt; item de Ductibus aquosis nuper inventis.*

**A**Tque hæc de mente, alterâ hominis parte, ac pro- Doctrina  
mentis ad  
solam Phy-  
sicam per-  
tinet. inde non alibi, sed hîc explicanda, diximus. Quan- tum ad corpus humanum attinet, præter ea, quæ de cor- poribus vivis & animalibus antehac diximus, aliquid di- cendum est de sexu, & de æstatiâ hominis temperie; quæ præcipuè inducitur ab ætate, tempestate anni, diver- sitate regionum, & consuetudine.

Sexus est certa partium genitalium temperies & con- Sexus. formatio, quibus mas à fœmina distinguitur.

Estque masculinus, vel fœmininus.

Masculinus sexus plerumque solet esse validior, & cali- Masculinus  
sexus ple-  
rumque  
validior  
est. dior; fœmininus mollior, humidior, frigidior, imbecil- lior.

Quantum autem masculinus sexus ad robur faciat, o- Quid fa-  
ciat mascu-  
linus sexus  
ad robur,  
docent spa-  
dones. stendunt eunuchi, qui temperie & robore manifestè mu- tantur, postquam sexum amiserunt.

Ætas est pars durationis vitæ, in quâ, ex actione ca- Ætas. loris nativi, in humidam reliquamque corporis substantiam agentis, temperies corporis humani sensibilem mu- tationem suscipit.

Ea non incommodè in pueritiam, adolescentiam, ju- ventutem; virilem ætatem, & senectutem distinguitur.

Prima ætas est pueritia, quæ plerumque primis qua- Pueritia. tuordecim annis circumscribitur; in quâ corpora nostra caliditate & humiditate excedere dicuntur: Caliditas tamen est moderata, cuius rei testimonium præbet tactus.

Hæc distinguitur in tempus ante dentitionem, ipsius denti-

dentitionis, quod dentitionem sequitur, & quod pubertati est vicinum.

*Adolescen-*  
*tia.* Altera ætas est adolescentia, temperata magis, puber-  
tatem ad decimum octavum, & adolescentiam propriè  
dictam ad annum vigesimum quintum includens.

*Juventus.* Tertia, quæ sequitur ætas, est juventus, seu florens æ-  
tas, ab anno vigesimo quinto; ad trigesimum quintum  
se fere extendens: in quâ corpora nostra sunt calida & sicca;  
propterea quod humidum aquum præcedentibus ætati-  
bus valde sit absuntum, partesque oleaginosæ arctius  
compactæ calorem & spiritus magis retineant. Iuvenes  
igitur calidores sunt pueris. Quod etiam alimentorum  
duriorum coctio, aliæque accuratiores juvenum actiones  
evidenter probant.

*Iuvenes*  
*pueris sunt*  
*calidores.* Nec obstat, quod pueri principiis generationis & nati-  
vitatibus sint proximiores, ac ideo plus calidi nativi habere,  
ac proinde juvenibus calidores nonnullis videantur: nam  
naturalis humani corporis calor, non tantum in individuo  
consistit calido, quod nobis in prima generatione  
innascitur & perpetuò dissipatur; sed etiam in illo, quod  
post nativitatem totâ nostrâ vitâ in locum dissipati resti-  
tuitur. Cumque talis sit corporis nostri constitutio, ut à  
prima nativitate usque ad medium juventutem plus calo-  
ris reparetur, quam consumitur; ut tactus & validiora ca-  
loris effecta in crescentibus & juvenibus probant: hæc  
objecio nullam efficaciam adversus nos habet. Et à vero  
abhorret, quod Galenus in libello ad Lycum dicit, calidum  
nativum semper usque ad obitum imminui. Nec  
enim bona ejus est consequentia, quam habet liber. 4. de  
tabe, Si calidum nativum posset augeri, homo posset fieri  
immortalis. Nam, ut corpus nostrum non potest in infi-  
nitum crescere, ob temperamenti mutationem, tandem  
se fere incremento ineptum reddentis, et si illud aliquamdiu  
crescat;

crescat ; ita , ob temperiem corporis tandem sese depravantem , non potest calidum nativum perpetuò augeri & conservari , quamvis illud aliquamdiu augeatur .

Quartò succedit ætas virilis , seu constans vel consistens *virilis ætas.*  
dicta , ab anno trigesimo quinto ad quinquagesimum sese extendens ; in qua calor fervorque remissiores sunt , & actiones adhuc optimè perficiuntur .

Tandem superest senectus frigida & sicca , quæ viridis est ab anno quinquagesimo ad sexagesimum ; in qua muneribus obcundis senes plerumque adhuc præesse possunt . Media autem , ab anno sexagesimo ad septuagesimum pertingens , majore cum imbecillitate suas actiones exscerquitur . Denique ultima est decrepita , quæ frigiditate & siccitate vitam claudit .

Hæ ætates in omnibus hominibus , ob varias causas , tum internas , tum externas , iisdem annorum terminis non circumscribuntur . Alii enim ex his causis citius , alii tardius adolescent , juvenescunt , viri evadunt , senescunt , & ætates illas percurrent . Imo ipse totius nostræ vitæ terminus , cum ab indifferenti voluntatis nostræ libertate magnam partem dependeat , videtur esse mutabilis : ita ut à nobis & corripi , & produci , possit .

Præter ætates ad mutationem temperamenti nativi plurimùm quoque inserviunt anni tempestates , tum quia aér , qui corpora nostra ambit & alterat , ab accessu & recessu Solis , radiorumque solarium perpendiculari vel obliquo reflexu , in his magnopere alteratur ; tum , quia corpora nostra , pro temporis præcedentis diversitate , diversimodè sunt disposita .

E quatuor anni tempestatibus ver & autumnus ratione caloris sunt temperata , quanquam vere major sit diversitas inter frigus noctis & calorem diei , quam autumno ; sed aëris siccitas vere est maxima , propter ventos orienta-

*Ætates  
non cir-  
cumscri-  
buntur in  
omnibus  
iisdem ter-  
minis.*

*Terminus  
vitæ vide-  
tur esse  
mutabilis.*

*Anni tem-  
pestatibus  
quomodo  
corpus al-  
terent.*

*Earum  
tempera-  
mentum.*

les & septentrionales , tum frequenter flantes , & vapores ex aëre discutientes : ac præterea , quia terra & aqua tum nondum satis calent, ad vapores tam copiosos, quam æstate , emittendos. Quia autem , adventante æstate, terra & aqua magis incalefcunt , hinc copiosiores vapores, in aërem sublati , majorem æstatis humiditatem inducunt. Sensim itaque aëris siccitas æstate imminuitur , usque ad medium autumni , quo tempore maxima aëris humiditas, ob copiosos vapores in ipso existentes & tūm magis condensatos , esse solet , atque ideo tunc omnia longè facilius , quam vere , putrescant. Sed in humano corpore vere sanguis, & æstate bilis; autumno & hyeme pituita & melancholia, generari solent.

*Regionum  
diversitas  
quomodo  
corpus im-  
mutet.*

Locorum regionumque diversitas , ex varia climatum positusque cœli , aliarumque circumstantiarum, ut montium , planitierum , ventorum , maris & lacuum , constitutione , externum aërem alimentaque assumenda diversimodè immutans, plurimum etiam ad mutationem temperamentorum inducendam valet.

*Confuetudo  
quomodo  
corpora  
corrigat  
vel vitiat ,  
& ita va-  
riat actio-  
nes produ-  
cat.*

Vti & consuetudo , quæ quatenus ad corpus pertinet , est rei alicujus frequens usurpatio , quam temperamentum , vel alia corporis constitutio , immutatur , nosque ad actiones perficiendas aptiores vel ineptiores sumus. Dum enim ex consuetudine seu frequenti rerum usurpatione partium temperies vel conformatio corrigitur ; ad actiones perficiendas promptiores ; dum illæ hac vitiantur , ineptiores evadimus.

Atque hoc in omnibus actionibus est manifestum: quarum nos nonnulla exempla commemorabimus, ex quibus reliqua omnia facile intelligi poterunt.

*Quomodo  
ea insolita  
alimenta  
faciat fa-  
miliaria :*

Qui cibis tenuioribus assueverunt , duros ; qui crassioribus , tenuiores rectè non concoquunt : donec illi ex durorum , hi ex tenuiorum frequenti usu temperamentum ven-

ventriculi & fermentosas partes, quæ à corde in ventriculum semper immittuntur, ita immutarint, ut ea ita sint disposita, ut cibi duriores in illis, tenuiores in his, ventriculo recepti, porisque ejus insinuati, & cum fermentoso succo mixti, talia circum suas particulas habeant spaciola, in quibus subtilis materia vehementius agitata, ignem satis validum ibi efficiat, qui cibos istos dissolvere, & porrò in convenientem chylum convertere possit.

Imò quædam venena, ut cicuta, napellus, & alia similia, parvâ quantitate sæpius sumpta, sensim ita temperant ventriculum & alias partes alituræ inservientes, ut ea tandem etiam majore quantitate sumta, in alimentum corporis, abeant. Quæ verò venena talia sunt, ut etiam minimâ quantitate temperiem vel conformatiōnēm istarum partium corrumpant, illa nullo usu nobis familiaritia fieri possunt; sed mox naturam destruunt, hominemque vel citius vel tardius occidunt. Talia sunt Mereurius sublimatus, arsenicum, auripigmentum.

Qui ante tempus consuetum cibos sumunt, sæpe etiam ab iis in principio lædi solent: quia anteverunt illud tempus, quo sufficiens fermentosarum particularum copia, ad coctionem ciborum necessaria, in ventriculo colligitur. Si verò postea eodem illo tempore sæpius cibum sumunt, paulatim ab eo nullum nocumentum sentiunt: quia pori ventriculi & sanguinis sensim novâ ista consuetudine ita disponuntur, ut circa hoc tempus sufficiens fermentum, in ventriculum propulsum, seppetat.

Quotidianis laboribus assueti, et si invalidi sint aut senes, insuetis, quamvis robustis aut juvenibus, consueta exercitia facilius ferunt: quia invalidi isti fecerunt sibi, per consuetudinem laboris, nervos & musculos duriores, quo ipsis ab agitatione corporis, inter laborandum necessariâ, nervi non ita dolent, nec spiritus tam facile dissipantur;

*Et venena  
quædam in  
alimenta  
convertat.*

*Ante soli-  
tum tem-  
pus edentes  
cur à cibis  
ladantur.*

*Cur insoli-  
ti labores  
ladant va-  
lidos; soliti  
non ladant  
infirmos.*

pantur; sed illi, corpore duro & denso retenti, defatigationem impediunt. Contrà ii, qui laboribus non sunt asfueti, licet alioqui sint robusti, teneros tamen & molles habent nervos, musculosque laxos, unde per laborem nervi & aliæ sentientes partes ipsis facilè dolent, spiritusque copiosissimè per patentiores poros dissipati, magnam defatigationem in ipsis excitant.

*Cur res asperæ molestiâ afficiunt manus molliore  
cute tectas; illis verò ex frequenti labore induratis, nullam  
molestiam contrebantibus amplius pariunt: quia has le-  
nius, illas vehementius movent.*

*Cur ingra-  
ti sunt info-  
liti odores,  
sapores, &  
soni.*

*Consuetudo  
quid faciat  
in intellec-  
tua & vo-  
luntate.*

*Cur solita  
opiniones  
pertinaci-  
ter pla-  
ceant; in-  
solite di-  
spiceant.*

Res duræ & asperæ molestiâ afficiunt manus molliore cute tectas; illis verò ex frequenti labore induratis, nullam molestiam contrebantibus amplius pariunt: quia has lenius, illas vehementius movent.

Multorum ciborum sapores & odores, item multi soni, si fuerint insoliti, sunt ingrati; donec, nervis & reliquis organorum partibus, quibus ea percipi solent, ex consuetudine aliter temperatis, grati aut saltem non amplius molesti evadant.

Facultas intelligendi & volendi exercitio augetur, otio torpescit: quia dum res frequenter percipimus & dijudicamus, eademque cerebri vestigia sèpe percurrimus, & novæ & firmiores in eo producuntur imagines ad cogitandum necessariæ, ac conation, sive sensorum communis, fit exercitio isto agilius, porique cerebri ad spiritus transmittendos aptiores, ita ut mens imagines, quarum ope recordatur, imaginatur, perpendit, dijudicat, ac vult, & faciliùs & sèpius percurrere, intellectuionemque ac voluntatem, earum auxilio, melius peragere possit.

Atque hinc jam intelligimus, cur res, non tantum visas & auditas; sed etiam philosophicas & religiosas opiniones, quasdam bonas, quasdam malas ex consuetudine judicemus: & quamvis sèpè quammaximè fallamur, nullâ tamen ratione à consueto nostro judicio abduci queamus. Hoc enim fit, quia rerum istarum imagines non tantum in cerebro existunt, sed etiam notæ rejectionis vel


vel approbationis iis sunt additæ , & cerebro fortiter impressæ . His itaque animo rursus oblatis , res istas non tantum percipimus , sed mox , etiam citra ullum accuratius examen , imò etiam si rationes firmæ & validæ in contrarium nonnunquam addantur , eas tamen magno animi impetu , secundum illas notas , pertinaciter vel approbemus vel rejiciamus . Vbi autem longo tempore à rerum recor datione , consideratione , & judicio abstinemus , imagines nullæ novæ in cerebro pinguntur , & quæ ibidem antea erant pictæ , ex molli cerebro paulatim delentur , & nos , ad intelligendum aliterque cogitandum , ineptiores evadimus .

Atque hinc jam etiam intelligimus , cur timidi , periculorum consuetudine , fiant audaces ; & audaces , longo rerum tutarum usu , evadant timidi : illi enim longo isto usu periculorum contemnendorum ; hi verò securitatis amandæ , notas sibi paulatim in cerebro acquirunt , & secundum eas judicia sua instituunt .

Verum , antequam finiam , silentio præterire non possum , venas lacteas , & receptaculum chymi M 2 E , ac ductum chymiferum 3 4 , quæ antehac pag . 249 descripsimus , non tantum in humano corpore nuper etiam esse observata : verum aquosos quoque quosdam ductus ; tum ab hepatis lobis G G , & glandulis quibusdam circa bifurcationem venæ cavæ , aliisque vicinis locis , infra renum regionem P D , in abdomine sitis , in magnum chymi receptaculum M 2 E concurrentes ; tum à quibusdam cordis , sterni , cesophagi , aliarumque vicinarum pectoris partium glandulis , sese in ductum chymiferum thoracis 3 4 insinuantes , ex diligenti istarum partium ligatura & perscrutatione à me & plurimis aliis sœpe fuisse animadversos .

In his serosis sive aquosis ductibus manifestæ sunt valvulae , quæ ita sunt sitæ , ut succo aquoso , ab hepatæ etiam commemoratis glandulis in receptaculum chymi M 2 E ,

*Cur ex periculorum & securitatis consuetudine homines fiant audaces vel timidi . Ductus aquosi hepatis & glandularum abdominis & pectoris , nuper inventi .*



du<sup>ctumque chymiferum 3 4 progradienti, facilem ingressum concedant, regressum vero penitus impedian.</sup>

Horum usus est ferosum sive aquosum quendam succum ab hepate & glandulis istis in receptaculum sive vesiculam chymi M 2 E, & ductum chymiferum 3 4 deferre; qui ibi ulteriori dissolutioni & fermentationi chymi inseriat, ac postea cum chymo, per venas subclavias 5, & venam cavam ascendentem 6, in cor N, cum sanguine reliquo eo confluente, deferatur; ut ille deinde, partim in corporis nutrimentum, partim in excrementa, per renes & alia emunctoria separanda & excernenda, convertatur.

## E P I L O G V S.

**A**TQUE ita universam Philosophiam naturalem, brevi, quantum potui, systemate comprehensam, & utili ac intelligibili, ut opinor, modo propositam, per principia nostra clara, perspicua, sufficientia, & unica, absolvimus.

Cum enim problema aliquod in Physicis proponitur solvendum, priuò excogitanda est causa intelligibilis, quâ effectum, in problemate proposito observatum, commode & intelligibiliter peragi possit. Deinde circumspicendum, an non alia commodior vel æquè commoda queat inveniri. Quæ si inveniatur, commodior priori est præferenda; æqualis verò ipsi æquiparanda. Sin alia commodior vel æquè commoda excogitari nequeat, solutioni inventæ tamdiu acquiescendum, donec melior vel æqualis alia fuerit inventa. Atque hoc in magni istius de Mundo, sive tota rerum universitate, problematis propositi solutione, observasse & egisse videor. Talem enim solutionis rationem per principia notissima hîc proposui, quâ omnes totius Universi observationes, haetenus animadversas, probabiliter, intelligibiliter, & unicè explicari posse putavi.

Sicut

*Quanam  
sit vera &  
unica in  
Physicis  
philoso-  
phandi ra-  
tio.*

Sicut autem, nullius consentientis vel dissentientis habita ratione, liberè id proposui, quod mihi rationi maximè consentaneum fuit visum: ita hīc nemini assentienti vel dissentienti legem præfigo; nec cuiquam, aliter sentienti, meas opiniones fraudi esse vel attribui, volo. Si cui nonnulla hīc placeant, gratum est; quia gratificandi animo hæc scripsimus. Sin quædam, imò vel omnia, displiceant, neque hoc erit ingratum. Novi illud Samosatensis:

Oὐδὲν τὸν ἀνθρώποντος διάγενερόν εἶναι νόημα,  
Αὐτὸν δὲ συνθετάζεις, τεθέντεροι γέλωσι.

*Vnde innumeræ judiciorum diversitates.* Imò, ex Terentiano proverbio, jam olim puer, didici, tot esse sententias, quot sunt homines. Neque hoc mirum. Cùm enim infinita penè temperamentorum sint discrimina, quæ judiciorum producunt diversitatem; innumeræ etiam de rebus humanis judiciorum debent esse dissimilitudines. Atque hinc verissimè cecinit Satyricus:

*Mille hominum species, & rerum discolor usus:*

*Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.*

Dissentiat igitur quilibet; sed absque calumniâ vel maledicentiâ. Neutra enim, quicquid prætexatur, ingenuos decet; & utraque, ut passim docet experientia, in authores suos, cum dedecoris fœnore, plerumque redit. Dissidentes itaque exspecto: sed nulos maledicos. Si quis tamen, præter meam exspectationem, sycophantari velit; sycophantetur, & sit sycophanta in secula. Forsan nihil, præter jucundum risum, reponemus. Nunc Lector Amice

*Vive, vale. Si quid novisti rectius istis;*

*Candidus imperti. Si non; his utere mecum.*

F I N I S.

Δόξα τὸν υψίστοις Θεῷ.